THEOLOGIA
DOGMATICA ET MORALIS

AD MENTEM

S. THOMÆ AQUINATIS ET S. ALPHONSI DE LIGORIO



Vesontione. — Ex typis Outhenin Chalandre filiorum et Soc.

THEOLOGIA
DOGMATICA ET MORALIS

AD MENTEM

S. THOMÆ AQUINATIS ET S. ALPHONSI DE LIGORIO

NECNON JUXTA RECENTIORA SEDIS APOSTOLICÆ DOCUMENTA

ACCURATE EXPLANATA

AUCTORIBUS

PROFESSORIBUS THEOLOGIÆ SEMINARII CLAROMONTENSIS

E Societate Sancti Sulpitii

PROMOVENTE ET APPROBANTE

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DD. JOANNE PETRO BOYER

Episcopo Claromontensi

EDITIO QUARTA

TOMUS TERTIUS

TRACTATUS DE SACRAMENTIS IN GENERE — DE BAPTISMO
DE CONFIRMATIONE — DE SS. EUCHARISTIA

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

ALMA COLLEGE
208.9
LIBRARY
C563
Alma, California

PARISIIS

APUD A. ROGER ET F. CHERNOVIZ, EDITORES

Via vulgo dicta Grands-Augustins 7

1886

8838

Property of
CLA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

TRACTATUS

DE SACRAMENTIS

IN GENERE

SUMMA DOCTRINÆ CATHOLICÆ

DE SACRAMENTIS IN GENERE

Ex Conciliis Florentino et Tridentino

DECRETUM CONCILII FLORENTINI SUB EUGENIO IV PRO INSTRUCTIONE ARMENORUM.

Novæ legis septem sunt sacramenta : videlicet, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, et Matrimonium. Quæ multum a sacramentis differunt antiquæ Legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant; hæc vero nostra et continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt. Horum quinque prima ad spiritualem uniuscujusque hominis in seipso perfectionem; duo ultima ad totius Ecclesiæ regimen multiplicationemque ordinata sunt. Per Baptismum enim spiritualiter renascimur; per Confirmationem augemur in gratia, et roboramur in fide; renati autem et roborati, nutrimur divina Eucharistiæ alimonia. Quod si per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per Pœnitentiam spiritualiter sanamur; spiritualiter etiam et corporaliter, prout animæ expedit, per Extremam Unctionem; per Ordinem vero Ecclesia guber-

natur et multiplicatur spiritualiter; per Matrimonium corporaliter augetur.

Hæc omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia; quorum si aliquod desit, non perficitur sacramentum. Inter hæc sacramenta tria sunt: Baptismus, Confirmatio et Ordo, quæ characterem, id est, spirituale quoddam signum a cæteris distinctivum, imprimunt in anima indelebile. Unde in eadem persona non reiterantur. Reliqua vero quatuor characterem non imprimunt, et reiterationem admittunt.

CANONES CONCILII TRIDENTINI DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Proœmium. Ad consummationem salutaris de justificatione doctrinæ, consentaneum visum est de sanctissimis Ecclesiæ Sacramentis agere, per quæ omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur; propterea sacrosancta œcumenica et generalis Tridentina Synodus.... hos præsentes canones statuendos, et decernendos censuit...

I. Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta; aut esse plura, vel pauciora, quam septem, videlicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie Sacramentum : anathema sit.

II. — Si quis dixerit, ea ipsa novæ Legis Sacramenta a Sacramentis antiquæ legis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, et alii ritus externi : anathema sit.

III. — Si quis dixerit, hæc septem Sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius : anathema sit.

IV. — Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua; et sine eis, aut eorum voto per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci; licet omnia singulis necessaria non sint : anathema sit.

V. — Si quis dixerit, hæc Sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse : anathema sit.

VI. — Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre. quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ vel justitiæ, et notæ quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus : anathema sit.

VII. — Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper, et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando, et aliquibus : anathema sit.

VIII. — Si quis dixerit, per ipsa novæ Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere : anathema sit.

IX. — Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt : anathema sit.

X. — Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo et omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem : anathema sit.

XI. — Si quis dixerit, in ministris, dum Sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia : anathema sit.

XII. — Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere Sacramentum : anathema sit.

XIII. — Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcumque ecclesiarum pastorem mutari posse : anathema sit.

NOTIONES PRÆVIÆ.

Quædam in antecessum præmittenda sunt — 1. de objecto, præstantia et utilitate Tractatus; — 2. de notione sacramenti; — 3. de indole et ordine dicendorum.

I. *Tractatus objectum, præstantia et utilitas.*

1. — I. Objectum. Christus Dominus, piissima morte sua, hominibus promeruit tum gratias actuales, quibus ad bonum operandum illuminarentur, excitarentur atque adjuvarentur; tum gratiam sanctificantem, qua a peccatis purgati Dei filii æternique regni hæredes fierent. Has gratias multiplici via largitur, sed potissimum *sacramentis*, per quæ, ut docet Tridentina synodus (sess. 7, in procemio) « vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur. » Itaque de Sacramentis nunc tractandum venit. — Cum autem plura, ut videbimus, sint Sacramenta, ne de singulis disserentes, ea repetere necesse sit, quæ omnibus communia sunt, specialem tractatum de Sacramentis in genere præmittemus, antequam ad Sacramenta in specie accedamus.

2. — II. Præstantia. Cujusvis tractatus præstantia ex objecti dignitate desumenda est. Jam vero Sacramenta a SS. Patribus et theologis nuncupari solent *Dominicæ Incarnationis reliquiæ*, — *vasa pretiosa* quibus Christi sanguis et merita continentur, — *canales* per quos innumera divinæ clementiæ beneficia ad nos defluere Christus sancivit, — *medicamenta* sauciatæ naturæ humanæ, — *fontes aquarum spiritualium* salientium in vitam æternam, per quos homines lapsi eriguntur, curantur et ad beatitudinem perducuntur.

3. — III. Utilitas. Quæ cum ita sint, quisque facile videt doctrinam de Sacramentis gravissimi esse momenti. Necesse enim est ut apprime cognoscamus media, quibus Deus infirmitati nostræ subvenire, nosque ad sanctitatem et felicitatem æternam perducere voluit. Sacerdotes præsertim eo majori

studio rei Sacramentariæ incumbere debent, quo strictius tenentur fideles præparare ad Sacramenta digne suscipienda, riteque præparatis ea ministrare.

II. *De notione Sacramenti.*

4. — I. Definitio sacramenti quoad nomen. *Sacramenti* nomen a *sacro* derivatum alio sensu a profanis, alio ab ecclesiasticis scriptoribus usurpatum fuit.

Apud auctores profanos significat modo *pecuniam*, quæ olim apud sacerdotem in templo deposita, illi peribat, qui causa cadebat, — modo *juramentum*, quo quis, invocato supremo numine, se ad aliquid obligat. Unde jusjurandum, quo milites ad præstandam imperatori et reipublicæ fidelem operam se astringebant, *sacramentum militare* appellabatur.

A sacris vero scriptoribus Sacramentum sumitur : — 1. *Pro re sacra, sed occulta* : « Nescierunt *Sacramenta* Dei (*Sap.*, II, 22); *Sacramentum regis* abscondere bonum est » (*Tob.*, XII, 7). — 2. *Pro ipso rei occultæ et latentis signo* : « *Sacramentum* septem stellarum « (*Apoc.*, I, 20). » Ego dicam tibi *Sacramentum* mulieris et bestiæ » (*Ibid.*, XVII, 7). — 3. *Pro signo rei non solum sacræ, sed sacrantis et initiantis hominem cultui divino;* et hoc ultimo sensu vox Sacramentum accipitur in præsenti tractatu.

5. — II. Definitio sacramenti quoad rem. Sacramentum definitur a S. Thoma : « *Signum rei sacræ, in quantum est sanctificans homines* » (3, q. 60, art. 9). Quam definitionem evolventes, theologi Sacramentum in genere sumptum ita describunt : *Signum sensibile, et sacrum, a Deo permanenter institutum, ad significandam gratiam et sanctitatem conferendam.*

Dicitur — 1° *Signum*, id est, res cujus notitia in alterius rei cognitionem nos ducit; omne enim Sacramentum ad cognitionem gratiæ, quam significat, nos deducit. Est autem signum non *naturale*, sed *ad placitum*, seu arbitrium; nam, etsi omnia Sacramenta a Deo instituta similitudinem quamdam et analogiam habeant cum re significata, nempe gratia, nulla tamen res sensibilis ex natura sua gratiam significare

potest. Insuper tota Sacramentorum institutio a libera Dei voluntate pendet.

Dicitur — 2° *sensibile;* nam connaturale est homini, ut per sensibilia in cognitionem insensibilium et spiritualium perveniat. Præterea Deus Sacramenta instituit, ut essent signa protestativa religionis, quorum ope homines in unam Ecclesiam colligarentur. Per signum autem sensibile non intelligitur tantum substantia materialis, sed et actio sensibilis, velut in Pœnitentia absolutio sacerdotis.

Dicitur — 3° *sacrum,* non solum ex parte rei significatæ, gratiæ videlicet, sed etiam ratione rei significantis, quæ hujusmodi esse debet, ut sit cæremonia tum protestativa religionis, tum ordinata ad cultum divinum, tum usu suo specialem sanctitatem suscipienti conferens.

Dicitur — 4° *a Deo institutum,* sive immediate, sive mediate, seu ex potestate a Deo ipso concessa. Ratio est quia, cum solius Dei sit gratiam conferre ad modum causæ principalis, ita etiam ejusdem solius est, propria auctoritate instituere signa gratiæ collationem certo significantia.

Dicitur — 5° *permanenter,* quæ vox duo importat, scilicet : durationem usque ad finem religionis, pro qua tale Sacramentum institutum fuit, et perennem usum.

Sunt enim Sacramenta cæremoniæ præcipuæ ritusque principales, quorum consortio fideles in unam religionem colligantur; sunt pariter signa distinctiva, quibus populus Dei, seu fideles ab infidelibus secernuntur; ergo perenni usu adhibenda sunt, et tamdiu permanere debent, quamdiu permanebit religio pro qua instituta sunt. Hoc sensu Eucharistia (I *Cor.,* II) dicitur celebranda in memoriam Christi, *donec ipse veniat,* id est, usque ad finem mundi.

Dicitur — 6° *ad significandam gratiam, et sanctitatem conferendam.* His verbis Sacramenta ab aliis signis, quæ veri nominis Sacramenta non sunt, distinguuntur. Sacramenta enim non tantum novæ Legis, sed et veteris, ad significandam gratiam ordinata sunt; posteriora quidem, ut dandam per Sacramenta novæ Legis; illa vera novæ Legis, ut præsentem.

Insuper Sacramentis proprium est ut instituta sint ad ali-

quam sanctitatem suo usu impertiendam. Duplex quippe sanctitas distingui debet : una perfecta et interior, qua anima Deo conjungitur per gratiam sanctificantem; alia imperfecta et exterior, quæ consistit in externa quadam consecratione ad cultum divinum. Jam vero Sacramenta ordinantur ut rite suscipientes modo œconomiæ, ad quam pertinent, proportionato sanctificent, interne scilicet, vel externe tantum, prout ad novam vel antiquam Legem spectant. Sic, in Lege veteri, circumcisio hominem suo modo initiabat et Deo consecrabat; idem dicendum est de ritu, quo sacerdotes inaugurabantur, vel etiam de variis expiationibus, quibus emundati jam idonei ad cultum divinum reddebantur; at illud præsertim asserendum est de Sacramentis novæ Legis, quæ, ut suo loco probabitur, non solum Deo quomodocumque consecrant, sed etiam conferunt gratiam habitualem, quæ hominem perfecte sanctum et Deo gratum efficit.

Hinc — 1. sacramentum *ut sic* est in genere *signi*, non vero *causæ*. Sacramentum enim ut sic debet esse quid commune univocum Sacramentis veteris et novæ Legis : atqui ratio signi, non ratio causæ, est quid commune univocum Sacramentis utriusque Legis; nam Sacramenta vetera non sunt causa gratiæ, nisi improprie et moraliter; sed veram signi rationem habent. — Præterea de ratione Sacramenti est, ut sit aliquid sensibile, ordinem dicens ad rem sacram : porro id non requirit ratio causæ, bene vero ratio signi.

Hinc — 2. sacrificium, qua tale, a ratione Sacramenti alienum est; sacrificium enim ex se, qua tale est, ad cultum Deo exhibendum immediate refertur; Sacramentum vero ad hominis sanctificationem destinatur. Nihil tamen impedit, quin idem sub ratione diversa rationem Sacramenti et sacrificii simul habeat; hujus modi est Eucharistia.

Hinc — 3. differentia *specifica* inter Sacramenta veteris et novæ Legis in eo sita est, quod Sacramenta vetera gratiam, nonnisi ut conferendam per Christum venturum, significarent, suaque virtute sanctitatem mere externam et legalem, sanctificationis internæ præfigurativam, conferrent; dum, in nova Lege, Sacramenta nostra sanctitatem internam et significant, et sua virtute producunt.

Unde sacramentum veteris Legis est *signum sensibile, sacrum, a Deo permanenter institutum, ad significandam gratiam dandam in nova Lege, et rite suscipienti sanctitatem externam et legalem conferendam;* — Sacramentum vero novæ Legis definiri potest : *Signum sensibile, sacrum, a Deo permanenter institutum, ad gratiam sanctificantem tum significandam, tum virtute sua rite suscipienti conferendam.*

Ex qua definitione patet, in nova Lege, tria ad Sacramenti rationem requiri, nempe : signum sensibile gratiæ, — signum sanctitatis efficax, — et tandem institutio Christi permanens; quorum si unum desit, non datur Sacramentum.

III. *De indole et ordine dicendorum.*

6. In præsenti tractatu agendum est de sacramentis novæ Legis, paucis tantum de sacramentis veteribus in appendice speciali dicendis.

Porro materia de sacramentis in genere pertinet — tum ad theologiam *dogmaticam*, cujus est dogmata de Sacramentis tenenda proponere, ac proinde divinam illorum institutionem comprobare, materiam, formam atque ministrum assignare, necnon salutares effectus ostendere; — tum ad theologiam *moralem*, ad quam spectat officia explicare, quæ Christianis in Sacramentorum receptione incumbunt, modumque docere, quo præclara hæc salutis media digne atque utiliter adhibenda sunt; — tum etiam ad theologiam vulgo *liturgicam*, aut *pastoralem* dictam, in qua docetur, quomodo a pastoribus animarum Sacramenta administranda sint.

Nos vero, pro more in nostris seminariis solito, hos omnes respectus in uno eodemque tractatu complectemur, cujus proinde sex erunt capita : — *primum*, de existentia; — *secundum*, de materia et forma; — *tertium*, de effectibus; — *quartum*, de ministro; — *quintum*, de subjecto; — *sextum*, de cæremoniis sacramentorum.

CAPUT I.

DE EXISTENTIA SACRAMENTORUM.

Tria expendemus, videlicet : — 1. an conveniens fuerit sacramenta institui; — 2. quot sacramenta instituta fuerunt in nova Lege; — 3. quis fuerit eorum institutor.

ARTICULUS I.

De convenientia sacramentorum.

7. Fatentur omnes sacramentorum institutionem necessariam non fuisse, nec proinde aliam esse causam eorum existentiæ nisi divinam bonitatem. Quod autem convenientissimum fuerit ut Deus ea instituerit, sequens ostendet

Assertio : *Sacramenta, quatenus sunt signa sensibilia, œconomiæ humanæ salutis optime congruunt.*

I. Hanc assertionem triplici ratione comprobat Angelicus Doctor (3 p. q. 61, art. 1), nempe :

1. « *Ex conditione humanæ naturæ*, cujus proprium est, ut per corporalia et sensibilia in spiritualia et intelligibilia deducatur. Pertinet autem ad divinam providentiam, ut unicuique rei provideat secundum modum suæ conditionis. Et ideo convenienter divina sapientia homini auxilia salutis confert sub quibusdam corporalibus et sensibilibus, quæ Sacramenta dicuntur.

2. » *Ex statu hominis*, qui peccando se subdidit per affectum corporalibus rebus. Ibi autem debet medecinale remedium homini adhiberi, ubi patitur morbum. Et ideo conveniens fuit, ut Deus per quædam corporalia signa homini spirituale medecinam adhiberet : nam si spiritualia nuda ei proponerentur, ejus animus applicari non posset, corporalibus deditus.

3. » *Ex studio actionis* humanæ, quæ præcipue circa corpo-

ralia versatur. Ne ergo esset homini durum, si totaliter a corporalibus rebus abstraheretur, proposita sunt ei corporalia exercitia in Sacramentis, quibus salubriter exerceatur ad evitanda superstitiosa exercitia, quæ consistunt in cultu dæmonum, vel qualitercumque noxia, quæ consistunt in actibus peccatorum.

» Sic igitur per Sacramentorum institutionem, homo convenienter suæ naturæ eruditur per sensibilia : humiliatur, se corporalibus subjectum cognoscens, dum sibi per corporalia subvenitur; præservatur etiam a noxiis actionibus per salubria exercitia Sacramentorum. »

II. Prædictam D. Thomæ argumentationem his verbis complet et perficit Catechismus Romanus :

» ..... Sed *quarta* etiam causa accedit cur Sacramentorum institutio necessaria videri possit : ut scilicet notæ quædam et symbola essent, quibus fideles internoscerentur; cum præsertim nullus hominum cœtus queat, ut etiam a D. Augustino traditum est, sive veræ sive falsæ religionis nomine, quasi in unum corpus coagmentari, nisi aliquo visibilium signorum fœdere conjungantur. Utrumque igitur præstant Sacramenta novæ Legis, quæ et Christianæ fidei cultores ab infidelibus distinguunt, et ipsos fideles sancto quodam vinculo inter se connectunt.

» *Præterea*, aliam etiam justissimam fuisse causam Sacramenta instituendi, ex illis Apostoli verbis, « corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, » ostendi potest. Sacramentis enim fidem nostram in hominum conspectu profiteri et notam facere videmur. Quare, ad Baptismum accedentes, palam testamur, nos credere ejus aquæ virtute, qua in Sacramento abluimur, spiritualem animæ purgationem fieri.

« Magnam *deinde* vim habent Sacramenta non solum ad fidem in animis nostris excitandam et exercendam; sed etiam ad eam caritatem inflammandam, qua amare inter nos debemus, cum arctissimo nos vinculo colligatos et unius corporis membra effectos esse, ex sacrorum mysteriorum communione, recordamur.

» *Postremo*, quod in Christianæ pietatis studio plurimi faciendum est, humanæ mentis superbiam edomant atque comprimunt, nosque ad humilitatem exercent : dum sensibilibus elementis subjicere nos cogimur ut Deo obtemperemus, a quo antea impie defeceramus, ut mundi elementis serviremus. »

Qui plura voluerit, adeat Suarez (*Disp.* 6, *sect.* 1).

ARTICULUS II.

De numero sacramentorum.

8. Errores. Lutherani, Calvinistæ eorumque asseclæ, nec catholicis nec sibi invicem conveniunt quoad sacramentorum numerum : alii siquidem duo, alii tria admittunt, cæteraque rejiciunt. Communius non alia cognoscunt præter Baptismum et Cœnam, quibus quandoque manuum impositionem adjungunt. Contra quos sit sequens

9. Assertio : *Novæ legis septem sunt sacramenta nec plura, nec pauciora, videlicet : Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-Unctio, Ordo et Matrimonium.*

Est de fide. Conc. Florentinum in decreto ad Armenos ait : « Novæ legis *septem* sunt sacramenta, scilicet Baptismus..... » — Conc. Trident. (sess. 7, can. 1) : « Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis... esse *plura* vel *pauciora*, *quam septem*, videlicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam-Unctionem, Ordinem et Matrimonium ; aut etiam aliquod horum *septem* non esse vere et proprie sacramentum ; anathema sit. »

Prob. 1. *Scriptura Sacra,* ex qua non obscure colligitur, septem esse in nova Lege ritus sensibiles, quibus annexa est promissio gratiæ. Illud patet — 1. *de Baptismo*, ex verbis Joan. (III, 5) : « Nisi quis *renatus fuerit ex aqua* et Spiritu » Sancto, non potest introire in regnum Dei. » — Matth. (XXVIII, 19) : « Euntes docete omnes gentes, *baptizantes* eos in » nomine Patris, etc. » — Marci (XVI, 16) : « Qui crediderit et » *baptizatus* fuerit, salvus erit. »

2. De *Confirmatione*, ex Actibus (VIII, 17 et XIX, 16) : « Tunc » *imponebant manus* super illos, et *accipiebant* Spiritum Sanc-

» tum... Et cum *imposuisset* illis manus Paulus, *venit* Spiritus » Sanctus super eos. »

3. De *Eucharistia*, ex verbis S. Matth. (XXVI, 26) : « Accepit » *panem*, et gratias agens fregit, etc...» S. Pauli (I *Cor.*, XI, 23) : « Hoc *facite* in meam commemorationem. » — Joan. (VI, 59) : « Qui manducat hunc *panem, vivet* in æternum. »

4. De *Pœnitentia*, apud S. Joan. (XX, 22, 23) : « Accipite Spi- » ritum Sanctum. Quorum remiseritis peccata *remittuntur eis ;* » et quorum retinueritis retenta sunt. »

5. De *Extrema-Unctione*, ex S. Jacobo (V, 14) : « Orent su- » per eum, *ungentes eum oleo* in nomine Domini ; et alleviabit » eum Dominus, et si in peccatis sit, *remittentur ei.* »

6. De *Ordine*, ex verbis Apostoli (I *Tim.*, IV, 14) : « Noli ne- » gligere *gratiam* quæ est in te, quæ data est tibi cum *impositione* manuum presbyterii. » Idem innuit (II *Tim.*, I, 6) : « Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei quæ est in te per » *impositionem manuum.* »

7. De *Matrimonio* tandem, ex S. Matth. (XIX, 6) : « Quod » *Deus conjunxit*, homo non separet ; » et ex Apostolo (*Eph.*, V, 32) : « Sacramentum hoc *magnum* est, ego autem dico, in » *Christo et in Ecclesia.* » Sufficiat hos textus tantum citasse, qui fusius evolventur, ubi de singulis sacramentis specialis sermo erit.

PROB. 2. *Traditione*, nempe argumento præscriptionis quod sic confici potest :

Illud dogma tenendum est quod semper tenuit Ecclesia ; atqui Ecclesia dogma septem sacramentorum semper admisit ; etenim, tempore quo prodierunt sæculi XVI novatores, universalis Ecclesia istud dogma credebat : porro Ecclesia illud dogma credere non potuit sæculo XVI, quin semper illud crediderit ; ergo dogma septem sacramentorum semper admisit.

PROB. MAJ. scilicet : *Tempore quo prodierunt novatores sæculi* XVI, *universalis Ecclesia dogma septem sacramentorum profitebatur.*

Etenim illud pro *Ecclesia latina* constat — conciliis Florentino et Tridentino ac omnibus aliis synodis, hac ætate ce-

lebratis, potissimum in Galliis; — omnibus theologis hujus ævi; — omnibus ritualibus, hoc expresse asserentibus; — ipsorum novatorum consensu, qui, ipsis fatentibus, ab Ecclesia Romana recesserunt ex eo quod Romani, neglecta antiqua fide, exitiosas ac inutiles cæremonias in numero sacramentorum ponerent.

Pro *Ecclesia græca* illud pariter certum est. — 1. Censura qua Jeremias patriarcha Constantinopolitanus, approbante tota Orientalium Ecclesia, anno 1575, confessionem Augustanam improbavit, et in qua declaravit : « Sicut sunt septem dona Spiritus S., ita septem esse sacramenta, » qualia in Ecclesia catholica a christianis orthodoxis recepta sunt (Apud Renaudot, *Perpétuité de la foi*, tom. 5, lib. 1, c. 3). — 2. Concilio, anno 1639, a tribus patriarchis et viginti episcopis Constantinopoli habito, ubi canon adversus Cyrillum Lucar, patriarcham C. P., quem pene unum Calviniani sibi devinxerant, his verbis editus est, ut refert et approbat synodus Hierosolymitana, anno 1672 : « Cyrillo dogmatizanti et credenti non esse septem Ecclesiæ sacramenta, videlicet baptismum, confirmationem, Eucharistiam, pœnitentiam, extremam-unctionem, ordinem et matrimonium, juxta Christi dispositionem Apostolorumque traditionem, nec non et Ecclesiæ consuetudinem; sed mentienti duo tantum a Christo in Evangelio fuisse tradita, scilicet baptismum et Eucharistiam; anathema... » (Harduin, tom. 2, col. 227). — 3. Omnibus ritualibus et euchologiis quibus utuntur Græci et Orientales omnes, Cophtæ, Jacobitæ, Syrii, Maronitæ...; ergo merito dictum fuit quod tempore, quo prodiere XVI sæculi novatores, universalis Ecclesia dogma septem sacramentorum tenebat.

PROB. MINOR, scilicet : *Ecclesia credere non potuit sæculo* XVI *dogma septem sacramentorum, quin illud semper crediderit.* Etenim, vel res ita est, vel admittenda est aliqua mutatio in doctrina Ecclesiæ : atqui omnis mutatio, sive sensibilis, sive insensibilis, repugnat. — 1. Mutatio *sensibilis* admitti nequit; nam mutatio sensibilis illa est cujus auctor, locus, tempus, impugnatores, propagatores, cætera plurima cognoscuntur; jam vero nihil horum dici potest de dogmate septem sacramen-

torum; ergo non contigit mutatio sensibilis. — 2. Mutatio *insensibilis* pariter repugnat; illa quippe foret quæ paulatim, sine sensu, facta fuisse porro : rejicienda est hujusmodi mutatio, sive ratione sui consideretur, sive ratione temporis in quo evenire potuerit.

Et quidem fieri non potuit mutatio insensibilis circa dogma septem sacramentorum, *ratione sui*; — ob *pastorum vigilantiam et fidelium sollicitudinem;* omnibus notum est episcopos semper fuisse veritatis custodes pervigiles et novitatis impatientes, ipsosque statim reclamasse ac prodiit novus error vel inauditus usus introductus fuit; — ob *dogmatis gravitatem*; agebatur quippe de sacramentis, id est, de fontibus gratiarum, de signis a Christo institutis ad recuperandam vel augendam gratiam; — ob *frequentem sacramentorum usum*; non enim quæstio movetur circa dogma mere speculativum, sed practicum et vulgare : quotidie namque adhibebantur sacramenta a viris doctis æque et indoctis : porro circa hujusmodi dogmata impossibilis est erroris introductio; quo, v. g., successu prædicaretur hodie pedum lotionem esse sacramentum a Christo institutum et quotidie adhibendum? ergo circa dogma septem sacramentorum omnis mutatio insensibilis prorsus evadit impossibilis ratione sui.

Nec minus impossibilis est hæc mutatio insensibilis, *ratione temporis*; nam nullum hujus mutationis probabile tempus assignari potest; — non a sæculo XVI ad schismatis Græcorum initium, ob dissidia Latinos inter et græcos orta; hi enim posteriores prioribus minimi momenti res objiciebant acriter; — non a schismate Græcorum ad quintum sæculum, ob sectas ab Ecclesia separatas septem sacramenta profitentes, et quæ illa sane non accepissent ab Ecclesia a qua se sejunxerant; ita Nestoriani, Eutychiani et orientales omnes hæretici; — non denuum in prioribus Ecclesiæ sæculis, in quibus, ut fatentur adversarii, pura et innocua servabatur Ecclesiæ doctrina, et nimis nova ac nota erat apostolorum prædicatio, ut ab ea universalis potuerit recedere Ecclesia; ergo nullum mutationis probabile tempus assignari potest; ergo Ecclesia dogma septem sacramentorum semper tenuit; ergo admittendum est.

Prob. 3. *Ratione congruentiæ*, quam affert catechismus Romanus ex similitudine vitam inter spiritualem et corporalem : Sicut enim « homini ad vivendum, vitamque servandam, et ex sua reique publicæ utilitate traducendam, hæc septem necessaria sunt : ut scilicet, in lucem edatur, augeatur, alatur; si in morbum incidat, sanetur, et imbecillitas virium reficiatur ; deinde, quod ad rempublicam attinet, ut magistratus nunquam desint, quorum auctoritate et imperio regatur; ac postremo legitima sobolis propagatione seipsum et humanum genus conservet; » ita ad vitam spiritualem, quæ conformitatem aliquam habet cum corporali, pariter necessarium est ut : — per Baptismum enascamur; — per Confirmationem in gratia augeamur et roboremur; — per Eucharistiam cibo cœlesti alamur et sustineamur; — per Pœnitentiam sanitas amissa restituatur, postquam peccati vulnera accepimus; — per Extremam-Unctionem peccatorum reliquiæ tollantur et animi virtutes recreentur; — per Ordinem ministri constituantur, quibus publica Ecclesiæ ministris exercendi sacrasque functiones exsequendi potestas tradatur; — per Matrimonium tandem corporaliter augeatur et pie educentur ejus filii. Ergo (Cf. S. Thomas, 3, q. 65, a. 1).

Ex his patet quinque priora sacramenta ad spiritalem uniuscujusque hominis privatim spectati perfectionem instituta esse; duo vero ultima ad totius Ecclesiæ regimen multiplicationemque ordinari.

Hinc patet quid respondendum sit Protestantibus septenarium sacramentorum numerum impugnantibus, præsertim ex eo quod talis numerus neque in Scripturis, neque apud vetustos Patres reperiatur. Enimvero — 1. quamvis Scriptura septenarium numerum expressis verbis non commemoret, septem signa exhibet quibus convenit definitio sacramenti. Cæterum Scriptura doctrinam tradit; nihil proinde mirum si numerum sacramentorum in ea expressis terminis non invenias. — 2. Quod vero vetustissimi Patres non enumerent septem sacramenta sed tantum aliqua, illud facile explicatur, vel ex scopo ipsis peculiari, vel ex lege arcani, vel ex eo quod sacramenta dividebant in *perficientia* et *medecinalia*, et de una tantum classe loqui intendebant.

Nec dicatur alia esse, quibus ratio sacramenti convenit, præter ritus memoratos, cujus modi est lotio pedum in ultima cœna a Christo usurpata; aut etiam plura quandoque signa in eodem sacramento inveniri, v. g., in ordine et in Eucharistia. — Nam

1. Lotio pedum non fuit *signum gratiæ productivum*; hæc quippe verba : « Nisi lavero te, non habebis partem mecum, » solum spectant Petrum ad quem diriguntur, includuntque pœnam inobedienti Petro intentam, quæ in privatione vel beatitudinis, vel Eucharistiæ mox instituendæ, consistit. — Neque *permanenter instituta* fuit; istæ enim Christi voces : « Vos debetis alter alterius lavare pedes, » accipiendæ sunt metaphorico sensu, pro præcepto exercendæ caritatis ac humilitatis, ut volunt multi SS. Patres, non autem sensu litterali de ipsa lotione pedum, quia ex historia constat hanc lotionem pedum nunquam fuisse usitatam in Ecclesia, nisi ad summum, in feria V, in Cœna Domini.

2. Quamvis plures ordines sint sacramenta, et in Eucharistia sint Corpus et Sanguis Christi, non inde sequitur plura esse quam septem sacramenta; nam quando dicitur esse tantum septem sacramenta, sacramentum sumitur secundum genus suum, ita ut sensus sit, septem tantum esse sacramenta *generice* diversa, id est, quæ ad diversi generis fines referuntur; et ideo cum omnes ordines ad unum eumdemque finem genericum referantur, nempe ad confectionem et administrationem Eucharistiæ, a se invicem *specie* tantum discrepant, et unum generice sacramentum constituunt.

10. Quæritur 1. *Utrum sacramenta recte numerentur eo ordine, quem probavit Tridentina synodus?*

Resp. *Affirmative.* Etenim Sacramenta, quæ ordinantur ad perfectionem unius personæ, naturaliter præcedunt ea, quæ ordinantur ad perfectionem multitudinis ; unum enim est prius quam multitudo : atqui quinque priora ordinantur ad perfectionem unius et duo posteriora ad perfectionem multitudinis. Ergo convenienter ultimo ponuntur ordo et matrimonium; matrimonium tamen post ordinem, eo quod minus participat de ratione spiritualis vitæ, ad quam ordinantur sacramenta.

Inter ea vero quæ ad perfectionem unius personæ ordinantur, naturaliter sunt priora illa quæ *per se* ordinantur ad perfectionem vitæ spiritualis, quam illa quæ ordinantur per accidens : cujusmodi sunt pœnitentia et extrema unctio; et quia extrema unctio perficit, quod pœnitentia inchoat, naturaliter posterior est. Inter alia vero tria, manifestum est quod baptismus, qui est spiritualis regeneratio, est prior; et deinde confirmatio, quæ ordinatur ad vitam spiritualem perficiendam; et postmodum Eucharistia, quæ est cibus perfectorum et quasi virorum, quales constituit confirmatio.

Nec dicatur Eucharistiam, quæ nutrimentum præbet, numerandum esse ante confirmationem, quæ dat augmentum; nam nutrimentum et præcedit augmentum sicut causa ejus; et subsequitur augmentum, quatenus conservat hominem in perfecta quantitate et virtute.

11. Quæritur 2. *Quænam sit respectiva sacramentorum excellentia ?*

Resp. *Ratione dignitatis, Eucharistia cæteris sacramentis longe præstat.* Ratio est — tum quia in Eucharistia ipse Christus, totius gratiæ fons, substantialiter continetur, dum in aliis sacramentis continetur tantum quædam virtus instrumentalis, participata a Christo; — tum quia alia sacramenta ordinantur ad Eucharistiam, ut ad finem. Imprimis manifestum est *ordinem* referri ad ejus confectionem et ministrationem; *baptismus* vero ordinatur ad ejus susceptionem; item et *confirmatio*, qua quis perficitur in fide, quæ est optima dispositio ad Eucharistiam. *Pœnitentia* et *extrema-unctio* etiam præparant ad dignam Eucharistiæ sumptionem, removendo peccatum. Tandem *matrimonium*, ratione suæ significationis, hoc sacramentum attingit, in quantum significat conjunctionem Christi et Ecclesiæ, cujus unitas per sacramentum Eucharistiæ figuratur.

Cætera vero sacramenta, præter Eucharistiam, sic ratione dignitatis ab Angelico Doctore ordinantur : ordo, confirmatio, baptismus, extrema-unctio, pœnitentia, matrimonium.

Hinc concilium Trid. (sess. 7, can. 3) hæc habet : « Si quis dixerit hæc septem sacramenta ita esse inter se paria ut nulla ratione aliud sit alio dignius : anathema sit. »

12. Quæritur 3. *Quomodo sacramenta se ad invicem habeant ratione necessitatis.*

Resp. 1. Si agitur de sacramentis, quæ hominem perficiunt, quantum ad personam propriam, baptismus in re vel in voto omnibus necessarius est *necessitate medii*, id est, ita ut sine eo salus obtineri non possit, quin excuset ignorantia, vel impotentia. Pœnitentia quoque eadem *necessitate medii* necessaria est, non quidem omnibus et singulis, ut baptismus, qui sub hoc respectu pœnitentiam superat, sed solis post baptismum lapsis. — Alia vera sacramenta, nempe confirmatio, Eucharistia et extrema-unctio nonnisi *necessitate præcepti* necessaria sunt; potest proinde sine his in re vel in voto susceptis salus obtineri, si aut ignorantia aut impotentia excuset.

Resp. 2. Si agitur de sacramentis, quæ hominem perficiunt in ordine ad totam communitatem, nempe, de ordine et matrimonio, non quidem Christianis singulis, sed toti communitati Ecclesiæ simpliciter necessaria sunt; ordo, ut Ecclesiæ rectoros et aliorum sacramentorum dispensatores constituantur; matrimonium, ut Ecclesia fideles et etiam ministros habere possit.

Sed de his omnibus fusius agemus, ubi sermo erit de singulis sacramentis in specie.

ARTICULUS III.

De institutore sacramentorum.

13. Opiniones. Circa præsentem quæstionem non omnino concors est scholasticorum sententia. Nam, etsi omnes Christum ut sacramentorum auctorem venerentur, nonnulli contenderunt non omnia novæ Legis sacramenta immediate a Christo instituta fuisse; ita Hugo Victorinus et Magister Sententiarum, qui censuerunt extremam-unctionem post Ascensionem Christi ab Apostolis institutam esse; Alexander Alensis et S. Bonaventura, qui docuerunt confirmationem in concilio Meldensi, anno 844, ab Ecclesia institutam fuisse. Contra illos, juxta sententiam communiter receptam, sit sequens

14. Assertio : *Omnia novæ Legis sacramenta immediate a Christo instituta fuerunt.*

Prob. 1. *Scriptura sacra.* Nam legitur (I *Cor.*, III, 4) : « Quid igitur est Apollo? Quid vero Paulus? *Ministri* ejus » cui credidistis? » Et (IV, 1) : « Nos existimet homo ut *minis-* » *tros* Christi et *dispensatores* myseriorum Dei. » Tandem B. Petrus (I *Ep.*, IV, 10) omnes Ecclesiæ rectores vocat *dispensatores multiformis gratiæ Dei.* Ex his vero sic argumentari datur : si cui mortalium Christus potestatem sacramenta instituendi contulisset, maxime Apostolis, qui post Christum, lapidem angularem, sunt Ecclesiæ fundatores; atqui Apostoli in Scriptura pluries se dicunt *ministros* et *dispensatores* sacramentorum, nusquam *institutores.* Ergo.

Prob. 2. *Ex SS. Patribus*, qui non alium unquam sacramentorum institutorem quam Christum pronuntiant. Ita S. Ambrosius, qui (lib. 4 *de Sacram.*, c. 4) ait : « *Auctor* sacramentorum quis est, nisi Dominus Christus Jesus? » S. Augustinus (lib. *de Vera Relig.*, c. 17), hæc habens : « Ab *ipsa Dei Sapientia homine assumpto*, a quo in libertatem vocati sumus, pauca saluberrima sacramenta instituta sunt, quæ societatem Christiani populi, hoc est, sub uno Deo liberæ multitudinis continerent. » Hæc autem de institutione immediata intelligenda esse, patebit ex sequentibus.

Prob. 3. *Auctoritate concilii Trident.*, quod (sess. 7, can. 1) ita se habet : « Si quis dixerit, sacramenta novæ Legis non fuisse omnia *a Jesu Christo instituta*... anathema sit. » Jam vero hæc verba de immediata institutione accipi debere constat : — 1. Ex eo quod juxta communem sensum et modum loquendi, ille solus dici potest institutor, qui per seipsum immediate instituit, vel aliquid ordinat. Unde quæ Ecclesia præcipit etiam auctoritate a Christo facta, nunquam dicuntur a Christo præcepta. — 2. Idem concilium (sess. 14, can. 1) definit extremam-unctionem, de qua præsertim difficultas est, fuisse *institutam a Christo* et a Jacobo promulgatam; si vero a Jacobo fuisset immediate instituta potestate a Christo accepta, non esset ratio cur sola promulgatio tribueretur Jacobo, et institutio soli Christo. Ergo, cum superius docet omnia sacramenta a Christo instituta fuisse, illud pariter intelligendum est de immediata institutione. — 3. Si quædam sacramenta

Ecclesia instituisset, mutare posset eorum substantialia, sicut mutare potest ritus quos instituit : atqui concilium Trid. (sess. 21, can. 2) negat hanc potestatem Ecclesiæ competere; dicit enim in Ecclesia potestatem esse mutandi ritus sacramentorum, *salva eorum substantia*. Ergo.

Ex his probabile quidem videtur, at non certum est assertionem nostram esse de fide.

15. Quæritur 1. *Qua ratione Christus, qui Deus et Homo est, auctor dicatur sacramentorum?*

Ad hanc quæstionem solvendam, doctrina de Incarnatione præ oculis habenda est; in qua dicitur, quod in Christo sicut duæ sunt naturæ, ita etiam duæ sunt operationes, divina et humana, quamvis sit una persona et unus operans. Jam vero juxta Angelicum Doctorem (3 q. 64, a. 3) Christus sacramenta instituit et secundum quod est Deus, et secundum quod est homo, aliter tamen et aliter, scilicet :

1. Certum est solius Dei esse sacramenta instituere vi et auctoritate propria, tum quia, ut dicitur (*Rom.*, III, 30) : « *Unus est Deus, qui justificat;* » tum quia « solus Deus illabitur animæ in qua sacramenti effectus existit. »

2. Christus vero, « secundum quod est homo, operatur ad interiores effectus sacramentorum meritorie et efficienter, sed instrumentaliter. »

Dictum est enim quod passio Christi, quæ competit ei secundum humanam naturam, causa est nostræ justificationis et meritorie et effective, non quidem per modum principalis agentis, sed per modum instrumenti, in quantum humanitas est instrumentum ejus. At

3. Quia humanitas « est instrumentum conjunctum divinitati in persona, habet quamdam principalitatem et causalitatem respectu instrumentorum extrinsecorum, quæ sunt ministri Ecclesiæ. Et ideo sicut Christus, in quantum Deus, habet potestatem auctoritatis in sacramentis, ita in quantum homo, habet potestatem ministerii principalis, sive *potestatem excellentiæ*.

Illam autem *excellentiæ potestatem*, quam Christus, ut homo, in sacramentis habet, D. Thomas in eo consistere docet : —

1. quod sacramenta gratiæ largiendæ vim habeant ex meritis passionis ejus; — 2. quod per ipsius invocationem, ejusque vice ac nomine, sacramenta administrentur; — 3. quod potuerit Christus instituere sacramenta, eorumque materias et formas prædefinire; — 4. quod absque ritu sacramentali, solo etiam nutu et imperio, eorum effectum producere, id est, gratiam conferre et culpas remittere potuerit; quod reipsa præstitit, cum, nullo adhibito sacramento, et mulierem peccatricem, et paralyticum ab omni labe purgavit.

16. Quæritur 2. *Utrum Christus potestatem illam excellentiæ, secundum quam sacramenta instituit, puro homini communicare potuerit?*

Thomistæ, duce magistro, affirmant. Et revera nulla repugnantia est in eo quod Deus tantam gratiæ plenitudinem puro homini conferat, ut — 1. ejus meritum operetur ad sacramentorum effectum; — 2. in ejus nomine sacramenta administrentur; — 3. ipse potestate delegata sacramenta instituat; et — 4. sine ritu sacramentorum effectum sacramentalem solo imperio conferre valeat. At, ex jam dictis, in his sita est potestas excellentiæ. Ergo.

Notandum tamen est hanc *potestatem excellentiæ* puro homini communicari non posse, in ea perfectione et eminentia, quæ Christo competit. Et ratio evidens est : Christus enim, ut homo, est instrumentum conjunctum, et ratione ejus conjunctionis ad divinitatem, actiones meritorias et satisfactorias infiniti valoris elicere potest. At purus homo, quantavis gratia polleret, esset instrumentum separatum; quod proinde principium meriti infiniti esse non potest.

CAPUT II.

DE MATERIA ET FORMA SACRAMENTORUM.

17. Status quæstionis. Quemadmodum in compositis physicis materia ex se indeterminata et indifferens ad certam spe-

ciem determinatur per formam, similiter in sacramentis novæ Legis, videre est rem aliquam in ratione significandi adhuc ex se indeterminatam et indifferentem, quippe quæ assumi possit ad diversas significationes, per verba determinari ad esse sacramentale. Juxta hanc similitudinem sacramenta novæ Legis *materia* et *forma* constare dicuntur.

Unde nomine *materiæ* in sacramentis designatur *res sensibilis, quæ ex Christi institutione ad esse sacramentale elevari potest.* Dicitur — 1. *Res sensibilis*, ordinarie physica, ut aqua in baptismo, quandoque moralis, ut consensus in matrimonio. — 2. *Quæ ad esse sacramentale elevari potest*, id est, quæ, accedente verbo, quod eam determinat et perficit, fit sacramentum. — 3. *Ex Christi institutione*, seu non res quælibet, sed illa solum, quam Christus adhiberi voluit ad gratiam significandam et producendam.

Materia duplex est : *remota*, id est, res determinabilis ad esse sacramentale in se considerata, v. g., aqua pro baptismo. — *Proxima*, id est, res quæ incipit applicari ad esse sacramentale, seu est applicatio materiæ remotæ ad subjectum sacramenti, v. g., ablutio in baptismo.

Nomine vero *formæ* generatim veniunt *verba sive formalia, sive æquivalentia, quæ materiam ad esse sacramentale determinant et elevant.* Verborum *æquivalentium* exemplum habes in muto matrimonium signis contrahente.

His præmissis, circa materiam et formam sacramentorum, tria veniunt investiganda, scilicet : — 1° an omnia sacramenta materia et forma constent; — 2° an Christus omnium et singulorum sacramentorum novæ Legis materiam et formam specifice determinaverit; — 3° quænam regulæ servandæ sint in adhibendis materia et forma sacramentorum.

ARTICULUS I.

De veritate materiæ et formæ.

18. Doctrina tenenda circa præsentem materiam sequenti assertione contrahi potest :

Assertio : *Omnia novæ Legis sacramenta rebus et verbis cons-*

tant, rebus quidem tanquam materia et verbis tanquam forma.

PROBATUR PRIMA PARS, nempe omnia sacramenta *rebus constare*,

1. *Script. Sacra*, quæ omnia sacramenta exponit per res sensibiles.

2. *Ratione.* Nam sapientia divina unicuique providet secundum modum suæ naturæ : atqui connaturale est homini, ut per sensibilia perveniat ad cognitionem spiritualium et intelligibilium. Ergo, cum res, quæ per sacramenta significantur, sint spirituales et intelligibiles, conveniens fuit ut sacramenta instituerentur in rebus sensibilibus (Cf. S. Thomas, 3. p. q. 60, art. 4).

SECUNDA PARS, scilicet novæ Legis sacramenta *verbis* etiam *perfici*, probatur quoque

1. *Script. Sacra,* in qua haud obscure innuitur signa sacramentalia duplici parte, scilicet rebus et verbis constare : sic, ne plura afferamus, Christus apostolis præcepit ut baptismum *aquæ* conferrent in nomine *Patris, et Filii et Spiritus Sancti.* Unde B. Paulus de eodem sacramento loquens (*Eph.*, v, 26) dicit : « Christus dilexit Ecclesiam et tradidit semet-» ipsum pro ea, mundans *lavacro aquæ in verbo vitæ.* » Similia reperies de cæteris sacramentis.

2. *Auctoritate SS. Patrum*, pro quibus sit S. Augustinus, cujus verba ea de re omnibus nota sunt : « Detrahe verbum, et quid est aqua, nisi aqua? Accedit *verbum* ad *elementum*, et fit sacramentum... Unde tanta virtus *aquæ*, ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente *verbo?* » His verbis haud obscure designatur duplex sacramentorum elementum.

3. *Ratione.* Non alia sane assignari potest ratio cur sacramenta novæ Legis rebus et verbis constent, præter voluntatem Christi sacramenta instituentis. Attamen S. Thomas (3 p. q. 60, art. 6) optimas affert congruentias hujusce institutionis : « Sacramenta, inquit, adhibentur ad hominum sanctificationem sicut quædam signa. Tripliciter ergo considerari possunt, et quolibet modo congruit eis quod verba rebus sensibilibus adjungantur. — *Primo* enim possunt considerari ex parte *causæ sanctificantis*, quæ est verbum incarnatum, cui sacra-

mentum quodam modo conformatur in hoc quod rei sensibili verbum adhibetur, sicut in mysterio Incarnationis carni sensibili est Verbum Dei unitum. — *Secundo* possunt considerari sacramenta ex parte *hominis qui sanctificatur*, qui componitur ex anima et corpore, cui proportionatur sacramentalis medicina, quæ per rem visibilem corpus tangit et per verbum ab anima creditur... — *Tertio* possunt considerari ex parte ipsius *significationis sacramentalis*. Dixit autem Augustinus quod verba inter homines obtinuerunt *principatum significandi*, quia verba diversimode formari possunt ad significandos diversos conceptus mentis, et propter hoc per verba magis distincte possumus exprimere, quod mente concipimus. Et ideo ad perfectionem significationis sacramentalis necesse fuit, ut significatio rerum sensibilium per aliqua verba determinaretur. »

Tertia pars, quod nempe in sacramentis *res materiæ* et *verba formæ* rationem habeant, constat

1. *Definitionibus conciliorum :* Nam concilium Florent. in decreto ad Armenos sic se habet : « Hæc omnia sacramenta tribus perficiuntur, *rebus* tanquam *materia*, et *verbis* tanquam *forma*, et persona ministri conficientis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia ; quorum si aliquid desit, non perficitur sacramentum. » — Concilium Tridentinum (sess. 14, cap. 3) idem confirmat dum ait : « Docet præterea S. Synodus sacramenti pœnitentiæ *formam*, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse : *Ego te absolvo*... Sunt autem *quasi materia* hujus sacramenti ipsius pœnitentis actus. »

2. *Ratione*. Nam in omni composito illud habet rationem *materiæ*, quod est determinabile et perfectibile per aliud ; illud vero habet rationem *formæ*, quod est alterius determinativum et perfectivum : atqui in omnibus sacramentis novæ Legis res determinantur et perficiuntur per verba. Ergo in sacramentis res *materiæ*, verba autem *formæ* rationem habent. (Cf. S. Thomas, 3 p. q. 60, art. 6).

19. Scholium. Notandum volumus has voces *materia et forma*, respective ad sacramenta, non semper in usu fuisse. Primus qui illas ad explicandas partes sacramentorum consti-

tutivas usurpavit, citari solet Gulielmus Antissiodorensis, circa annum 1215. Quod nunc vocamus materiam et formam, antiqui scriptores appellabant *symbola mystica*, *verbum et elementum*, *res et verba*, *signum et rem invisibilem*.

ARTICULUS II.

De determinatione materiæ et formæ.

20. Status quæstionis. Cum ex antea dictis certum sit omnia novæ Legis sacramenta a Christo Jesu instituta fuisse, indubium est ipsummet etiam materiam et formam, seu partes essentiales sacramentorum, determinasse. At duplici modo potuit Christus cujusvis sacramenti materiam et formam determinare, scilicet : vel *in genere*, statuendo in tali vel tali sacramento assumendum esse signum aliquod ad gratiam hujus sacramenti significandam idoneum, electionem vero hujus signi Ecclesiæ relinquendo; vel *in specie*, per se ipsum indicando signum adhibendum, addita lege eo semper utendi. Hoc posito :

Certum est — 1. materiam et formam omnium sacramentorum aliquo modo a Christo determinatas fuisse; aliter dici non posset sacramenta ab eo instituta fuisse. Adde sacramentum esse essentialiter signum ex divina *institutione* significans : porro nisi Christus materiam et formam sacramentorum aliquo modo determinaverit, jam non essent signa ex divina *institutione*.

Certum est — 2. Christum materiam et formam baptismi et Eucharistiæ in specie determinasse; illud ex Evangeliis aperte constat.

Certum est — 3. formas sacramentorum non determinatas fuisse *materialiter*, id est, quoad sonum et idioma, sed *formaliter*, seu quoad sensum et significationem. Imo constat apud omnes sensum hunc non ita certis verbis a Christo alligatum fuisse, ut non possit nisi certa verborum specie exprimi.

At valde inter theologos controvertitur, utrum quod Christus relative ad baptismum et Eucharistiam fecit, id etiam egerit quoad alia sacramenta. Non pauci, sive inter veteres, sive inter

recentes, arbitrati sunt quorumdam sacramentorum materiam et formam nonnisi in genere a Christo Domino institutas fuisse, relicta Ecclesiæ potestate easdem in specie determinandi; ratio vero dubitandi ex eo præsertim orta fuit, quod sacramentum ordinis non iisdem materia et forma a Græcis etiam Catholicis conferri videatur, quibus in Ecclesia Latina nunc confertur.

Attamen communius admittitur Christum Jesum omnium sacramentorum materiam et formam in specie determinavisse. Sit proinde sequens

21. Assertio : *Probabilius Christus in specie determinavit materiam et formam omnium novæ Legis sacramentorum.*

Prob. 1. *Ex verbis Concilii Tridentini* declarantis (in cap. 2, sess. XXII) hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, *salva illorum substantia*, ea statueret vel mutaret, quæ... pro rerum, temporum et locorum varietate magis expedire judicaret. Unde sic : Ex Tridentino Ecclesia nihil potest in *substantiam* sacramentorum : atqui si materiæ et formæ determinatio Ecclesiæ permissa fuisset, multum sane posset Ecclesia in *substantiam* sacramentorum; eadem enim potestate et libertate, qua usa fuisset ad partes *substantiales* signi sacramentalis constituendas, uti posset ad unam vel utramque immutandam. Ergo.

Prob. 2. *Auctoritate S. Thomæ* qui expendens (3 p., q. 60, art. 5) utrum requirantur determinatæ res ad sacramenta, ita concludit : « Quia ergo sanctificatio hominis est in potestate Dei sanctificantis, non pertinet ad hominem suo judicio assumere res, quibus sanctificetur, sed hoc debet esse *ex institutione divina* determinatum. Et ideo in sacramentis novæ Legis, quibus homines sanctificantur, secundum illud (I *Cor.*, VI, 11) : « Abluti estis, sanctificatis estis, » oportet uti rebus ex divina institutione determinatis. »

Prob. 3. *Ratione*. Nam si Christus Ecclesiæ materiæ et formæ determinationem reliquisset, Scriptura aut Traditio de hujus potestatis concessione et exercitio mentionem facerent; atqui nec ex Scriptura, nec ex Traditione colligi potest talem potestatem a Christo datam fuisse, et ab Ecclesia exercitam. Ergo

— Etvero præcipuum sententiæ oppositæ fundamentum situm est in discrepantia quæ inter Ecclesiam Latinam et Græcam invenitur, præsertim in collatione sacramenti ordinis : atqui in Tractatu *de Ordine* ostenditur diversitatem, de qua agitur, non esse substantialem. Ergo. — Denique illud magis congruit dignitati sacramentorum, ideoque haud leviter præsumitur.

ARTICULUS III.

De recto usu materiæ et formæ.

Ex hactenus dictis de materia et forma sacramentorum, plurima et quidem maximi momenti defluunt consectaria practica circa rectum materiæ et formæ usum. Quæ quidem respiciunt — tum unionem, quæ inter materiam et formam adesse debet, — tum mutationes quæ in materia et forma accidere possunt, — tum denique iterationem materiæ et formæ. Itaque :

§ I. De unione inter materiam et formam.

22. Status quæstionis. Modo probatum fuit sacramenta novæ Legis rebus et verbis, tanquam materia et forma, perfici; consequens igitur est unionem requiri inter utramque; in omni enim composito materia et forma certo uniri debent. — Cum autem sacramenta rationem habeant compositi non physici, sed moralis, ea unio inter res et verba sufficit, quæ secundum hominum æstimationem adesse debet, ut unum signum sacramentale efformetur.

At quæstio est, et quidem valde practica, quandonam habeatur talis unio. Pro cujus solutione sit sequens

23. Principium : *Tunc habetur unio requisita materiam inter et formam, cum attenta uniuscujusque sacramenti natura, secundum communem loquendi modum, salvatur veritas formæ.*

Ratio est quia dummodo verba formæ verificentur, nihil deest ut adsit significatio sacramentalis; e contra, si veritas formæ non salvetur, tollitur omnis significatio, ac proinde ipsum sacramentum. — Cum autem sacramenta non ejusdem sint naturæ, manifestum est ad servandam veritatem formæ non eam-

dem requiri unionem inter materiam et formam; quod magis patebit, si sigillatim expendantur singula sacramenta, nempe :

1. In baptismo, confirmatione, extrema-unctione et Ordine, in quibus verba formæ actualem materiæ applicationem significant, requiritur unio, quæ, quamvis latitudinem quamdam admittat, non patitur nisi omnino breve intervallum. Unde in his sacramentis, si inter materiam et formam intercedat parva morula, v. g., *unius ave*, quibusdam videtur adhuc perfici sacramentum; secus vero, si longius tempus intercedat. Attamen non desunt theologi, qui volunt res et verba unione quasi physica conjungi, scilicet, ita ut verba formæ incipiantur, antequam desierit materiæ applicatio, nec cesset formæ prolatio quin incœpta fuerit applicatio materiæ. Exinde inferendum est dubiam esse confectionem prædictorum sacramentorum, si secus factum fuerit.

2. In pœnitentia et matrimonio sufficit unio moralis, quæ in judiciis et contractibus exigitur. Pœnitentia enim per modum judicii instituta est; matrimonium vero ipse est contractus matrimonialis ad dignitatem sacramenti evectus.

3. Quod attinet ad Eucharistiam, pronomina *hoc* et *hic* sat indicant materiam debere esse physice præsentem, ut verificetur forma.

24. Corollarium. Ex his omnibus colligitur materiam formæ præponendam esse in Sacramentis Eucharistiæ et pœnitentiæ, quia in Eucharistia, pronomina *hoc* et *hic* evidenter materiam præsupponunt; in sacramento autem pœnitentiæ contritio et confessio absolutionem præcedere debent, ut verificetur.

Sed aliter dicendum est de aliis sacramentis; vera enim remanet forma, modo materia tunc applicetur, cum proferuntur verba formæ.

Cæterum consultum est sacramentorum ministris, ut in eorum collatione adhibere curent majorem quam possunt materiæ et formæ coexistentiam. In sacramentis baptismi, confirmationis, ordinis et extremæ-unctionis, applicando materiam, formam proferant; in sacramento pœnitentiæ, peracta confessione, imposita et acceptata satisfactione, statim absolutionem impendant; in matrimonio, post expressum consensum unius,

alter e vestigio suum exprimat. Cum enim materia et forma debeant constituere unum signum sacramentale, consultum est ut meliori, quo possunt modo, conjungantur (Cf. Billuart et Rit. Rom.).

§ II. De mutatione in materia et forma sacramentorum.

25. Status quæstionis. Ex supra dictis de determinatione materiæ et formæ sacramentorum per Christum, immediate fluit, iis rebus et verbis in sacramentis conficiendis utendum esse, quæ a Christo instituta fuerunt. Ad majorem vero hujus rei elucidationem, abs re non erit hic expendere : 1. An et quæ mutatio in materia vel forma tollat sacramenti veritatem; — 2. Quale peccatum sit mutare materiam et formam sacramentorum; — 3. An et quatenus adhibere liceat materiam dubiam.

I. *An et quæ mutatio in materia et forma tollat sacramenti veritatem?*

26. In materia et forma sacramentorum duplex mutatio fieri potest : una substantialis, accidentalis altera. Jam vero certum est omnem mutationem substantialem tollere veritatem sacramenti; secus autem, si mutatio sit tantum accidentalis. Tota igitur quæstio in eo est, quandonam mutatio substantialis dicenda sit. Ut illud facilius dijudicetur, quasdam regulas hic apponere juvat. Unde :

27. Regula 1ª : *Materia sacramenti mutatur substantialiter, quando secundum communem usum et prudentium existimationem, ejusdem non est speciei cum ea materia quam Christus determinavit, et quam usurpat Ecclesia; vel quando, licet sit eadem materia physica, destruitur significatio sacramenti.* Ratio est quia in hoc ultimo casu non servatur moraliter sacramentum a Christo institutum et ab Ecclesia adhibitum.

Hinc — 1. invalidum erit, v. g., baptisma, si loco aquæ adhibeatur vinum vel sicera.

Hinc — 2. rursus invalidum erit baptisma, si adhibeatur glacies, quia significatio sacramenti requirit, ut baptismus conferatur per modum ablutionis corporalis : atqui glacies, ut glacies, ad hanc ablutionem corporalem inepta est.

Hinc — 3. validus est baptimus collatus cum aqua frigida aut calida, benedicta aut non benedicta.

28. Regula 2ª : *Forma substantialiter mutatur, quando, ex communi et prudenti hominum judicio, non retinet eumdem sensum ac verba a Christo Domino instituta, et ab Ecclesia usurpata.* — Patet.

Mutatio essentialis in forma contingere potest sex præsertim modis, prout his indicatur versiculis :

> Nil formæ demas, nil addas, nil variabis,
> Transmutare cave, corrumpere verba, morari.

1. *Omissione* alicujus vocis essentialis ; ut si quis baptizans omitteret unam ex personis SS. Trinitatis. — 2. *Additione* quorumdam verborum, quibus legitimæ formæ sensus destruatur; v. g., si baptismus daretur in nomine Patris increati et Filii *creati* — 3. *Variatione*, si loco alicujus verbi formæ aliud verbum, quod sensum formæ corrumperet, admitteretur, v. g., si in baptismo loco vocis *te baptizo*, diceretur *te absolvo*. — 4. *Transpositione*, per quam turbetur et auferatur formæ sensus; v. g., si quis diceret : *In te baptizo* nomine Patris. — 5. *Corruptione* totali alicujus termini essentialis, v. g., ego te baptizo in nomine *Matris*. — 6. *Interruptione notabilis*; v. g., si prolatis illis vocibus : *ego te baptizo*, post quadrantem adderetur : *in nomine Patris*. — Quæ omnia, etiamsi ignoranter et inculpate fierent, invalidum reddunt sacramentum, quia deest forma sacramenti essentialis.

Contra vero, si forma, prudentium judicio, eumdem sensum cum verbis a Christo institutis et ab Ecclesia usurpatis retineat, qualiscumque adveniat mutatio, erit solummodo accidentalis. Quare mutatio est solum accidentalis. — 1. *Omissione* vocis accidentalis, v. g., si omitteretur vox *ego* in baptismo.— 2. *Additione* vocis indifferentis, v. g., ego te baptizo in nomine Patris *omnipotentis* et Filii *ejus unigeniti*. — 3. *Variatione*, si quis idioma mutet, quo in tali regione sacramenta solent administrari, imo quamvis jungat verba diversi idiomatis, latine, græce et gallice loquendo, vel si verba synonyma adhibeat; v. g., *ego te abluo*. — 4. *Transpositione ;* v. g., ego baptizo

te in nomine. — 5. *Corruptione*. Si sacerdos ex Vasconia oriundus diceret : ego te *vaptizo*. — 6. *Interruptione* levissima, quæ medium unius *Ave* spatium non excederet.

29. Regula 3ª : *Si formæ sacramentali inseratur vel addatur vox æquivoca, valor sacramenti pendet ab intentione ministri; quod si minister vocem illam intelligat in sensu erroneo, et legitimæ formæ destructivo, invalidum erit sacramentum; validum autem, si eam in sensu legitimo intelligat.* — Ratio est quia, cum forma supponatur æquivoca, tam in bonam, quam in malam partem, inflecti potest; ergo inquirenda est mens ministri, a quo potissimum formæ ab ipso prolatæ sensus pendere debet. Ita respondit S. Pontifex Zacharias ad Bonifacium, episcopum Moguntinum, super eo sacerdote qui baptizaverat in nomine *patria, et filia et spiritua sancta*.

30. Scholium. 1. Si minister aliquam faciat mutationem accidentalem quam essentialem judicat, et ex *inadvertentia* vel *ignorantia* agat, valet sacramentum; nihil enim illi deest neque ex parte materiæ aut formæ, neque ex parte ministri; — si autem *scienter* egisset minister, tunc ex hypothesi intentionis necessariæ in ministro, de qua infra, sacramentum esset probabilius invalidum ob intentionis defectum; quomodo nempe minister qui sciens et volens mutationem, quam essentialem judicat, facit, dici potest habere intentionem internam conficiendi sacramentum? — 2. Si minister aliquam mutationem faciat cum intentione ritum hæreticum vel superstitiosum introducendi, tunc vel hæc mutatio est essentialis, et invalidum fit sacramentum; vel accidentalis, et validum est; vel dubia, et irritum evadit sacramentum ex regula tertia.

II. *Quale peccatum sit mutare materiam et formam sacramentorum?*

31. Principium I^um^. *Omnis mutatio substantialis peccatum est mortale ex toto genere suo, quod tamen fit veniale ob imperfectionem actus, scilicet, defectu advertentiæ et voluntatis.*

Ratio est, quia talis mutatio, utpote rei sanctissimæ profanatio, gravis est injuria Christo illata, quæ nullam materiæ parvitatem admittere potest. Attamen evidens est voluntarii imperfectionem a mortali excusare, sicut et in omni actu pec-

caminoso; sed in ministris ex officio raro excusat ignorantia, cum ipsi scire teneantur ea quæ sunt sui officii.

32. Principium II^um^. *Mutatio accidentalis est peccatum ex genere suo mortale.*

Ratio est quia etiam in hoc casu datur profanatio rei sacræ, quæ tanta esse potest, ut gravem erga Christum aut Ecclesiam, cui sacramentorum cura et honor committuntur, injuriam contineat.

Dixi autem *ex genere suo*, quia adeo levis esse potest mutatio ut nonnisi pro veniali ab omnibus æstimetur. Quandonam vero detur materiæ levitas, certa regula assignari nequit, et ex judicio prudentum res determinanda est. Hinc multi dicunt peccatum esse tantum veniale, si quis in forma consecrationis vocem *enim* omitteret; secus vero mortale esse, si lingua vulgari consecraret, si in forma calicis omitteret *qui pro vobis effundetur*. Attendendum est igitur ad rigorem usus aut præcepti, quantitatem scandali aut contemptus.

III. *An et quatenus adhibere liceat materiam dubiam?*

33. Materia dubia illa est quæ aliquam habet affinitatem cum materia a Christo instituta et ab Ecclesia usurpata, sed de qua dubium movetur, an ad validam sacramenti administrationem sufficiat. Quid de ea sentendium sit, sequentes assertiones declarabunt.

34. Assertio 1^a^: *Nunquam licet materiam dubiam adhibere, quoties datur materia certa.*

PROB. 1. *Damnatione propositionis* sequentis ab Innocentio XI n. 1: « Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiori, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione baptismi, ordinis sacerdotalis aut episcopalis. » Unde sequitur quod non liceat uti materia probabili de valore sacramenti, relicta tutiori, pro ullo sacramento, etiamsi illud non vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi.

PROB. 2. *Rat. th.* Nam sine causa et necessitate non licet sacramenta exponere nullitatis periculo; quod sane accideret in

prædicta hypothesi : quantacumque enim sit probabilitas pro materiæ valore, nullum tamen effectum sortietur, si de facto non sit sacramenti realis ac vera materia; ac proinde imprudenter eligitur, cum detur tutior materia. — Insuper non possunt suscipientes sine gravi injuria periculo subjacere gratiæ non suscipiendæ.

35. Assertio 2ª: *Materia dubia uti licet, deficiente materia certa, gravique aliunde urgente necessitate.*

Prob. 1. *Praxi Ecclesiæ*; nam semper collata fuerunt sacramenta cum materia dubia in casu necessitatis physicæ vel moralis; sic, v. g., in mortis articulo confertur licite baptismus cum aqua dubia, si desit certa.

Prob. 2. *Ex fine sacramentorum* ; sacramenta namque pro hominum utilitate condita fuerunt : unde potius nullitati exponenda sunt, quam homo damnationi; ergo.

Dicitur : *Gravi urgente necessitate :* sola enim necessitas causa esse potest, cur sacramentum nullitati exponi possit. Unde, ut judicetur quandonam sacramentum nullitati exponi possit, valde attendendum est ad gradum necessitatis, quæ eo major esse debet, quo proximius est nullitatis periculum. Hæc vero necessitas præsertim adest in sacramentis quæ sunt de necessitate medii, baptismo scilicet et pœnitentia. Idem dicendum est de extrema-unctione, quæ aliquando supplet pœnitentiæ sacramentum.

§ III. De iteratione materiæ et formæ sacramentorum.

Hic inquirendum venit quandonam et quomodo sacramenta iteranda sunt.

I. *Quandonam sacramenta iteranda sint?*

36. — I. *Sacramenta iterari nequeunt sine peccato gravi, quando non datur dubium prudens de eorum validitate, et notabilis ratio ea iterandi.* Ratio est, quia sacramenta sancte tractanda sunt, nec inani de causa applicandæ sunt eorum materia et forma, cum probabili periculo inefficaciæ.

Unde S. Lig. ait (lib. 6, n. 28) : « Commune est peccatum esse mortale ministrare sacramenta (sub conditione), si non

adsit causa necessitatis, vel gravis utilitatis; illicitum est enim, sine tali causa, sacramentum conficere cum dubio effectus. »

37. — II. *Sacramenta iterari debent quoties, dato gravi de eorum valore dubio, eorum iterationem exigunt caritas, justitia aut religio: — caritas*, v. g., si ageretur de baptismate et de infante mox morituro; — *justitia*, v. g., si parochus parochiano suo rite disposito dubie sacramentum pœnitentiæ ministrasset; — *religio*, si quæstio sit de sacrificio Missæ dubie confecto. — Ratio est quia *caritas*, *justitia* et *religio*, cum tunc urgeant, motiva sunt sufficentia ut exponantur periculo nullitatis sacramenta, quæ propter homines fuerunt instituta.

38. — III. Ex his vero principiis hæc fluunt consectaria :

1. Facilius iteranda sunt sacramenta magis necessaria, et quæ semel tantum conferuntur, scilicet *baptismus*, et *ordo*, etiamsi pro valore sacramenti militet multo major probabilitas contra rationes dubie aut tenuiter probabiles in oppositum. Ita communiter.

2. Iteranda est *absolutio* in pœnitentem in statu peccati mortalis jacentem, si prudenter dubitetur de prolatione debita formæ. Si autem pœnitens non sit in statu peccati mortalis, formam repetere necesse non erit, cum ei communio permitti potuisset, quin prius absolveretur.

3. Minister qui leviter dubitat, nescitque cur timeat, aut solum non recordatur *reflexe* se verba formæ pronuntiasse, mortaliter *per se* peccat, si formam iteret, aut etiam verbum unum aut syllabam bis, ter aut quater repetat, quia formam mutat, inducitque Christum, quem repræsentat, ridicule agentem. Ita communiter. — Dicitur *per se*, quia ob animi perturbationem vel anxietatem a mortali facile excusari potest.

4. Si in *Missa*, post consecrationem, dubium tibi oriatur de formæ debita prolatione, vel de totali omissione, nihil repetere debes, nec potes, cum alias hæc omittere non soleas : judicandum enim est ex communiter contingentibus.

II. *Quomodo sacramenta iteranda sint?*

39. — I. Quoties sacramentum dubie confectum iteratur,

conditio saltem mentalis apponenda est. Ratio est, quia per conditionis appositionem, salvatur reverentia sacramenti, si forte validum fuerit, cum in ministro desit intentio sacramentum ministrandi, deficiente conditione; simulque providetur bono suscipientis, si forte prius sacramentum invalidum fuerit.

40. — II. Quoad vero conditionis expressionem, seu, quod idem est, quoad usum formæ conditionalis, certum est hujusmodi formam sub conditione prolatam, v. g., *si non es baptizatus, ego te baptizo*, septem vel octo primis Ecclesiæ sæculis, prorsus inauditam fuisse. Illud probant eruditi plurimis documentis. At, a tempore Gregorii IX, in omnibus Latinorum Ecclesiis, invaluit praxis quædam sacramenta cum conditione expressa ministrandi; scilicet, primum usurpata est pro sacramentis, quæ iterari non possunt, ob characterem quem imprimunt; deinde, tracta est ad alia etiam sacramenta, præsertim pœnitentiæ, quando nempe confessarius dubitat an formam protulerit, vel quando fidelis moribundus subito privatur usu sensuum, nec potest haberi materia certa.

Igitur, ex usu Ecclesiæ ubique recepto, merito usurpatur forma conditionalis. Prudenter tamen est adhibenda, nec nisi post accuratum examen an sacramentum sit vere dubium, præsertim in sacramentis, quæ non possunt iterari (Cf. Billuart).

41. — III. Disputant vero theologi an conditionis expressio, quando sacramenta iterantur, sit de præcepto. Rituale Romanum de ea mentionem non facit pro sacramentis a baptismo distinctis, nec de facto ordinarie exprimitur, quando hæc sacramenta iterantur. Imo communius dicunt auctores nullatenus requiri, ut in iterando baptismo conditio ore exprimatur, nisi iteratio publice fiat. Tutius est tamen eam semper exprimere.

CAPUT III.

DE SACRAMENTORUM EFFECTIBUS.

Duplex est effectus sacramentorum, gratia scilicet et character. De utroque dicemus in duplici articulo.

ARTICULUS I.

De gratia quam sacramenta producunt.

42. Exponitur quæstio. Agitur imprimis de gratia sanctificante; quam quidem sacramentis novæ Legis produci asserit Tridentina Synodus, quando docet (sess. 7 in procemio) « septem esse sacramenta, per quæ omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur. » De hujusmodi vero gratia, theologi tria potissimum inquirere solent, nempe : — 1. Quomodo sacramenta novæ Legis gratiam conferant; — 2. Qualem gratiam singula sacramenta conferant; — 3. An et quatenus sacramenta cum obice recepta, remoto obice, quoad gratiam reviviscant.

§ I. Quomodo sacramenta novæ legis gratiam conferant?

43. Quæstio est an sacramenta producant gratiam *ex opere operato*, vel *ex opere operantis*.

Gratia producitur *ex opere operato*, si confertur vi ipsius operis peracti per virtutem supernaturaliter communicatam, ultra meritum ministrantis et recipientis; non tamen sine dispositionibus ex parte subjecti requisitis, sed ita ut opus externum sit causa collationis gratiæ, et dispositiones utriusque se habeant ut conditiones prærequisitæ ad removendum obicem. Hinc *opus operatum* est ipsummet sacramentum subjecto debite applicatum.

E contra gratia producitur *ex opere operantis*, si causatur vi meriti conficientis vel suscipientis sacramentum, ita ut dispo-

sitiones utriusque se habeant ut causæ meritoriæ, ac proinde morales, gratiæ collatæ.

44. His enucleatis, contra Protestantes, qui asserentes homines sola fide justificari, consequenter denegant sacramentis vim justitiæ conferendæ, contenduntque ea solum valere ad excitandam fidem, qua homines justificantur, sequens statuitur

Assertio : *Sacramenta novæ legis ex opere operato gratiam conferunt obicem non ponentibus.*

Est de fide; ait enim conc. Trid. (sess. 7, can. 8) : « Si quis dixerit per ipsa novæ legis sacramenta *ex opere operato non conferri gratiam*... anathema sit. » Et (can. 6) : « Si quis dixerit sacramenta novæ legis non *continere* gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non *conferre*, quasi *signa tantum externa* sint acceptæ per fidem gratiæ vel justitiæ, et *notæ quædam* christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus : anathema sit.

Prob. 1. *Script. Sacra.* — (*Joan.*, III, 5) : « Nisi quis *rena-* » *tus* fuerit ex aqua et Spiritus S. non potest introire in regnum » Dei. » — (*Eph.*, V, 26) : « Mundans *lavacro* aquæ in *verbo* » *vitæ*. » — (II *Tim.*, I, 6) : « Admoneo te, ut resuscites gra- » tiam Dei, quæ est in te *per impositionem manuum* mearum. » Unde sic : In textibus citatis non tantum affirmatur gratiam conferri, positis lavacro aquæ vel impositione manuum, sed etiam ipsi operi externo seu sacramento externe peracto tanquam causæ saltem instrumentali tribuitur gratia : porro gratia sic concessa dicitur *ex opere operato* collata; ergo sunt sacramenta *ex opere operato* gratiam producentia; ergo et de omnibus sacramentis idem dicendum est, cum non sit specialis ratio hanc operationem ad quædam sacramenta restringendi; cæterum de hoc fusius in Tractatu de quolibet sacramento in specie.

Prob. 2. *Traditione.* Tertullianus (lib. *de Bapt.*, cap. 4) hæc habet : « Supervenit Spiritus de cœlis, et aquis superest, sanctificans eas de semetipso, *et ita sanctificatæ vim sanctificandi combibunt* »; et (*de Resur. carnis. cap.* 8) : « Caro abluiIII. 3

tur, *ut anima immaculetur;* caro ungitur, *ut anima consecretur*, caro saginatur, *ut anima muniatur*. Caro manus impositione adumbratur, *ut anima spiritu illuminetur*; caro corpore et sanguine Christi vescitur, *ut et anima* de Deo *saginetur*. » — S. Gregorius Nyssenus (*Orat. in baptism. Christi*), ait : « Baptisma *peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renovationis et regenerationis causa.* » — S. Augustinus (lib. 4, *contra Cresconium*, cap. 19), dicit : « Non eorum meritis a quibus ministratur, nec eorum quibus ministratur constat baptismus, *sed propria sanctitate atque veritate,* propter eum a quo institutus est. » Et (Tract. 89 *in Joan.*, n. 3) : « Unde *tanta virtus aquæ*, ut corpus tangat et *cor abluat?* » — S. Leo (serm. 5. in Nativ. Dom.) sic se habet : « Originem quam sumpsit (Filius Dei) in utero virginis, posuit in fonte baptismatis ; *dedit aquæ*, quod dedit matri; virtus enim altissimi... quæ fecit ut Maria pareret, eadem facit ut *regeneret* unda credentem. » Et in alio loco : « Omni homini renascenti aqua baptismatis *instar est virginalis uteri*, eodem spiritu replente fontem, qui replevit et virginem. » Jam vero, si sacramenta externe tantum agerent, movendo et excitando fidem, nec gratiam producerent vi operis peracti, hæc et similia de illis ridicule necnon et falso dicerentur. Ergo ex Traditione sacramenta *ex opere operato* gratiam conferunt.

Prob. 3. *Rat. theol.* Si sacramenta gratiam non producerent *ex opere operato,* hoc sane foret in adversariorum mente quia illam conferunt vi meriti suscipientis vel administrantis, quatenus nempe suscipientis vel conficientis fides verbis et ritibus excitatur, et hac fide Deus movetur ad concedendam gratiam : porro illud est falsum ex parte sive suscipientis, sive conficientis sacramentum. — *Ex parte suscipientis :* si gratia non concederetur, nisi quia ritibus sacramenti excitata fuerit fides suscipientis, inde sequeretur non valere baptismum collatum, sive pueris nondum rationis usum adeptis ; sive dormientibus, amentibus, uno verbo iis omnibus qui rationis usu orbantur ; sive iis qui ignorant linguam, qua utitur minister in conferendo sacramento. Jam vero hæc consectaria nunquam in Ecclesia admissa fuerunt, nec etiam ab ipsis protestantibus. —

Ex parte conficientis sacramentum; etenim inde sequeretur rebaptizandos esse eos omnes, qui baptisma ab hæreticis acceperunt, quod semper prohibuit ac prohibet Ecclesia; atque invalidum esse baptismum, si baptizans lingua sibi ignota utatur, quod ad omnibus rejicitur. Ergo.

45. Obj. 1. In multis Scripturæ locis justificatio, seu gratiæ collatio, fidei tribuitur (*Rom.*, III, 28): « Arbitramur justificari » hominem per fidem; » ergo sacramenta ex opere operato non operantur. — Resp. *dist. ant.* Gratia vel justificatio tribuuntur fidei tanquam dispositioni, qua adultus se ad justificationem præparat, et conditioni, sine qua nihil operarentur sacramenta, *conc.;* tribuuntur fidei tanquam causæ proprie dictæ et soli justificationis, *nego* (Vide Tract. *de Gratia*).

Obj. 2. Si sacramenta causant gratiam ex opere operato, inutiles sunt ad justificationem fides, spes et contritio. Atqui falsum consequens, ergo et antecedens. — Resp. *neg.* sequelam majoris. Quia hi actus in adultis a Christo exiguntur ut dispositiones necessariæ ad gratiam in sacramentis recipiendam, non autem tanquam gratiæ sacramentalis causæ. Sic ignis lignum per suam vim comburit, et tamen ut illud comburat, prærequiruntur ex parte ligni siccitas et approximatio.

Obj. 3. Piæ animi dispositiones sunt actus boni et supernaturales; atqui actus bonus et supernaturalis quilibet meretur gratiam, saltem de congruo, et quidem eo uberiorem quo ille sanctior est; ergo in sacramentis gratia confertur non ex opere operato, sed ex merito suscipientis. — Resp. *dist.* Actus supernaturalis meretur gratiam, sed non sacramentalem, *conc.;* sacramentalem, *nego.* Præter gratiam quæ singulis actibus supernaturalibus, sive intra sacramentum, sive extra sacramentum, respondet, alia est gratia sacramenti propria, quæ nonnisi ex sacramenti applicatione percipitur. Sic vir attritus in sacramento pœnitentiæ justificationem accipit, quæ non attritioni, sed solum sacramenti virtuti et efficaciæ tribuenda est.

Obj. 4. Vox illa *ex opere operato* recens est et veteribus inaudita : porro vitari debent voces novæ in Ecclesia, dicente

Apostolo (I *Tim.*, VI, 20) : « O Timothee, depositum custodi, » devitans profanas vocum novitates. » Ergo. — RESP. Devitandæ sunt voces novæ quæ significant doctrinas cum revelatione pugnantes, *conc.*; voces quæ antiquam Ecclesiæ doctrinam exprimunt, *subdist.* in symbolis fidei, sine sufficienti auctoritate, *conc.*; in disputationibus vel scriptis, quando specialis non est prohibitio, *nego.* Atqui vox illa *ex opere operato* est nova quoad sonum, *conc.*; quoad sensum, *nego.* Sic voces istæ *consubstantialis*, *Deipara*, ad exprimendum dogma catholicum ab Ecclesia consecratæ fuerunt, licet in Scripturis non inveniantur explicite, sed implicite tantum. — Nec attendendum an accurata secundum leges grammaticæ sit præfata locutio, « quia, ut ait S. Augustinus (*in Ps.* CXXXVIII, n. 20), melius est nos reprehendant grammatici quam non intelligant populi. » Cæterum non tam nova est ista locutio, cum ante 600 annos ab Innocentio III, de mysterio Missæ usurpata fuerit.

46. Corollaria. Ergo — 1. in collatione sacramentorum novæ Legis, non est necessario præmittenda aut adhibenda, ut pars eorum essentialis, concio qua audientes instruantur de promissionibus divinis, de sacramentorum institutione et effectibus.

Sequitur ex dictis. Adde quod infantes et amentes valide baptizentur, quin ipsis adhibeatur concio, cujus sunt incapaces.

Ergo — 2. verba formæ in sacramentis novæ Legis non sunt simpliciter promissoria et concionatoria, sed consecratoria, id est, effectiva illius quod significant. Eadem ratio est ac supra.

47. Scholium. *De causalitate physica vel morali sacramentorum.* Ex dictis sacramenta novæ Legis dicenda sunt causæ efficientes gratiæ. Causa autem efficiens multiplex est, alia scilicet physica, alia moralis : utraque iterum principalis et instrumentalis. — Causa *physica principalis* ea est quæ virtute propria per realem influxum producit effectum ; *instrumentalis* autem, quæ virtute a causa principali transeunter sibi communicata effectum attingit : sic, pictor causa physica principalis

est imaginis quam in tabellam effingit; penicillus, ejusdem imaginis depictæ causa physica instrumentalis. — Causa *principalis moralis* ea est quæ merito et dignitate sua causam physicam movet ad effectum producendum, ita ut juxta hominum existimationem, ipsi potissimum attribuatur quod causa efficiens effectum sortiatur; *instrumentalis* vero, quæ id præstat ex efficacitate causæ moralis principalis sibi communicata : sic filius regis de patre bene meritus, efflagitando veniam rei apud patrem est causa moralis principalis cur venia concedatur; epistola autem a filio regis conscripta, qua venia impetratur pro reo, est causa moralis instrumentalis ejusdem veniæ. Jam vero

Certum est — 1. Sacramenta novæ Legis non esse *causam principalem gratiæ*, nec *physicam* nec *moralem*; nam, causa principalis physica gratiæ solus Deus esse potest, ut dictum est in Tractatu *de Gratia;* ex alia parte, probatur in Tractatu *de Deo Redemptore* humanitatem Christi esse causam principalem saltem moralem gratiæ.

Certum est — 2. Sacramenta esse causam *instrumentalem saltem moralem* gratiæ. Ratio est, quia sunt moraliter actiones Christi Redemptoris, qui in eis jugiter operatur, et veluti exhibet Patri pretium nostræ salutis et merita passionis suæ. Movent igitur infallibiliter Deum ad gratiam largiendam, ac proinde vere sunt causæ morales hujus gratiæ. Attamen, cum non ex se, sed a Christo ejusque passione dignitatem et efficaciam habeant ad obtinendam gratiam, causæ morales instrumentales tantum dici queunt.

Theologi vero valde inter se disputant utrum signum ipsum sensibile ita a Deo supernaturaliter elevetur, ut per veram actionem physicam ad sanctificandos homines concurrat. Negant Scotistæ, quibus inter recentiores adhærent card. Franzelin et de Augustinis; affirmant Thomistæ, quibus accesserunt Bellarminus, Suarez et plures alii. Posterior sententia probabilior nobis videtur, utpote quæ firmari potest:

1. *Scriptura Sacra*, iis scilicet locis in quibus dicimur mundari, sanctificari et regenerari *ex aqua*, *per lavacrum regenerationis*, *lavacro aquæ in verbo vitæ*. Illæ enim particulæ *ex*,

per, et *casus ablativus* causam physicam significant, nisi aliunde manifestum sit sermonem esse de causalitate morali; porro nulla est manifesta ratio cur prædicta verba de causalitate morali intelligantur.

2. *Traditione*, videlicet — tum ex *modo loquendi conciliorum;* Florentinum enim et Trid. dicunt sacramenta gratiam *continere* et *conferre*, characterem *imprimere*, verborum Eucharistiæ *virtute confici* corpus et sanguinem Christi, etc. : atqui talis loquendi modus optime consonat cum doctrina quæ tenet sacramenta ad gratiam producendam *physice* concurrere; — tum ex *testimoniis* supra citatis *SS. Patrum*, quæ non de *morali*, sed tantum de *physica* virtute verificari possunt; — tum *auctoritate D. Thomæ*, qui (3 p. q. 62, a. 4) docet in sacramentis dari virtutem instrumentalem ad inducendum sacramentalem effectum, quæ in eo differt a virtute principalis agentis, quod hæc sit quid *permanens* et *completum* in natura, dum illa habet esse tantum *transiens* et *incompletum*; porro hoc nonnisi de causis physicis asseri potest. Quod adhuc magis patet ex solutione ad primam objectionem, ubi dicitur *virtutem spiritualem transeunter* existere posse in re *corporea* ad aliquem effectum *spiritualem* inducendum.

3. *Ratione convenientiæ*. Hæc enim causalitas sacramentis adscribenda est, quæ pertinet ad majorem dignitatem et excellentiam sacramentorum, magisque declarat efficaciam divinæ potentiæ et meritorum Christi; atqui major dignitas et excellentia sacramentorum exigit ea esse *instrumenta physica* gratiæ; alioquin non differrent a signis recordativis pacti seu promissionis, nec rationem signi transcenderent. Item efficacia divinæ potentiæ et meritorum Christi ea esse debet, ut Deus altiori modo agat per ea ac per merum signum. Ergo.

Ad solvendas vero objectiones ab adversariis propositas hæc adnotabimus : — 1. Non necesse est ut sacramentum totum simul existat, cum gratia producitur, sed sufficit ut aliquid sui remaneat. Sacramenta enim pertinent ad genus entium successivorum, quæ in ultimo suo termino et complemento intrinseco effectum suum sortiuntur. — 2. Quod si aliquando contingat sacramenta ficte suscepta reviviscere, ut infra dice-

mus, ideoque gratiam producere eo tempore quo nullo modo sunt, illud provenit vel ex charactere, pro sacramentis quæ characterem imprimunt; vel, juxta Joannem a S. Thoma, ex determinatione quadam habituali voluntatis, in cæteris sacramentis; seu potius ex causalitate morali quam supra et nos vindicavimus, et quæ sufficit, cum, ob defectum conditionum debitarum ex parte subjecti, physice agere nequeunt. — 3. Quamvis sacramentum sit subjectum corporeum, nihil obstat quin in ipso recipiatur *virtus spiritualis*, non quidem permanens et completa, sed *incompleta et fluens*, « in quantum, scilicet, ait D. Thomas, corpus potest moveri a substantia spirituali ad aliqualem effectum spiritualem inducendum » (3 p. q. 62, art. 4, ad 1).

§ II. Qualem gratiam conferant sacramenta?

48. Exponitur quæstio. Gratia sanctificans, pro diverso statu subjecti cui infunditur, *prima* vel *secunda* dici solet; *prima* quidem, si nullam aliam supponit, ut dum primum justificatur peccator; *secunda* autem, quando aliam præexistentem supponit eamque auget; unde non sunt diversæ gratiæ, sed diversi gradus ejusdem gratiæ.

Quæstio est igitur quænam sacramenta gratiam primam, quænam vero secundam conferant : pro cujus solutione, sequentes assertiones statuimus :

49. Assertio 1ª : *Duo sacramenta, nempe Baptismus et Pœnitentia, per se gratiam primam conferunt.*

Nam Christus instituit *baptismum* per modum regenerationis spiritualis, et ad tollendum sive peccatum originale, sive peccata actualia ante baptismum commissa; *pœnitentiam* vero, ad remittenda post baptismum patrata delicta, et ad recuperandam gratiam per illa amissam : porro peccata non dimittuntur nisi per justitiæ acquisitionem seu per gratiam primam; ergo baptismus et pœnitentia ex sua institutione conferunt gratiam primam.

Idcirco vocantur sacramenta *mortuorum*, quia instituta fuerunt pro mortuis spiritualiter.

50. Assertio 2ª : *Quinque alia sacramenta, scilicet : Confir-*

matio, Eucharistia, Extrema-Unctio, Ordo et Matrimonium, per se secundam gratiam conferunt.

Etenim sacramenta hanc gratiam producunt quam significant, et quæ eorum institutionis fini congruit : atqui Christus instituit *confirmationem* ad corroborandum hominem in fide et vita spirituali; *Eucharistiam*, ad alendam, conservandam et augendam vitam spiritualem; *extremam-unctionem*, ad tollendas peccatorum reliquias, et ad confirmandum in extremo vitæ certamine; *ordinem*, ad dandam potestatem valide exercendi functiones sacras, et gratias ad illas digne obeundas; *matrimonium* denique, ad legitimam et sanctam humani generis propagationem inter membra Ecclesiæ, et ad vitam in conjugio sancte agendam; quæ omnia vitam spiritualem seu gratiam primam in suscipiente evidenter præsupponunt; ergo ista quinque sacramenta directe et ex primaria sua institutione gratiam secundam causant.

Merito igitur sacramenta dicuntur *vivorum;* nam pro his qui vitam spiritualem habent instituta sunt.

51. Assertio 3ª : *Aliquando et per accidens sacramenta mortuorum gratiam secundam, et sacramenta vivorum gratiam primam producunt?*

Primum communiter admittunt theologi, et ratio in promptu est : nam sacramenta non manent sine effectu; porro, in eo qui perfecte contritus accedit ad sacramentum baptismi vel pœnitentiæ, hæc sacramenta non causant primam gratiam, quæ jam adest ex perfecta contritione : ergo secundam conferunt. Hoc tamen dicitur fieri *per accidens*, cum hæc sacramenta *per se* primam gratiam non supponant.

Secundum vero, de quo major est difficultas, in triplici præsertim casu concipi potest, nempe : — 1. cum quis invincibiliter ignorans se esse in statu peccati, accedit ad illa sacramenta, credens bona fide se esse in statu gratiæ et simul habens attritionem sufficientem; — 2. cum quis conscius peccati mortalis actum perfectæ contritionis elicere conatur, et putat se esse perfecte contritum, dum habet solam attritionem; modo pro Eucharistia desit copia confessarii, et adsit necessitas suscipiendi sacramentum; — 3. quando quis peccata confessus

cum imperfecta contritione, non valide absolvitur ob defectum ex parte confessarii se habentem.

Porro sententia probabilior affirmat, in his casibus, sacramenta vivorum gratiam primam *per accidens* causare; et hoc probatur

1. *Conc. Trid.*; nam (sess. 7, can. 6) anathemate percutit eos qui dicunt sacramenta gratiam ipsam obicem non ponentibus non conferre; porro suscipientes, in casibus memoratis, obicem non ponunt; ergo gratiam recipere debent; sed ista gratia nequit esse gratia secunda, cum suscipientes sint in peccato; ergo est gratia prima.

2. *Auctoritate S. Thomæ* qui de confirmatione sic loquitur (3. q. 72, a. 7, ad 2.) : « Si quis adultus in peccato existens, cujus conscientiam non habet, vel si etiam non perfecte contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc sacramento consequitur remissionem peccatorum. »

3. *Ratione*, quia de bonitate Christi sentiendum esse videtur eum voluisse, ut sacramenta ista *per accidens* prodessent ei qui, quantum in se est, disponit se ad ea debite suscipienda, ac bona fide credit se debite dispositum esse.

Nec objiciatur. — 1. statum gratiæ esse dispositionem prærequisitam ad illa sacramenta, quia præsupponunt supernaturalem animæ vitam, quæ est gratia sanctificans. — Resp. Gratiæ statum in illis sacramentis prærequiri quidem *per se* vi primariæ Christi institutionis : unde quilibet statum illum sibi comparare tenetur, priusquam hæc sacramenta suscipiat; at *per accidens* sufficere etiam statum gratiæ prudenter existimatum, aut a suscipiente prius, quantum in se est, procuratum; quia Christus pro sua bonitate et misericordia, noluit horum sacramentorum fructu carere eos, qui, quantum possunt, ad illa sese debite disponerent, aut se dispositos prudenter existimarent.

Nec objiciatur — 2. peccatum esse verum obicem gratiæ productioni oppositum, nihilque igitur ex concilii Tridentini decreto erui posse. — Resp. Obicem ad effectum sacramenti vivorum esse peccatum cognitum et non retractatum per sinceram attritionem, sed non peccatum ignotum et per sinceram attritionem retractatum. Insuper verbum *obicem ponere* a Conc.

Trid. usurpatum, aliquem pravum actum in suscipiente supponit; jam vero qui in memoratis casibus sacramenta vivorum recipit, nedum obicem ponat, contra totis viribus illum repellere nititur; unde si remaneat peccatum, illud fit præter ejus conatum.

52. Quæritur 1. *Utrum gratia quam sacramenta novæ Legis conferunt, aliquid addat gratiæ communiter dictæ, et quid illud sit.*

Resp. 1. Ex hucusque dictis probatum manet sacramenta novæ Legis singulis obicem non ponentibus conferre gratiam sanctificantem, quæ quidem annexos habet, veluti proprietates ipsam consequentes, habitus supernaturales, qui cum gratia in anima infundi solent. Porro huic gratiæ, quam Angelicus Doctor *gratiam virtutum et donorum* vocat, *aliquid aliud addunt sacramenta, quod est proprius cujusque effectus, et gratia sacramentalis* dicitur. Hoc autem constat

1. *Conc. Trid.*, quod definit (sess. 7, can. 4) « Sacramenta novæ Legis non esse superflua, sed ad salutem necessaria, licet omnia singulis necesseria non sint. » Atqui, si singula sacramenta nihil peculiare producerent, unum sufficeret, aut ad summum duo, unum pro peccatoribus, et alterum pro justis; cætera vero essent superflua. Ergo.

2. *Concilio Florentino*, quod ait : « Unumquodque sacramentum ad finem proprium et distinctum ordinatur. Per baptismum enim spiritualiter renascimur; per confirmationem augemur in gratia et roboramur in fide : renati autem et roborati nutrimur divina Eucharistiæ alimonia. Quod si per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per pœnitentiam spiritualiter sanamur; spiritualiter et corporaliter, prout animæ expedit, per extremam-unctionem; per ordinem vero Ecclesia gubernatur et multiplicatur spiritualiter; per matrimonium corporaliter augetur. » Unde quodlibet sacramentum est medium a Christo institutum ad specialem illum finem consequendum. Sacramentum autem non potest esse medium a Christo datum hominibus, ad consequendum finem supernaturalem sibi proprium, nisi specialem effectum fini obtinendo proportionatum producat. Ergo.

3. *Ratione.* Si per quodlibet sacramentum non conferretur aliqua gratia specialis, sed solum gratia sanctificans communiter dicta, sacramenta nostra nonnisi ritu externo inter se differrent, nec esset ratio cur plura instituta fuerint : porro illud dici nequit. Ergo.

Resp. 2. *Gratia sacramentalis non est habitus realiter distinctus a gratia sanctificante et virtutibus, sed specialis vigor gratiæ habitualis, cum ordine et jure ad auxilia specialia, juxta finem specialem sacramentorum suo tempore conferenda.*

Patet *primum* nempe *gratiam sacramentalem non esse habitum distinctum.* — Hic enim habitus esset vel in essentia animæ ad eam sanctificandam, vel in potentiis ad supernaturaliter operandum ; atqui neutrum : non *prius*, quia ad sanctificationem animæ sufficit gratia sanctificans, quæ in ejus essentia infunditur ; non *posterius*, quia per virtutes infusas et dona Spiritus Sancti animæ potentiæ radicaliter disponuntur ad ad omnes actus supernaturales eliciendos ; ergo.

Patet *secundum* scilicet *gratiam sacramentalem esse specialem vigorem gratiæ habitualis, cum ordine et jure ad auxilia specialia.* Etenim sacramenta, ex modo dictis, ideo aliquid gratiæ communiter acceptæ superaddunt, quia ad diversos et speciales effectus ordinantur : atqui speciales hi effectus exigunt in homine, secundum consuetum Providentiæ cursum, aliquid intrinsecum et permanens per modum principii, cui connaturaliter correspondeant auxilia specialia ex divina ordinatione suo tempore conferenda. Utrumque enim necessarium est, ut homo varios actus vitæ christianæ, ad quos per sacramenta ordinatur, peragere valeat. Apposite ad hæc D. Thomas (q. 62, art. 2, ad 1) : « Gratia virtutum et donorum sufficienter perficit essentiam animæ quantum ad generalem ordinationem actuum animæ ; sed quantum ad *quosdam effectus speciales*, qui requiruntur ad vitam christianam, requiritur sacramentalis gratia », quæ, ut infra addit, « habet se ad gratiam communiter dictam *sicut ratio speciei ad genus.* » Unde merito concludimus gratiam sacramentalem aliquid intrinsecum superaddere gratiæ communiter dictæ, quod, cum non sit habitus realiter distinctus a gratia habituali, nonnisi in speciali quodam vigore

ejusdem gratiæ, cum ordine ad auxilia actualia specialia, reponi potest.

Quomodo vero res se habeat pro singulis sacramentis, apprime describit Billuart, cujus verba integre referre juvat :

« Gratia sacramentalis *baptismi* est gratia habitualis, cum perfectione et vigore speciali ad novam vitam in Christo instituendam, ad remissionem totius culpæ et pœnæ, necnon ad rite suscipienda alia sacramenta, cum ordine, exigentia et jure ad auxilia actualia huic adeptæ regenerationi conservandæ et ejus actibus necessaria. Gratia sacramentalis *confirmationis* est gratia habitualis seu ejus augmentum, pariter cum speciali vigore et robore ad fidem alacriter et fortiter etiam in vitæ discrimine propugnandam, cum ordine et jure ad auxilia his actibus necessaria. Gratia sacramentalis *Eucharistiæ* est gratia habitualis, cum pari vigore et ordine ad auxilia pro anima spiritualiter nutrienda et specialiter Deo unienda per ferventiores actus virtutum. Gratia *pœnitentiæ* est gratia habitualis, cum pari vigore et ordine ad auxilia necessaria pro peccatis plangendis, delendis et cavendis. Gratia *extremæ unctionis* est gratia habitualis, cum pari perfectione et ordine ad auxilia pro tollendis reliquiis peccatorum, morbo alleviando aut patienter ferendo, et præparatione animæ ad felicem mortem contra extremos tentatoris impetus. Gratia sacramenti *ordinis* est gratia habitualis, cum pari vigore et ordine, etc., ad recte exercendum cultum divinum et sacramenta administranda. Gratia *matrimonii* est gratia habitualis, cum pari vigore et ordine, et., ad finem mutuo servandam, ad conjugaliter et caste vivendum, et ad onera matrimonii ferenda.

53. Quæritur 2. *Utrum sacramenta æqualem gratiam suscipientibus conferant?*

Resp. 1. *Idem sacramentum eamdem gratiam dat per se et directe omnibus suscipientibus, qui cum iisdem dispositionibus accedunt.* Ratio est quia sacramenta operantur veluti causæ naturales et physicæ : porro causæ naturales et physicæ in iisdem circumstantiis eosdem effectus producunt; ergo et sacramenta.

Apposite ad hæc D. Thomas (3 p., q. 69, art. 8) de baptismo

ait : « Dicitur (*Eph.*, IV, 5) : *una fides, unum baptisma.* Uniformis autem causæ est uniformis effectus. Ergo baptismus habet aqualem effectum in omnibus. » Et paulo infra : « Quia omnes pueri æqualiter se habent ad baptismum, omnes æqualem effectum percipiunt in baptismo.

Dixi *per se et directe*, quia duplici ex causa indirecte et per accidens, varias gratias baptismus, v. g., conferre potest infantulis, scilicet ex voluntate Spiritus S. qui dona sua singulis partitur sicut vult, et ex fervore eximio tum ministri, tum parentum, quo movetur Deus ad uberiores gratias concedendas.

Resp. 2. *Idem sacramentum confert ex opere operato inæqualem gratiam inæqualiter dispositis.* Ita communissime, et constat— 1. *Conc. Trid.* (sess. 6, c. 7), ubi asserit in baptizatis gratiam recipi « secundum mensuram, quam Spiritus S. partitur singulis prout vult, et secundum propriam cujuscumque *dispositionem* et cooperationem. » — 2. *Ex S. Thoma* (3. q. 69, a. 8, o): « Quidam cum majori, quidam cum minori devotione ad baptismum accedunt, et ideo quidam *plus*, quidam *minus* de gratia novitatis accipiunt. » — 3. *Ratione* ; nam agentia naturalia, quæ ex se et toto nisu ac impetu agunt, æqualem vel inæqualem effectum producunt pro diversa dispositione seu capacitate subjecti in quod agunt : sic ignis intensiorem producit calorem in uno subjecto quam in alio, in ligno, v. g., quam in stipula : atqui sacramenta agunt ut causæ necessariæ et naturales, quæ determinatum habent quidem effectum quoad speciem, non quoad intensionem; major enim vel minor illa intensio pendet ex varia subjecti dispositione; et congruum valde est ut qui eximiores habet dispositiones, ampliorem accipiat gratiam.

Nec dicatur illum gratiæ excessum dari ex *opere operantis*, non ex *opere operato* ; nam dispositiones, etsi quandoque gratiæ augmentum promereantur, relative tamen ad sacramentum sese habent ad modum conditionis obicem removentis et subjectum actioni sacramentali præparantis, eo modo quo major siccitas in ligno non est causa intensioris combustionis et caloris, sed conditio duntaxat; vera enim et physica causa caloris et combustionis est ignis.

Resp. 3. *Sacramenta specie diversa inæqualem gratiam conferunt.* Etenim Concilium Tridentinum definit sacramenta novæ Legis non esse inter se *paria*, sed aliud esse alio *dignius*: atqui causa nobilior et dignior ex se nobiliorem parit effectum. — Et vero fatendum est Eucharistiam, cum realiter in se contineat auctorem omnis gratiæ, uberiores ac alia sacramenta producere gratias; nec illud denegari posse videtur sine injuria in Christum ipsum sub speciebus eucharisticis delitescentem, ut vitam abundantius habeamus. Unde Catechismus Romanus Eucharistiam comparat fonti, cætera vero sacramenta rivulis, ita ut Eucharistia vere ac necessario fons omnium gratiarum dicenda sit.

§ III. An sacramenta quoad gratiam reviviscere possint?

54. Status quæstionis. Non semel accidit sacramentum valide collatum suum non sortiri gratiæ effectum propter obicem ex parte suscipientis. Quæstio igitur exsurgit, utrum, remoto obice, sacramentum gratiam conferat, seu, ut aiunt, reviviscat. Sed prius dicendum est quid et quotuplex sit obex.

Obicis nomine nihil aliud intelligitur quam defectus dispositionis requisitæ in suscipiente sacramentum. Vocatur etiam *fictio*, non in eo sensu quod suscipiens interne simulet se velle sacramentum suscipere, quod quidem sacramentum irritum faceret; sed eo quod suscipiens quasi fingat se esse ad sacramenti fructum dispositum, cum non sit; exinde sacramenta cum obice recepta dicuntur etiam *ficte suscepta*.

Obex duplex est, positivus et negativus; *positivus* quidem, quando defectus dispositionis in suscipiente voluntarius est et culpabilis, v. g., si conscius sit peccati gravis nondum expiati, vel in susceptione ipsa peccatum admittat; *negativus* vero, si propter ignorantiam invincibilem aut bonam fidem defectus dispositionis inculpabilis sit, v. g., si adultus ad baptismum accederet cum attritione naturali, quam invincibiliter supernaturalem esse existimaret.

His præmissis, hæc statuenda veniunt:

55. Assertio 1ª: *Baptismus ficte susceptus, remoto obice, quoad gratiam reviviscit.*

Prob. 1. *Ex SS. Patr.* S. Augustinus (lib. 3 *de Baptismo*, c. 13, vel n. 13) ait : « Quamvis apud hæreticos vel schismaticos idem sit baptismus Christi, non tamen ibi operatur remissionem peccatorum, propter eamdem discordiæ fœditatem et dissensionis iniquitatem; tunc *incipit valere* idem baptismus ad dimittenda peccata, cum ad Ecclesiæ pacem venerint;... ut idem ipse qui propter discordiam foris operabatur mortem, propter pacem intus operetur salutem. » — Et (lib. 1, c. 12, vel n. 18) loquens de baptismo in Ecclesia catholica ficte suscepto, dicit : « Sicut in illo *qui fictus accesserat*, fit ut non denuo baptizetur, sed ipsa pia correctione et veraci confessione purgetur, quod non posset sine baptismo, ut quod ante datum est, *tunc valere incipiat*, cum illa fictio veraci confessione recesserit. » — S. Gregorius Magnus (lib. 11, epist. 61, nunc 67) dicit « ab antiqua Patrum institutione manasse, ut qui apud hæresim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad S. Ecclesiam redeunt, aut unctione chrismatis, aut impositione manuum, aut sola fidei professione ad sinum matris Ecclesiæ revocentur... quia sanctum baptisma quod sunt apud hæreticos consecuti, *tum in eis vires emundationis recipit.* » Unde sic : Illi tenent gratiam baptismi ficte suscepti, remoto obice, reviviscere, qui docent baptismum, apud hæreticos vel schismaticos susceptum, peccata remittere, cum fit conversio ad veram Ecclesiam; qui docent baptismum valere incipere, cum fictio veraci confessione recessit; atqui ita SS. Patres; ergo.

Prob. 2. *Ratione theologica* deprompta ex concilii Tridentini doctrina (sess. 7, cap. 14, et sess. 14, cap. 4), juxta quam nullum remittitur peccatum sine sacramento baptismi aut pœnitentiæ, vel sine illorum voto cum contritione perfecta. Exinde enim sequens confici potest argumentum : Ex omnium confesso dari debet etiam pro illo qui baptismum ficte suscepit, medium obtinendi remissionem peccati originalis; porro, si non reviviscceret baptisma, nullum ei daretur medium ad peccati originalis remissionem obtinendam : non esset quippe *baptisma*, quod iterari nequit; non *pœnitentia*, quæ non dimittit nisi peccata post baptismum commissa; non votum baptismi cum contritione perfecta; dari enim nequit votum de

re impossibili, seu de baptismo iterum recipiendo, quippe qui rite collatus jam iterari nequit. Ergo baptismus ficte susceptus reviviscere debet.

56. Assertio 2ª : *Probabilius est alia sacramenta quæ characterem imprimunt, Confirmationem scilicet et Ordinem, quoad gratiam reviscere.*

Prob. 1. *Ex S. Augustino*, qui de sacerdotibus in hæresi consecratis hæc habet : « Christiana sane in vobis agnosco sacramenta. Apud vos quidem aliena sunt ; sed cum cor vestrum corrigitur, *fiunt ea salubriter vestra*, quæ perniciose habebatis aliena. » Unde sic : juxta S. Augustinum, post conversionem sacramenta in hæresi suscepta fiunt salubria : porro non sunt salubria, nisi quia jam incipiunt largiri sanctitatem, quam propter obicem impendere non potuerant.

Prob. 2. *Rat. th.* Quia, cum hæc sacramenta iterari nequeant, et per characterem constituant hominem in statu a quo recedere non possit, non credendum est Deum, cujus bonitatis infinitus est numerus, gratia ab unoquoque sacramento speciali ratione collata, orbari velle eos, qui de peccatis suis dolentes, obicem gratiæ oppositum removerunt. Ergo.

57. Quæritur 1. *Quid dicendum sit de reviviscentia cæterorum sacramentorum.*

Resp. 1. Juxta plures, idem dicendum est de *extrema-unctione et matrimonio* ac de sacramentis characterem imprimentibus. Ideo enim hæc sacramenta, remoto obice, reviviscere dicuntur, quia iterari non possunt, ac, nisi reviviscerent, non posset aliunde obtineri gratia his sacramentis propria : atqui hæc eadem ratio valet pro extrema-unctione et matrimonio, quæ aliquatenus initerabilia sunt ; matrimonium quidem, durante eodem conjugio ; extrema-unctio, durante eadem infirmitate ; ergo reviviscant necesse est, ne conjuges, toto matrimonii tempore, et infirmus, eodem perdurante morbo, privati existant gratia sacramentali suo statui necessaria.

Resp. 2. *Eucharistia*, cum obice positivo suscepta, certe non reviviscit, tum quia nulla est hujus reviviscentiæ necessitas, tum quia repugnat hoc sacramentum sæpius sacrilege susceptum omnem gratiam producere in suscipiente quam accepisset,

si semper digne ad sacram mensam accessisset. — Si autem cum obice tantum negativo recepta fuerit, nonnulli existimant eam reviviscere, quia illud sacramentum est omnium præstantissimum, nec cæteris impar esse debet quoad suam operandi virtutem. Attamen hæc ratio non omnino cogit; nam Eucharistiæ hi tantum fructus tribui debent, ad quos a Christo instituta est: porro nihil probat Christum voluisse Eucharistiam hunc operandi modum habere, cum præsertim tanta facilitate et frequentia sumi possit.

Resp. 3. Quoad *pœnitentiam*, admissa communissima sententia theologorum, quæ docet actus pœnitentis esse materiam proximam hujus sacramenti, vix concipitur locum dari posse reviviscentiæ; deficientibus enim dispositionibus pœnitentis, sive culpabiliter sive inculpabiliter, sacramentum non datur. Si vero cum quibusdam admittatur fieri posse, ut prædictum sacramentum sit validum, sed tamen informe, sat probabile videretur hoc quoque reviviscere; est enim omnibus post baptismum graviter lapsis necessitate medii in re vel in voto necessarium, ac proinde idem fere argumentum ex concilio Tridentino deduci posset ac supra pro baptismo (Cf. Wiceburg., n. 90).

58. Quæritur 2. *Quænam dispositio requiratur ut removeatur obex, sacramentumque reviviscat.*

Resp. 1. Quando obex fuit *negativus*, requiritur et sufficit attritio supernaturalis ad illum removendum, modo tamen nullum peccatum mortale post sacramentum susceptum admissum fuerit. Nam, cum obex negativus nihil aliud sit quam defectus inculpabilis dispositionis requisitæ, tum tollitur obex, quando aderit illa dispositio; atqui attritio est dispositio sufficiens ad sacramenta mortuorum suscipienda, et etiam per accidens, ut supra dictum fuit, ad sacramenta vivorum; ergo. — Dixi tamen, *modo nullum peccatum mortale postea admissum fuerit;* alioquin idem dicendum esset ac de obice positivo. Unde

Resp. 2. Quando obex fuit *positivus*, ad illum removendum requiritur sacramentum pœnitentiæ, vel contritio perfecta. Ratio est quia iste obex est peccatum mortale sacrilegii, quod non

potest remitti nisi per contritionem perfectam aut attritionem cum sacramento pœnitentiæ.

Specialis est difficultas pro indigna baptismi susceptione; nam baptismus effectum suum producere nequit, nisi remoto obice: porro obex ille tolli posse non videtur; non quidem, per sacramentum pœnitentiæ, quod effectum suum sortiri nequit nisi remisso peccato originali ad solum baptismum pertinente; nec etiam per contritionem perfectam, quæ et ipsa includere deberet votum jam impossibile baptismi, ut tolleretur peccatum originale.

Huic vero difficultati sequens dari potest responsio: — 1. Eadem attritio, quæ valet ad sacramentum pœnitentiæ relative ad peccatum fictionis, quod utpote post baptismum commissum, clavibus Ecclesiæ subjici debet, valet etiam ut baptismus peccatum originale deleat. — 2. Idem dicendum est de contritione perfecta quæ est dispositio sufficiens, tum ut baptismus suum gratiæ effectum habeat, tum ut peccatum fictionis auferatur.

Hinc aperiendum est in confessione illud peccatum fictionis, cum sit peccatum hominis baptizati. Si autem illa fictio consistat in adhæsione quibusdam peccatis ante baptisma commissis, declaranda sunt ista peccata, non quidem ut subjiciantur clavibus Ecclesiæ ad quas non pertinent, sed ut manifestetur gravitas fictionis seu peccati commissi in baptismatis susceptione.

ARTICULUS II.

De charactere.

59. Characteris notio. Vox græca *character* idem latine sonat ac nota vel signaculum quo unus ab alio distinguitur, vel ad aliquod officium deputatur; sic pecora signo aliquo distinctivo notari solent; sic milites et magistratus insignia gerunt quibus cæteris ab hominibus distinguuntur, et ad aliquod munus deputari cognoscuntur.

In re autem sacramentaria, characteris nomine theologi intelligunt *signaculum quoddam spirituale per sacramentum*

animæ indelebiliter impressum, quo homines specialiter deputantur ad ea quæ sunt cultus divini.

Dicitur — 1. *Signum*, id est, nota quædam qua Christianus Christo configuratus ab infideli distinguitur, et una classis fidelium secernitur ab alia.

Dicitur — 2. *Signum spirituale*, quia character sacramentalis non est quid corporeum nec signum relative ad homines, quamdiu in hac vita degunt, sed nota est quædam interna qua coram Deo, angelis et beatis insigniuntur omnes qui ad aliquod munus spirituale a Christo deputati sunt.

Dicitur — 3. *Per sacramentum animæ indelebiliter impressum :* his verbis designantur sive causa, sive subjectum, sive præcipua characteris proprietas.

Dicitur — 4. *Quo homines specialiter deputantur*, etc., ut assignentur finis et effectus hujusce characteris.

Cæterum hæc definitio magis patebit ex dicendis in toto hoc articulo, in quo agemus : — 1° de existentia; — 2° de natura ; — 3° de dotibus characteris sacramentalis.

§ I. De characteris existentia.

60. Assertio 1ª : *In tribus sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine, imprimitur in anima character.*

Est de fide. Conc. Trid. (sess. 8, can. 9) ait : « Si quis dixerit in tribus sacramentis, baptismo scilicet, confirmatione et ordine, non *imprimi characterem in anima*, hoc est, signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt : anathema sit. » Præiverat conc. Florentinum in decreto ad ad Armenos : « Inter sacramenta tria sunt, inquit, baptismus, confirmatio et ordo, quæ characterem, id est, spirituale quoddam signum a cæteris distinctivum imprimunt in anima indelebile; unde in eadem persona non reiterantur. »

Prob. 1. Pro *Baptismo*. — 1. *Innuit Scriptura* (*Eph.*, I, 13) : « In quo (Christo) credentes *signati estis* Spiritu promissionis » sancto. » Ibi mentio fit de signo quo fideles signati sunt credendo; atqui professio illa fidei in qua fideles signati sunt, in Baptismo emittitur. Ergo. — 2. *Probat Traditio*. S. Cyrillus Hierosol. (*in præfatione catecheseon*), baptismum vocat « *si-*

gnaculum sanctum et indelebile. » — S. Chrysostomus (*in hom.* 2, *ad Eph.*, n. 2), ait: « Signati fuerunt etiam Israelitæ, sed circumcisione, sicut oves et bruta. Nos quoque *signati* sumus, sed sicut filii, spiritu. » — S. Augustinus (lib. II *contra Parmenam*, cap. 13, vel n. 8), ait baptismum et ordinem « *quadam consecratione* homini dari; ideoque in catholica Ecclesia utrumque non licere iterari ». Et in eodem capite de schismaticis ad Ecclesiam redeuntibus sic loquitur : « Non sunt rursus ordinati, sed sicut baptismus in eis, ita ordinatio *manet integra.* »

Prob. 2. Pro *Confirmatione.* — *Innuit Scriptura* (II Cor., I, 21): « Et qui unxit nos Deus, qui et *signavit* nos, et dedit *pignus* » Spiritus in cordibus nostris » ; porro hoc signum, hoc pignus de confirmatione recte intelliguntur. — 2. *Probat Traditio.* S. Augustinus (lib. 2, *contra litteras Petiliani*, c. 104, vel n. 239), ait : « Sacramentum Chrismatis... *potest esse* et in bonis *et in malis*, illis ad præmium, istis ad judicium. » Concilium Toletanum VII (can. 7, an. 643) : « Sacrum chrisma collatum et altaris honor *avelli nequeunt.* » Aperta sunt illa verba.

Prob. 3. Pro *Ordine.* Silet Scriptura; sed *Traditio illud demonstrat;* citatis enim S. Augustini textibus, ubi de baptismo, plures addi possunt, inter quos sit S. Hieronymus, qui (*Dialogo adversus Luciferianos*, sub fine) ait « Episcopo Novatianorum, si conversus fuerit, præsbyterii gradum *servari.* » Porro si præter sacramenti gratiam non esset in Ordine character aliquis permanens, Ecclesia non habuisset ut veros sacerdotes, qui ab hæreticis ordinati fuerant; ergo præter gratiam in ordinatione confertur character. — Unde si in historia Ecclesiæ memorantur novæ quædam ordinationes pro iis qui ab hæreticis jam ordinati fuerant, judicandum est primam ordinationem nullam fuisse ob aliquem defectum essentialem : vel agi de Ordinatione improprie dicta, seu de quadam manuum impositione, ad istiusmodi hæreticos in pristinas functiones recipiendos.

Ratio *a priori* existentiæ characteris pro illis tribus sacramentis est voluntas et institutio Christi. Attamen S. Thomas cæterique post ipsum theologi hanc congruentiæ rationem

afferunt; quia scilicet, conveniens fuit ut illa sacramenta, per quæ homo constituitur in aliquo statu de se perpetuo, et deputatur ad aliquid sacrum agendum vel recipiendum, imprimant characterem : atqui homo per baptismum constituitur in familia Christi; per confirmationem adscribitur militiæ Christi; per Ordinem constituitur in statu ministrorum Christi; ergo tria sunt sacramenta quæ imprimunt characterem : nempe baptismus, characterem familiæ Christi; confirmatio, characterem militiæ; ordo, characterem potestatis seu ministerii ecclesiastici.

61. Assertio 2ª : *Sacramenta cætera, videlicet Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-Unctio et Matrimonium, characterem non imprimunt.*

Prob. 1. *Traditione.* Nulla enim Patrum doctrina, nulla ecclesiastica traditio characteris impressionem in præfatis sacramentis insinuat. Imo Conc. Florentinum expresse ait : « Inter hæc sacramenta tria sunt... quæ characterem imprimunt; *reliqua vero quatuor characterem non imprimunt*, et reiterationem admittunt. » Conc. Trid. definiendo tria sacramenta imprimere characterem et de aliis tacendo, sufficienter indicat ab illis non produci characterem.

2. *Praxi Ecclesiæ.* Certum est semper in usu fuisse prædicta sacramenta iterum recepi ab eadem persona : porro illud nefas videretur, si indelebile sui vestigium in anima relinquerent; ad quid enim tunc hæc iteratio? Ergo.

3. *Ratione;* nam, quamvis hæc quatuor sacramenta ordinentur ad cultum divinum per modum actionis, quia omnium susceptio seu administratio est exercitium cultus divini; non tamen conferunt potentiam ad aliquid agendum vel recipiendum, pertinens ad cultum divinum, nec proinde homines ad munus speciale in Ecclesia Christi deputant, sed solum gratiam sacramentalem conferunt juxta speciales suos fines; scilicet : in sacramento *pœnitentiæ* accipit homo gratiam, ut liberetur a peccatis; in *Eucharistia*, ut spiritualiter nutriatur et crescat; in *extrema-unctione*, ut a reliquiis peccatorum mundetur ac fortiter luctetur in extremo agone; in *matrimonio*, ut onera conjugii sancte et fideliter perferre queat.

§ II. De characteris natura.

62. — I. Ante omnia pro certo habendum est characterem esse *quid reale, animæ intrinsecum, non autem meram denominationem.*

Constat — 1. *Ex concilio Trid.*, quod vocat characterem *signaculum quoddam spirituale et indelebile, animæ impressum;* atqui hæc immerito dicerentur, si character non esset quid reale et objectivum intrinsece animam afficiens. Definivit iterum Tridentina Synodus per sacram ordinationem imprimi characterem, nec eum qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse (sess. 23); porro, si character non aliud esset quam perpetua tantum deputatio sine reali effectu in anima, jam dici non posset hunc esse effectum characteris, ut qui sacerdos semel fuit, laicus iterum fieri non possit.

Constat — 2. *Ex SS. Patribus* qui passim asserunt sacramenta baptismi, confirmationis et ordinis etiam errantibus extra Ecclesiam perpetuo *inesse, manere, hærere;* qui ea appellant *sigillum characteremque* regis Christi, et comparant notis realibus impressis militi, ovi, monetæ; qui demum docent per characterem nos *discerni et recognosci ab angelis*; porro hæc et sexcenta alia supponunt aliquid reale, in anima permanens, quod longe distat a denominatione mere extrinseca.

Constat — 3. *Auctoritate theologorum*, qui ita unanimi ore docent realitatem objectivam characteris, ut contrariam Durandi opinionem veluti hæresi proximam habeant.

Ex his jam perspicuum fit characterem sacramentalem esse quamdam animæ qualitatem, seu veluti novam formam accidentalem animæ superadditam, quæ proinde ab ejus essentia ejusque potentiis realiter distinguitur.

63. — II. *Supernaturalis illa qualitas, quæ est veluti characteris genus*, duo importare videtur, videlicet: perpetuam atque indelebilem animæ consecrationem, *a gratia distinctam, qua homo Deo rebusque divinis dicatur et obstringitur*, et potestatem quamdam ad sacra *vel recipienda vel peragenda.*

Primum sic declaratur (3. p. q. 63, art. 6, ad 2) ab Angelico Doctore: « Dicendum quod per omnia sacramenta sancti-

ficatur homo, secundum quod sanctitas importat munditiam a peccato, quæ fit per gratiam; sed specialiter per quædam sacramenta, quæ characterem imprimunt, homo sanctificatur quadam *consecratione*, utpote deputatus ad cultum divinum. »

Nec aliter sentit D. Augustinus asserens « utrumque sacramentum, baptismum scilicet et ordinem, quadam *consecratione* homini dari, ideoque in Catholica Ecclesia neutrum iterari posse » (*Cont. Ep. Parm.*, II, n. 28). Rursus alibi scribit : « Christiani baptismi sacramentum etiam apud hæreticos valet et sufficit ad *consecrationem*, quamvis ad vitæ æternæ participationem non sufficiat; quæ consecratio reum quidem facit hæreticum extra Domini gregem habentem characterem, corrigendum tamen admonet sana doctrina, non iterum similiter consecrandum » (*Epist.* 98, *ad Bonif.*, n. 5).

De *secundo* ait iterum S. Thomas (q. 63, art. 2) : « Divinus cultus consistit vel in *recipiendo* aliqua divina, vel in *tradendo aliis;* ad utrumque horum requiritur quædam potentia; nam ad tradendum aliis requiritur potentia activa, ad recipiendum autem potentia passiva. Et ideo character importat quamdam potentiam spiritualem, ordinatam ad ea quæ sunt divini cultus. Sciendum tamen, quod hæc spiritualis potentia est instrumentalis, sicut etiam supradictum est de virtute, quæ est in sacramentis. Habere enim sacramenti characterem, competit ministris Dei. Minister autem habet se per modum instrumenti.

Utrum vero potestas illa sit *physica* vel *moralis*, disputant theologi, sicut et de virtute sacramentorum : pro potentia physica stare videtur D. Thomas in fine articuli supra citati. Hinc character sacramentalis merito habetur tanquam *participatio sacerdotii Christi*, imo veluti quædam *cum Christo configuratio*. Character enim, ex una parte, ut dictum est, est id per quod fideles deputantur ad recipienda vel tradenda ea quæ sunt cultus divini secundum ritum christianæ religionis : atqui omnis ritus religionis Christianæ derivatur a sacerdote Christi. Ergo. — Aliunde, docente etiam Angelico (3 q. 63, a. 3) : « Secundam propriam rationem character est signum configurativum alicui principali, apud quem residet auctoritas

ejus ad quod aliquis deputatur... Et hoc modo illi qui deputantur ad cultum christianum, cujus auctor est Christus, characterem accipiunt quo Christo configurantur. »

64 — III. Demum ex hucusque dictis ulterius concludere fas est :

1. Characterem sacramentalem non in essentia animæ, sed *in aliqua ejus potentia* veluti in subjecto residere. « Character enim, ait D. Thomas (q. 63, art. 4), est quoddam signaculum, quo anima insignitur ad suscipiendum vel aliis tradendum ea quæ sunt divini cultus. Divinus autem cultus in quibusdam actibus consistit; ad actus autem proprie ordinantur potentiæ animæ, sicut essentia ordinatur ad esse : Et ideo character non est, sicut in subjecto, in essentia animæ, sed in ejus potentia. » — Et si adhuc quæratur in qua animæ potentia sit, cum S. Doctore iterum respondere licet (*ibid.*, ad 3) : « Character ordinatur ad ea quæ sunt cultus divini, qui quidem est quædam fidei protestatio per exteriora signa. Et ideo oportet quod character sit in *cognitiva potentia* animæ, in qua est fides. »

2. Characterem, quamvis non sit donum sanctificans, habere tamen *ordinem et aliquam habitudinem ad gratiam.* Hoc innuunt SS. Patres, dum explicant characterem esse *signaculum ad tenendum splendorem imaginis Dei*, *ad conservationem gratiæ*, ad *præsidium angelorum*, ad *munimentum contra tentationes*; quando characterem dicunt *lumen spirituale*, *lumen vultus Dei*; vel denique quando asserunt *obsignatos non esse ad futuram hæreditatem*, obsignatos *spiritu*, *quia sumus filii Dei;* obsignatos *ne simus conjuncti cum filiis iræ :* quæ omnia haud facile intelligi possent, nisi admittatur quamdam esse connexionem characterem inter et gratiam.

Huc etiam tendunt quæ dicunt veteres theologi, nempe, characterem *significare gratiam*, habere *rationem sacramenti*, imo *physicam esse dispositionem ad gratiam.* Nec aliter sentire videtur D. Thomas (q. 69, a. 10), ubi de reviviscentia baptismi ficte suscepti loquitur.

3. Characteres sacramentales, si ad invicem comparentur, inter se ordinari sive pro *potestate* quam conferunt, sive etiam

pro *diverso respectu* sub quo nos Christo configurant. Scilicet : — 1. Character baptismalis nobis dat potestatem *passivam* ad sacra recipienda, nosque Christo ut *Capiti totius religionis* configurat. — 2. Confirmationis character nos instruit *potestate ad bonum certamen* pro fide viriliter sustinendum, ac simul milites *duci Christo* consignat. — 3. Demum character ordinis *potestatem sacra omnia peragendi* tribuit, et nos constituens dispensatores mysteriorum Dei, *Christo æterno summoque Sacerdoti assimilat.*

Quanta ergo dignitas ex charactere sacramentali redundat in animam nostram, quippe quæ, a primo in vitam ingressu, per characterem baptismalem ita exornatur atque extollitur, ut B. Petrus baptizatos appellare non dubitaverit *gentem sanctam et regale sacerdotium.*

§ III. De dotibus characteris sacramentalis.

Tres assignari possunt dotes characteris sacramentalis, nempe : est qualitas — 1° indivisibilis, id est, quæ nec augeri nec minui potest; — 2° in hac vita indelebilis; — 3° etiam post mortem perdurans.

65. — I. Character sacramentalis est indivisibilis ; si enim augeri vel minui posset, esset vel propter intensiorem remissioremve dispositionem ex parte subjecti, vel propter efficaciam variabilem sacramenti, vel denique propter ejus iterationem : atqui nullum ex his dici potest; sacramentum enim ratione characteris nullam per se requirit dispositionem, certa determinataque lege operatur, nullamque iterationem admittit. — Et vero unanimiter asserunt theologi æqualem esse potestatem ad ea quæ pertinent ad cultum divinum, tum in baptizatis, tum in confirmatis, tum denique in ordinatis : atqui potestas ex charactere dimanat; ergo idem debet esse character in omnibus.

Nec dicatur in sacramento ordinis characterem augeri per susceptionem successivam ordinum ; nam duplex tantum fingi potest hypothesis : vel quilibet ordo suum proprium et peculiarem characterem imprimit; vel idem est character qui paulatim augetur in variis ordinationibus : si prius, comparandus

est character unius ordinis cum charactere ejusdem ordinis in alio homine, et sub hoc respectu dici nequit major in uno quam in altero; alioquin non esset in utroque eadem potestas. Si posterius, dicendum est etiam idem esse augmentum characteris ab uno eodemque ordine in diversis ordinatis productum.

66. — II. *Character sacramentalis est in hac vita indelebilis.* Illud de fide est, et constat

1. *Ex conciliis Florent. et Trident.*, quæ asserunt characterem sacramentalem esse *signum quoddam* spirituale et *indelebile*; unde sacramentum iterari non potest. Ergo saltem in hac vita permanet character.

2. *Ratione.* Character enim, ex dictis, est quædam consecratio, quæ fit per participationem sacerdotii Christi in fidelibus ejus: atqui hujusmodi consecratio consequitur naturam sacerdotii Christi, quod æternum est; participatio enim ejusdem naturæ est ac res participata, dummodo duret subjectum ejus, et aliunde causa efficiens sit sufficiens et perpetua. Ergo character saltem in hac vita indelebilis est.

Si vero quæratur cur amittatur gratia sanctificans, quæ etiam ex sacerdotio Christi nobis obvenit, dum character permanet, triplex affertur ratio: *Prima* est, quia gratia habet aliquid sibi contrarium, peccatum scilicet, a quo proinde expelli potest; character autem non habet. *Secunda* est, quia character non reddit per se hominem Deo gratiorem, et ideo in peccatore existere potest. *Tertia* est, quia « gratia, ut ait D. Thomas (q. 63, art. 5, ad 1), est in anima, sicut quædam forma habens esse completum in ea; character autem est in anima sicut quædam virtus instrumentalis. Forma autem completa est in subjecto secundum conditionem subjecti; et quia anima est mutabilis secundum liberum arbitrium, quamdiu est in statu viæ, consequens est quod gratia insit animæ mutabiliter. Sed virtus instrumentalis magis attenditur secundum conditionem principalis agentis; et ideo character indelebiliter inest animæ, non propter sui perfectionem, sed propter perfectionem sacerdotii Christi, a quo derivatur. »

67. — III. *Character sacramentalis etiam in altera vita perdurat.* Ita communiter theologi, et ratio est

1. Quia concilia modo citata absolute loquuntur, et possunt facile sine limitatione intelligi.

2. Quia si character non permaneret, id esset vel propter potentiam cui inest, vel propter naturam ejus, vel quia cessaret finis ejus : atqui nullum ex his dici potest : non 1um; nam, ut ait D. Thomas (q. 63, art. 5), « omnis sanctificatio, quæ fit per sacerdotium Christi, est perpetua, re consecrata manente... Cum igitur anima sit subjectum characteris secundum intellectivam partem, in qua est fides, ut dictum est, manifestum est, quod sicut intellectus perpetuus est et incorruptibilis, ita character indelebiliter manet in anima. » — Non 2um; character enim est spiritualis et a corpore non pendet, nec proinde est cur post mortem non duret. — Nec 3um; nam character pertinet ad exteriorem Dei cultum; porro, ut ait adhuc D. Thomas (*ibid.*, ad 3), « quamvis post hanc vitam, non remaneat exterior cultus, remanet tamen finis illius cultus, et ideo post hanc vitam remanet character, et in bonis ad eorum gloriam, et in malis ad eorum ignominiam; sicut etiam militaris character remanet in militibus post adeptam victoriam, et in his qui vicerunt ad gloriam, et in his qui sunt victi ad pœnam. »

Inde colligere est quod, si sacerdos mortuus resuscitaretur, non esset iterum baptizandus, neque confirmandus, neque ordinandus; secus de conjugibus resuscitatis, qui iterum forent copulandi, quia vinculum conjugale morte dissolvitur, secundum Apost. (I *Cor.*, VII). Ita Billuart.

CAPUT IV.

DE MINISTRO SACRAMENTORUM.

Tria expendemus in hoc capite, nempe : — 1. Quis sit minister sacramentorum; — 2. Quænam requirantur in ministro; — 3. An et quatenus sacramenta ministrare et quandoque denegare teneatur.

ARTICULUS I.

Quis sit sacramentorum minister?

68. Duplex est sacramentorum minister; *ordinarius*, qui juxta ordinem consuetum, a Christo constitutum, sacramenta conficere potest; et *extraordinarius*, qui præter hunc ordinem sacramenta valide conficere valet. — Dantur pariter minister *ordinarius* et *delegatus* ratione jurisdictionis.

69. Assertio 1ª : *Solus homo, viator, ratione præditus, potest esse sacramentorum minister ordinarius.*

Prob. Illi soli possunt esse ministri sacramentorum ordinarii, qui, juxta ordinem a Christo institutum, sacramenta conficiunt, seu quos Christus ad hoc munus designavit : atqui Christus ad hoc munus designavit solos homines, viatores, ratione utentes; nam illis solis dixit : « Docete omnes gentes, » *baptizantes* eos in nomine Patris... » (*Matt.*, xxviii, 19). — « *Hoc facite* in meam commemorationem » (*Luc.*, xxii, 19). — « Quorum *remiseritis* peccata, remittuntur eis... » (*Joan.*, xx, 23).

Insuper decebat ut in Ecclesia visibili, sacramentis visibilibus coadunata, cujus membra visibiliter sacramenta recipiunt, per homines visibiles fieret administratio sacramentorum.

Hinc — 1. Infantes et perpetuo amentes nequeunt valide conficere ullum sacramentum, cum careant usu rationis et aliunde debitam intentionem habere non possint.

Hinc — 2. Angeli boni et beati in cœlo non sunt ministri ordinarii sacramentorum; at possunt esse eorum ministri extraordinarii; Deus enim potestati suæ limites non præfinivit.

Hinc — 3. Dæmones sacramentorum nequeunt esse ministri, nec ordinarii, nec extraordinarii, quia Christum Dominum nullo pacto repræsentare queunt; unde invalidus esset baptismus ab ipsis collatus.

70. Assertio 2ª : *Simplices christiani non sunt omnium sacramentorum ministri etiam extraordinarii, sed hi tantum qui in Ecclesia rite ordinati sunt.*

Est de fide. Trid. conc. (sess. 7, 10), ait : « Si quis dixerit christianos omnes in verbo, et in omnibus sacramentis administratandis habere potestatem : anathema sit. »

Prob. Simplices christiani non dicendi sunt omnium sacramentorum ministri, si ab hoc officio excludantur, tum in Scriptura, tum in Traditione : atqui ita est; excluduntur a *Scriptura*, quia Christus non omnibus discipulis sed solis apostolis rite ordinatis dixit : « Hoc facite in meam comme- » morationem » (*Luc.*, xxii, 19). — « Quorum remiseritis » pecata remittuntur eis » (*Joan.*, xx, 23). — *Traditio* vero hanc potestatem omnia conferendi sacramenta etiam extraordinarie nunquam omnibus christianis tribuit, sed iis tantum qui legitimam ordinationem acceperunt, ut in variis Tractatibus subsequentibus ostendetur.

Dicitur *omnium sacramentorum*, quia quilibet homo est minister extraordinarius baptismi; quilibet autem christianus est matrimonii minister juxta doctrinam communem, quæ tenet contrahentes esse hujus sacramenti ministros.

Obj. (I *Pet.*, ii, 9). Omnibus christianis dicitur : « *Vos* » *autem genus electum*, *regale sacerdotium*, » ergo omnes christiani sunt sacerdotes. — Resp. *dist. cons.* Sunt sacerdotes improprie et metaphorice, propter spirituales hostias quas Deo per Christum offerunt, *conc.;* vere et proprie, *nego;* eodem nimirum sensu omnes christiani sacerdotes dicuntur quo reges; atqui metaphorice dicuntur reges, quia suis affectibus dominari tenentur; ergo.

ARTICULUS II.

Quænam requirantur in ministro sacramentorum?

Quæstio moveri potest de sanctitate, de fide, et de intentione; unde triplex pagraraphus.

§ I. De sanctitate.

71. Errores. *Sanctitatis* nomine hic intelligitur status gratiæ. Affirmarunt in quarto sæculo Donatistæ invalidum esse a peccatore collatum sacramentum; eorum errorem reno-

varunt Valdenses et Albigenses in duodecimo sæculo, Hussitæ et Wiclefistæ in sæculo decimo quarto, et recentius Anabaptistæ; contra quos

72. Asssertio : *Sanctitas, seu status gratiæ, non requiritur ad validam sacramentorum confectionem.*

Est de fide. Conc. Trid. (sess. 7, c. 12), ait : « Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre sacramentum : anathema sit. », — Præiverat conc. Constantiense quod sequentem (n. 4) Wiclefi damnaverat propositionem : « Si episcopus, vel sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non consecrat, non conficit, non baptizat. »

Prob. 1. *SS. Patr.* S. Augustinus (Tract. 5, *in Joan.*, n. 6) : Baptisma *tale est*, *qualis est ille* in cujus potestate datur; non *qualis est ille* per cujus ministerium datur. » — Et (n. 18) : « Dedit *Judas*, et non est baptizatum post *Judam*... quia si datus est a Juda baptismus, *Christi erat*... Non timeo *adulterum*, non *ebriosam*, non *homicidam;* quia columbam attendo per quam mihi dicitur : *hic est qui baptizat.* » S. Chrysostomus (Hom. 8, *in Epist.* 1, ad *Cor.*, n. 2) : « Etiam per indignos Deus solet operari, neque baptismatis gratia quidquam *læditur vita sacerdotis*... Universum opus est *Dei virtutis*, et ille est qui nobis exhibet mysteria. » Unde sic : Illi tenent sanctitatem in ministro non requiri ad validam sacramentorum administrationem et confectionem, qui docent non attendendum esse ad dignitatem ministri, sed ad potestatem instituentis sacramenta; qui prædicant Deum per indignos ministros operari in sacramentis : atqui ita SS. Patres; ergo.

Prob. 2. *Rat. theol.* Si defectu sanctitatis in ministro sacramenta invalida essent, ratio desumenda esset vel ex ipsa natura sacramentorum, quæ corrumperentur per malos ministros, vel ex natura potestatis ministerialis, qualis in sacramentorum dispensatoribus invenitur; atqui neutrum : — non 1um; nam semper ratum est apud catholicos *sacramenta non esse ministrorum, sed Christi*, seu ex meritis Christi divinaque

institutione suam virtutem sortiri; imo Ecclesia definivit sacramenta gratiam conferre *ex opere operato*. — Non 2um; potestas enim ministerialis sanctitati ministri non alligatur, sed est simpliciter donum gratis datum, ut tradunt Patres ac theologi. Hujus autem rei rationem sic enucleat D. Thomas (q. 64, art. 5) : « Ministri Ecclesiæ instrumentaliter operantur in sacramentis, eo quod quodam modo eadem ratio est ministri et instrumenti... Sicut autem supra dictum est, instrumentum non agit *secundum propriam virtutem*, sed secundum virtutem ejus a quo movetur... Unde ministri Ecclesiæ possunt sacramenta conferre, etiamsi sint mali. » Ergo.

Præterea noluit Christus fideles perpetua anxietate vexari circa validam sacramentorum susceptionem : porro id fieret, si requireretur sanctitas in ministro ; si enim nesciat homo an amore vel odio dignus sit, quomodo fideles illud de ministro scire possint? Inde non modicæ anxietates.

73. Quæritur 1. *An et quatenus peccet minister qui in statu peccati mortalis sacramentum conficit actionemve aliquo modo sacramentalem exercet.*

Minister sacramentorum potest ad eorum administrationem deputari ex officio vel ex necessitate. Minister *ex officio* ille est, qui ad sacramenta conficienda speciali consecratione fuit deputatus. Minister *ex necessitate* ille est, qui speciali consecratione ad sacramenta conferenda non fuit deputatus. — His prænotatis

Resp. 1. Minister *ex officio*, qui *in statu peccati* sacramentum confert, *generatim loquendo mortaliter peccat*. — Constat

1. *Script. Sacr.* (*Exod.*, xix, 22) : « Sacerdotes quoque qui » accedunt ad Dominum, *sanctificentur*. » — (*Tit.*, i, 7) : « Opor» tet episcopum *sine crimine* esse sicut Dei dispensatorem. » — (I *Tim.*, iii, 10) : « Probentur primum (diaconi), et sic minis» trent, *nullum crimen* habentes. » Porro hæc omnia necessitatem sanctitatis in ministro aperte demonstrant; ergo.

2. *Rat. theol.* Qui in statu peccati sacramenta administrat, gravissimam injuriam committit, erga *Deum* cujus majestatem lædit; erga *sacramenta* quæ contaminat; erga *Christum* cujus personam gerere audet, licet sit ipsius hostis infensissimus. Unde S. Thomas (3 q. 64, a. 6) : « Non est dubium quin

mali exhibentes se ministros Dei et Ecclesiæ in dispensatione sacramentorum, peccent... Tale peccatum ex genere suo fit mortale. »

Dicitur — 1. *Generatim loquendo*; duo quippe excipiuntur casus, scilicet casus *erroris invincibilis*, si minister se in statu gratiæ constitutum bona fide credat; et casus *necessitatis*, quæ non sinit ut minister cogitet de actu contritionis eliciendo, si agatur, v. g. de puero jamjam morituro, vel de operario e tecto decidente; dummodo tamen minister in his versetur circumstantiis, ut hujusmodi eventus, etsi possibiles sint, *improbabiles* tamen prudenter judicare possit. — Inde concludendum quanta mundities requiratur in omnibus sacerdotibus, et præsertim in parochis et eorum vicariis, qui ad sacramenta ministranda semper parati esse debent.

Dicitur — 2. Minister *ex officio*, quia si ageretur de ministro ex necessitate, puta de laico baptizante, vel de sacerdote ob imminens periculum baptisma sine solemnitate conferente, scinduntur theologi.

Negant S. Thomas, Suarez, Billuart et alii multi hujusmodi, ministrum peccare mortaliter; nam, inquiunt, in his casibus, minister nullam consecrationem, nullam specialem gratiam ad hoc munus accepit, nec ut Ecclesiæ legatum sese gerit.

Affirmant vero de Lugo, Vasquez, S. Ligorius (lib. 6, n. 32), ministrum ex necessitate lethaliter peccare sacramenta in statu peccati ministrando; tum quia Deo irrogatur irreverentia etiam a ministro non consecrato; tum quia, licet tunc se non exhibeat ut Ecclesiæ ministrum, sese tamen præbet ut ministrum Christi, ejus sacramenta conficiendo; tum quia sancta sancte tractanda sunt, et sane sub gravi in re gravi : actio autem ministrandi sacramenta est eximie sancta, ob Christum, cujus nomine fit, et ob cooperationem immediatam alicujus animæ sanctificationi. Exinde deducunt quemlibet, cum vocatur ad sacramentum ministrandum, statim conteri debere, si in peccati statu versetur.

Resp. 2. Graviter etiam peccat minister qui in statu peccati mortalis actionem *proxime* sacramentalem exercet. — Huc veniunt rationes supra allatæ. Unde

Colliges — 1. graviter peccare qui mortalis peccati conscius Eucharistiam administrat; ita communius, tum ob reverentiam sacramento debitam, tum ob cooperationem immediatam ad suscipientium sanctificationem.

Utrum autem sint tot peccata quot sint fideles simul sacram synaxim suscipientes, controvertitur. Multi negant, quia, licet sint plures actiones distinctæ, non datur nisi unica actio completa et unum convivium. Fatentur tamen singulas personas habendas esse velut totidem circumstantias aggravantes. — Secus dicendum est de sacerdote qui in mortali plures absolvit. Ratio est quia singulæ absolutiones efformant judicium completum.

Valde etiam disputatur an tangentes aut deferentes in mortali sanctissimam Eucharistiam, sive mediate sive immediate, mortaliter peccent. Communius affirmatur, si tactus sit immediatus, vel actio valde solemnis, ut benedictio SS. Sacramenti, vel si ageretur de gestatione solemni SS. Eucharistiæ, v. g., in festo Corporis Christi.

Neque desunt qui contendunt graviter peccare sacerdotem qui confessiones in statu peccati mortalis audit, quin absolutionem ministrat; at communiter negatur; ita Gury.

Colliges — 2. probabiliter peccare mortaliter episcopum in mortali chrisma vel oleum sanctum conficientem; etsi enim ejus actio non sit factiva, nec distributiva sacramenti, est tamen aliquo sensu sacramentalis, quatenus materiam ordinis et extremæ unctionis conficit ex potestate ordinis in summo gradu. Secus autem dicendum videtur de consecratione templi, aut de benedictione sacrarum vestium, cinerum, campanæ..., quia actio non est ita proxime sacramentalis.

Colliges — 3. diaconos probabilius lethaliter peccare, si in peccato mortali ministrent, tum quia dicuntur in Pontificali *comministri et cooperatores Corporis et Sanguinis Domini*; tum quia (I *Tim.*, III, 10) Apostolus de diaconis loquens ait: « *Sic* » *ministrent, nullum crimen habentes* »; qui textus, quamvis de diaconorum electione, et de crimine externo absolute intelligi possit, communiter tamen a theologis hic appellatur. — Juxta Suarez, S. Ligor., P. Gury, et alios, sententia quæ negat pec-

catum esse mortale, probabilis, secura, et in rigore vera est.

Subdiaconi vero probabilius graviter non peccant, præsertim si una vice tantum suum ministerium exerceant; ita Suarez; sed juxta quosdam habitualiter, et non transeunter tantum, sic ministrare gravis est injuria Christo, et proinde grave peccatum. — Clerici inferiores non peccant graviter si functiones suas in peccato exercent.

74. Quæritur 2. *Utrum minister peccati mortalis conscius sacramentalem confessionem præmittere teneatur, antequam sacramentum conficiat aut ministret.*

Resp. Juxta omnes præmittenda est confessio sacramentalis, si detur copia confessarii, ubi agitur de Eucharistia conficienda; ita expresse conc. Tridentinum, uti fusius dicetur in Tract. *de Eucharistia*. Quoad autem alia sacramenta, duplex est sententia.

Prima asserit præmittendam esse confessionem, et nititur — 1. *concilio Tridentino*, quod requirit confessionem pro Eucharistia suscipienda « ne tantum sacramentum indigne sumatur; » quæ ratio pro omnibus sacramentis ministrandis militat; non enim indigne conferri debent. — 2. *Catechismo conc. Trid.*, qui illud expresse asserit (P. 2, *de Pœnit.*, n. 59). — 3. *Rat. theol.* Fatentibus omnibus, nonnisi in statu gratiæ ministranda sunt sacramenta; ergo, quando minister peccati mortalis sibi conscius est, sacramentalem confessionem præmittere debet, tum ob difficultatem contritionis perfectæ, tum ob votum futuræ confessionis, quod in actu contritionis necessario includi debet, quodque abesse videtur in eo qui, confessarii copiam habens, pœnitentiæ remedium non adhibet.

Secunda sententia communior et probabilior confessionis necessitatem denegat, et nititur — 1. *Rituali romano* dicenti : « Sacerdos, si fuerit peccati mortalis sibi conscius (quod absit), ad sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi prius corde pœniteat. Sed si habeat copiam confessarii, et temporis locique ratio ferat, *convenit* confiteri. » Si conveniat, ergo non necessarium est. Unde conc. Trid. non loquitur de sacramentis ministrandis, sed de sola Eucharistia conficienda aut suscipienda; illius autem discriminis ratio facile detegitur in

Eucharistiæ sacramenti excellentia, et in verbis S. Pauli : *Probet autem seipsum homo.* — 2. *Rat.* Non necessario præmittenda est confessio, si nullo jure præcipiatur : atqui hæc confessio nullo jure requiritur ; non jure divino vel ecclesiastico, cum nullum hac de re proferatur præceptum ; non pariter jure naturali seu ob sacramenti sanctitatem ; etenim sacramenta exigunt tantum in ministro gratiæ statum, aut potius judicium prudens circa illius existentiam : porro status gratiæ obtineri potest caritate, vel contritione perfecta cum voto sacramentali ; qui actus non perdifficilis est, cum aliquoties præscribatur, et solum fuerit ante Christum recuperandæ gratiæ medium.

Ex his concludere licet posteriorem hanc sententiam esse probabiliorem ; at prior est certe tutior, et raro sacerdos debet postponere confessionem, ea persuasione, quod contritionem perfectam habeat. Et reipsa, cum confessio sit medium facilius et certius obtinendi gratiam sanctificantem, sacerdos qui vult sancta sancte tractare, sicut jubet lex naturalis, certe non omittet ad confessionem recurrere, quando confessarii copiam habebit.

75. Quæritur 3. *An sacramenta a malis ministris petere ac recipere liceat?*

Ut quæstio rite solvatur, nonnulla prænotanda sunt, scilicet :

Notandum est — 1. duplicem distingui sacramentorum ministrum : alium *ex munere*, qui beneficii titulo aut delegatione tenetur sacramenta ministrare, ut sunt parochi et eorum vicarii ; alium *ex caritate*, qui nulla lege nisi caritatis præcepto sacramenta conferre tenetur. — Rursus sacramentorum ministri sunt vel *expositi*, veluti qui in sacro tribunali sedent ad audiendas confessiones, aut qui actu sacram synaxim distribuunt ; vel sunt tantum *parati* ad sacramenta conferenda, si rogentur.

Notandum est — 2. ministros peccatores, alios esse *occultos*, alios *publicos*. Publici, alii sunt ab Ecclesia minime *tolerati*, quales sunt hæretici, et notorie, nominatim ac per sententiam excommunicati, interdicti, suspensi ; alii autem sunt, qui,

licet in statu peccati mortalis existere certo cognoscantur a pluribus vel quibusdam, in suo ministerio ab Ecclesia *tolerantur*. Advertatur tamen nullum ministrum præsumendum esse malum, nisi gravis adsit ratio ; nec sufficit ut cognoscatur recens peccatum ab eo fuisse commissum, sed oportet ut moraliter constet eum in malo statu perseverare.

Notandum est — 3. triplicem esse necessitatem sacramenta recipiendi : *extremam*, quæ adest quando proxime periclitatur salus æterna animæ, v. g., in articulo vel proximo periculo mortis ; *gravem*, quæ datur quando urget grave præceptum adimplendum, v. g., præceptum communionis paschalis, vel quando timetur notabile damnum spirituale ; *levem*, quæ existit quando non est timendum nisi leve damnum facile reparandum, v. g., dilatio communionis.

His prænotatis,

Resp. 1. In *extrema necessitate*, sacramenta, quibus *necessitati consulitur*, petere ac recipere licet a malo ministro *etiam non tolerato*, si *nullus alius adsit minister toleratus*, *secluso* tamen *scandalo*.

Nam — 1. Concilium Tridentinum (sess. 14, c. 7) declarat « *omnes sacerdotes* quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis et censuris, in articulo mortis absolvere posse. » — 2. S. Augustinus docet eum qui, *extrema necessitate cogente*, sacramentum a ministro *hæretico* recipit, nonnisi catholicum reputandum esse (lib. 1, *de Bapt., cont. Donat.*, c. 2). — 3. Ratio ipsa dictat in extrema necessitate partem tutiorem sequendam esse : porro, etsi adultus per solam contritionem cum voto sacramenti sine ipso sacramento salvari possit, longe tamen tutius est ad sacramentum recurrere. Unde a malo ministro etiam non tolerato petere licet in articulo mortis *baptismum*, *pœnitentiam*, imo et *extremam-unctionem*, quia non omnino certum est validam esse absolutionem a sacerdote non tolerato concessam.

Dicitur 1 : *Si nullus alius adsit minister toleratus*, quia, præsente tolerato, nulla est ratio communicandi in divinis cum non tolerato.

Dicitur 2 : *secluso scandalo* ; nam si ex susceptione sacra-

menti ab hæreticis vel schismaticis collati, catholicis præberetur occasio non temere credendi per hujusmodi susceptionem approbari hæresim vel schisma, eaque ratione ministris hæreticis, vel schismaticis concilianda prævideretur auctoritas, et plures ex catholicis ad eorum partes adducendi essent, non liceret ab eis sacramenta petere et recipere.

Resp. 2. In *gravi necessitate* licitum est sacramenta petere a ministro peccatore *tolerato*, si *absit bonus minister* a quo facile et cum eodem fructu recipi possint, *nullumque timeatur scandalum*. Ita communiter.

Ratio est quia licet cooperari alterius peccato, quando res in se bona est, datur ratio gravis eam ponendi, non intenditur peccatum, quod cæteroquin ex prava agentis dispositione totum procedit; porro ita est in præsenti casu; ergo.

Hujus vero gravis necessitatis auctores sequentia tradunt exempla : — Si urgeat præceptum confessionis aut communionis annuæ; — si ex dilatione susceptionis immineat periculum lapsus;— si impleri debeat missæ audiendæ præceptum; — si alias diu suscipiens debeat permanere in mortali, et nequeat alium adire confessarium.

Dicitur tamen : *si absit bonus minister*, etc., quia ex præcepto caritatis et religionis, peccatum proximi et irreverentiam sacramenti devitare tenemur, quando illud sine incommodo possumus (Vide S. Lig., lib. 6, n. 89).

Resp. 3. *Levis causa* sufficit ut liceat petere et recipere sacramenta a malo ministro tolerato, si *ex munere* sacramenta ministrare teneatur, vel ab alio *tolerato*, *si sit expositus*.

Ratio eadem est ac supra; quamvis enim utilitas sit levis, licita est cooperatio, quia, quando agitur de ministro *ex munere*, id est, de parocho et ejus vicario, fideles utuntur jure suo ad sacramenta petenda, et jus istud supplet quod ex parte utilitatis deest. — Quando autem agitur de ministro *ex charitate*, sed *exposito*, petens non censetur malum ministrum ad peccatum inducere, sed ipsius voluntate, jam ad malum determinata, pro bono suo spirituali uti. — Illa levis causa est desiderium communionis in die festi, studium ut conscientia ab omni peccato sit immunis, et alia hujusmodi.

§ II. De fide.

76. Expositio historica. Circa fidem in sacramentorum ministro requisitam olim gravissima orta est controversia : Agrippinus, Carthaginensis episcopus, et post illum S. Cyprianus cum pluribus Africanis et Orientalibus episcopis, duce Firmiliano, docuerunt invalidum esse baptisma ab hæreticis collatum. Eis fortiter restitit S. Stephanus Papa, et ex eo tempore damnata fuit rebaptizantium doctrina.

77. Assertio : *Fides per se non requiritur in sacramentorum ministro ad validam eorum confectionem.*

Est de fide, quoad baptismum ; hæc quippe habet concilium Tridentinum (sess. 7, can. 4) : « Si quis dixerit baptismum, qui etiam ab hæreticis datur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum baptismum ; anathema sit. »

Prob. 1. *Traditione perpetua Ecclesiæ.* Etenim — 1. Quod ad baptismum attinet, omnes fatentur a temporibus S. Cypriani in universali Ecclesia invaluisse morem non rebaptizandi illos qui baptisma ab hæreticis susceperant. Solum itaque circa sæcula ante S. Cyprianum elapsa moveri potest controversia : porro illius ævi praxis constat ex testimoniis S. Vincentii Lirinensis et S. Augustini, responsione S. Stephani declarantis baptismum non esse conferendum, et confessione ipsiusmet S. Cypriani.

Etenim S. Vincentius Lirinensis (*comm.* 1, c. 9) ait : « Venerabilis bonæ memoriæ Agrippinus, primus omnium mortalium contra divinum canonem, contra *universalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium consacerdotum, contra morem ac institutum majorum*, rebaptizandum esse censuit. » S. Augustinus adversus Donatistas scribens (lib. 2, *de Bapt.*, c. 9, vel n. 14), sic loquitur : « *Consuetudinis robore* tenebatur orbis terrarum, et hæc sola opponebatur inducere volentibus novitatem. » — S. Stephanus itaque novæ doctrinæ morem antiquum objiciebat his verbis apud S. Cyprianum (*epist.* 74, *ad Pompeium*) relatis : « Si quis a quacumque hæresi venerit ad vos, *nihil innovetur*, *nisi quod traditum est*, ut manus illi im-

ponatur ad pœnitentiam. » — Ipse S. Cyprianus hanc consuetudinem, licet vim ejus infringere conaretur, agnoscebat, dicendo (*eadem epist.* 74) : « Nec *consuetudo*, quæ apud quosdam obrepserat, impedire debet quominus veritas prævaleat et vincat. Nam consuetudo sine veritate vetustas erroris est. » Et (*epist.* 71, *ad Quintum*) : « Non est de *consuetudine* præscribendum, sed ratione vincendum. »

2. Quoad alia sacramenta, afferri possunt verba conc. Nicæni I, quod (c. 8) ait : « De his qui se nominant catharos, id est mundos, si venerint ad Ecclesiam catholicam, placuit sancto et magno Concilio ut impositionem manus accipientes *sic in clero permaneant.* » Unde sic : clerici ex parte hæreticorum, qui cathari dicebantur, venientes, juxta S. Concilium, in clero permanere possunt post reconciliationem per impositionem manuum factam; ergo ut valida habebatur eorum ordinatio. — Jam vero quod dicitur de ordine, pari ratione de cæteris sacramentis dicendum est.

Prob. 2. *Ratione* ex D. Thoma deprompta : ait enim (q. 46, a. 9) : « Minister in sacramentis instrumentaliter operatur, non agit in virtute propria, sed in virtute Christi. Sicut autem pertinet ad propriam virtutem hominis caritas, ita et *fides.* Unde sicut non requiritur ad perfectionem sacramenti, quod minister sit in caritate, sed possunt etiam peccatores sacramenta conferre, ut supra dictum est, ita *non requiritur ad perfectionem sacramenti fides ejus;* sed infidelis potest verum sacramentum præbere, dummodo cætera adsint, quæ sunt de necessitate sacramenti. »

Cæterum huc recurrunt omnes rationes jam adductæ, ubi de sanctitate in ministro requisita.

Dicitur *per se*, nam per *accidens* et indirecte invalidum esse potest sacramentum ab hæreticis collatum : sic in pœnitentiæ sacramento, præter characterem sacerdotalem requiritur jurisdictio ob specialem sacramenti naturam : porro hanc jurisdictionem hæreticis Ecclesia potest concedere vel denegare; si concedat, validum est sacramentum; irritum autem, si deneget.

78. Obj. 1. Plures citantur conciliorum canones, in quibus præcipitur, ut ab hæreticorum partibus venientes recipiantur

cum manuum impositione; quod de confirmatione vel de ordine intelligi tantum potest. — Resp. Hæc manuum impositio a conciliis præscripta non renovatio fuit confirmationis, aut ordinationis, sed vel sacramentum confirmationis aut ordinis, quod invalide susceperant ob ritus essentialis defectum, vel cæremonia, qua Ecclesiæ reconciliabantur, et ab excommunicatione absolvebantur, vel etiam sacramentum pœnitentiæ his obscuris verbis designatum ob strictam silentii legem, ut ostendit Merlin (*Traité surles paroles et les formes des sacrements*, ch. 19; *Curs. compl. theol.* tom. 21, col. 208).

79. Obj. 2. Sacramenta pertinent ad solam Ecclesiam catholicam; nam ei soli data sunt a Christo; ergo non possunt esse extra Ecclesiam. — Resp. *neg. conseq.* Quia possunt ab hæreticis illicite et injuste usurpari sicut evangelia et alia bona. Ubicumque autem reperiantur, semper pertinent ad Ecclesiam. Unde cum baptizati ab hæreticis ad Ecclesiam veniunt, Ecclesia quod suum est agnoscit et retinet; quod vero suum non est, nempe errorem, repudiat et emendat.

80. Obj. 3. Minister sacramentorum est minister Christi et Ecclesiæ : nam non agit suo, sed solum Christi et Ecclesiæ nomine : atqui hæreticus non est Ecclesiæ et Christi minister. Hæreticus enim non est Ecclesiæ et Christi membrum : porro ille solus est minister Christi et Ecclesiæ, qui est Christi et Ecclesiæ membrum, siquidem Christus et Ecclesia non utuntur nisi suis membris. Ergo. — Resp. *neg. min.* Non est necesse ut sacramenti minister sit membrum Christi; Christus enim suis inimicis ad Ecclesiæ utilitatem uti potest. Nec necesse est ut sit membrum Ecclesiæ, sed sufficit ut possit esse instrumentum Christi, ut causæ principalis sacramenti; ad quod non requiritur ut sit membrum Ecclesiæ, nec Christi.

§ III. De intentione in ministro sacramentorum requisita.

81. Status quæstionis declaratur. — « Intentio, ait D. Thomas (1-2, q. 12, art. 1, ad 3), nominat actum voluntatis, præsupposita ordinatione rationis ordinantis aliquid in finem. » Unde in ministro sacramentorum intentio est voluntatis actus, quo ritum sacramentalem vult adhibere.

De hac autem intentione quæritur 1° an et quænam in genere requiratur intentio in ministro sacramentorum; — 2° quodnam esse debeat objectum hujusce intentionis; — 3° qualis esse debeat ex parte conficientis sacramentum.

I. *An et quænam in genere requiratur intentio in sacramentorum ministro?*

82. Errores. Protestantes, suo principio innixi, quod sacramenta habeant tantum significationem speculativam, nec apta sint nisi ad fidem excitandam, ita ut tota eorum virtus a suscipientium fide pendeat, asserere non dubitant nullam in ministro sacramentum conficiente requiri intentionem, sed valere ritum sacramentalem, sive mimice et irrisorie exterius adhibeatur, sive ab ebrio aut amente exerceatur.

83. Catholici vero, post concilium Tridentinum, unanimi ore profitentur requiri in ministro sacramentorum intentionem faciendi quod facit Ecclesia. Sit proinde sequens

Assertio : *Ad validam sacramentorum administrationem requiritur in ministro intentio saltem faciendi quod facit Ecclesia.*

Est *de fide*. Conc. Trid. (sess. 7, can. 11) ait : « Si quis dixerit in ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem faciendi quod facit Ecclesia; anathema sit. »

Prob. 1. *Scrip. S.* (*S. Joan.*, xx, 21) : « Sicut misit me » Pater, et ego *mitto vos*... quorum remiseritis peccata, remit» tuntur eis. » — (I *Cor.*, iv, 1) : « Sic nos existimet homo ut » *ministros* Christi, et *dispensatores* mysteriorum Dei. » Unde sic : Sacramentorum administratores ex his textibus agere debent ut ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei; porro sic se gerere nequeunt quin habeant intentionem peragendi ritum a Christo institutum et in Ecclesia usitatum; ergo.

Prob. 2. *Traditione.* — Concilium Constantiense jubet suspectos de hæresibus a concilio damnatis interrogari (n. 22) « an credant quod malus sacerdos cum debita materia et forma, et *cum intentione faciendi quod facit Ecclesia*, vere conficiat,

vere absolvat, vere baptizet et vere conferat alia sacramenta. » — Conc. Florentinum hæc habet : « Omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri conferentis sacramentum *cum intentione faciendi quod facit Ecclesia;* quorum si aliquod desit, non perficitur sacramentum. »

Prob. 3. *Ratione.* Quando aliquid est ex se indifferens, et potest ordinari ad multa, si effici debeat, opportet ut per aliquid determinetur ad unum potius quam ad alterum : atqui quæ in sacramentis aguntur sunt ex se indifferentia, et possunt ad multa ordinari; v. g., ablutio aquæ in baptismo potest fieri ut naturalis et profana, nimirum ut ablutiva aut sanativa corporis tantum, vel ut sacra et religiosa; ergo per intentionem determinari debet. Nec dicatur quod determinetur ad esse sacramentale per verba *te baptizo*, quia et hæc sunt indifferentia ut significent naturalem ablutionem corporis, vel sacram lotionem animæ; ergo.

Et vero si admitteretur hæreticorum sententia, sequeretur — 1. quod mater infantem domi abluens, invocata SS. Trinitate ut ad sanitatem illi sit, ipsum baptizaret; — 2. quod sacerdos lector mensæ apud regulares, qui legeret caput vigesimum sextum Matth., omnes panes mensæ appositos, et omnes vini lagenas consecraret : porro hæc sunt aperte absurda. Ergo.

Nec objiciatur cum Protestantibus sacramenta esse sicut verbum Dei, quod, absque ulla intentione prolatum, efficax esse potest. Nam ut verbum Dei effectum suum obtineat, sufficit ut ad aures veniat, Deo cor intus movente; dum in sacramentorum confectione Christus instituit ministros suos tanquam judices, dispensatores et legatos, qui, humano modo, cum cognitione et intentione agere debent.

II. *Quodnam esse debeat objectum intentionis in ministro sacramentorum requisitæ?*

84. Status quæstionis. Ex præcedenti assertione constat, imo de fide est, necessariam esse in ministro, ad sacramentum valide conficiendum, intentionem faciendi quod facit

Ecclesia. Verum circa id quod facit Ecclesia, doctores catholici inter se non consentiunt. Hæc enim verba quadruplici sensu accipi possunt, nempe : 1. pro ritu mere externo, serio quidem adhibito, sed materialiter tantum; — 2. pro ritu illo externo, quatenus est generatim ritus Christi et Ecclesiæ, ac proinde aliquo modo sacer; — 3. pro ritu sacramentali formaliter sumpto, seu quatenus est sacramentum; — 4. denique pro eodem ritu, quatenus est causa efficax gratiæ et characteris.

Porro generatim fatentur theologi non requiri in ministro intentionem ponendi ritum, ut est sacramentum, nec a fortiori, prout est causa efficax gratiæ et characteris.

Tota igitur difficultas in eo est, utrum requiratur in ministro intentio peragendi ritum, quatenus est generatim ritus Christi et Ecclesiæ; an vero sufficiat quod ritum materialiter sumptum externe, sed tamen serio adhibere velit.

Plures theologi, Protestantium figmentum de intentione jocosa vel mimica procul repellentes, contendunt ad perfectionem sacramenti satis esse, si actio sacramentalis exterius serio usurpetur; quamvis minister *interius* ridere, fingere et jocari, aut actum materialiter ut naturalem et profanum exercere tantum intendat. Et hanc intentionem *externam* vocant, non quia interne non concipitur, omnis enim intentio est actus voluntatis, sed quia ejus objectum est tantum positio ritus externi et materialis. Hujusmodi intentionem sufficere propugnarunt Amb. Catharinus, Salmeronius et Marius Scribonius; quibus deinde adhæserunt alii non pauci, qui tamen nolunt hanc intentionem externam sufficere in omni casu, sed tunc tantum, quando sacramentum confertur debitis in circumstantiis, id est, in loco sacro, cumque aliis rebus adhiberi solitis; tum quia agens in his adjunctis vere se exhibet Ecclesiæ ministrum; tum quia, datis his circumstantiis, ritus externus de se indifferens sat determinatur ad esse sacramentale. Ita Contenson, Juenin et alii.

At sententia longe communior et probabilior docet necessariam esse in ministro sacramentum conficiente intentionem internam, id est, qua minister non modo exterius, sed intus

in animo vult ritum sacramentalem ponere, saltem quatenus est generatim ritus Christi et Ecclesiæ. Sit proinde sequens

85. Assertio : *Ad sacramenti valorem non sufficit quod minister ritum externum materialiter sumptum serio ponat, sed requiritur ut illum adhibere intendat veluti quid sacrum et religiosum in Ecclesia Dei, quæcumque illa sit, seu brevius non sufficit intentio externa, sed requiritur interna.*

Prob. 1. *Scriptura sacra.* Nam ex textibus in favorem præcedentis assertionis jam citatis, constat sacramentorum ministros esse *dispensatores* mysteriorum Dei; ergo in nomine Christi ea dispensare debent; dispensator enim et minister fidelis debet id velle facere, quod vult is, cujus minister est; atqui nullo vero ac proprio sensu in nomine Christi agere dici potest, qui *in animo* non vult, quod Christus instituit, imo contrariam gerit intentionem.

Nec dicatur ritus sacramentales habere a Christo, non autem ab intentione ministri, quod sint sacri et religiosi, ac proinde id tantum ad ministrum spectare, ut opus præscriptum exterius peragat; nam Christus hos quidem ritus instituit, ut possint esse sacramentales, sed ea lege ut ministri proxime concurrerent ad ultimam eorum determinationem sacramentalem. Hoc enim exigit potestas ministerialis qua *libere* funguntur.

Prob. 2. *Traditione.* Superius adducta sunt verba conciliorum Constant., Florent., et Trid., ex quibus patet, præter debitam materiam et formam, seu præter applicationem formæ ad materiam, requiri in ministro intentionem faciendi quod facit Ecclesia : atqui, si sufficeret intentio externa, nulla præter applicationem materiæ et formæ intentio exigi posset; intentio enim externa inseparabilis est a debita et seria applicatione formæ ad materiam. Ergo. — Et vero concilium Trid. nullam atque irritam esse decernit absolutionem a ministro prolatam, cui deest *animus serio agendi et vere absolvendi :* atqui, nisi dicatur intentionem internam necessariam esse, non videtur cur invalida atque irrita esset istiusmodi absolutio. Ergo.

Accedit *auctoritas pontificia:* Alexander enim VIII se-

quentem damnavit propositionem : « Valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, *intus vero in corde suo apud se resolvit* : non intendo facere quod facit Ecclesia. » Contradictoria igitur est vera, ac proinde ita argumentari fas est : Necessaria est intentio interna, si invaliditas baptismi in casu præfato definita ex solo defectu intentionis internæ oriri possit : atqui res ita est; nam hæc verba *intus vero in corde suo apud se resolvit*, quæ restrictionem præcedentium verborum et cum ipsis oppositionem includunt, evidenter indicant ritum externum fuisse serio observatum, ac proinde solam deesse intentionem internam; ergo ad validitatem baptismi necessaria est intentio interna; ergo etiam ad validitatem aliorum sacramentorum. — Unde Benedictus XIV (*de Sign.*, l. 7, c. 4, n. 8) fateri non dubitat, opinioni theologorum, qui sufficientem asserunt intentionem externam, grave vulnus per damnationem prædictam inflictum fuisse.

Confirmatur *praxi Ecclesiæ*. In rubrica Missalis Romani *de Defectibus*, hæc leguntur : « Si quis habet coram se undecim hostias et intendat consecrare solum decem, non *determinans* quas decem intendit, in his casibus non consecrat, quia *requiritur intentio*. » Unde sic : In hoc casu adest intentio externa, quæ inseparabilis est a seria prolatione verborum consecrationis super hostias præsentes; adsunt circumstantiæ debitæ, siquidem sacerdos exterius se exhibet ut ministrum Christi : atqui tamen, juxta rubricam, invalida est consecratio defectu intentionis. Ergo alia requiritur intentio ac externa ; ergo interna.

Nec objiciatur in hoc casu abesse intentionem externam ex parte materiæ, quæ indeterminata remanet; nam materia exterius determinata est, cum hostiæ præsentes sint coram sacerdote formam consecrationis super eas proferente. Ergo indeterminatio, si quæ sit, provenit solum ex defectu intentionis internæ in sacerdote, qui eam, si vellet, omnino tolleret.

Præterea S. Congregatio Rituum declaravit anno 1682 non valide ab episcopo confirmari fidelem suæ diœcesi extraneum,

si *expressam habuerit intentionem* diœcesanos tantum confirmandi, quia, inquit, deest *intentio sufficiens*.

Prob. 3. *Ratione*. Nam ita se habent sacramentorum dispensatores respectu Christi, ut Christus ipse sit principalis agens, dispensatores vero agentes sint secundarii, sed liberi : atqui in ministro secundario hujusmodi ea requiritur « intentio, ait D. Thomas, qua se subjiciat principali agenti. » Ergo ministri sacramentorum suam intentionem Christi intentioni conformare debent ac proinde intentionem internam habere. — Addi potest ritum externum sacramentorum, etiam cum intentione externa peractum, indifferentem manere ad varios fines, v. g. effusio aquæ, prolatis etiam verbis *ego te baptizo*, etc., adhiberi potest, vel ad abluendum tantum, vel ad meram devotionem, vel ad blasphemandum. Ergo ab intentione interna ministri determinandus est.

Nec allegari potest ritum externum per circumstantias determinari ad esse sacramentale, si nempe minister exterius et solemniter agat ut Christi et Ecclesiæ legatus, tum quia ritus ille externus etiam in talibus circumstantiis est adhuc indifferens, et potest illum minister ad multos fines exercere; tum quia agens secundarius in his etiam circumstantiis apparenter tantum, non vero realiter se subjicit intentioni Christi principalis agentis; tum quia circumstantiæ solemnes ab Ecclesia institutæ sunt, nec proinde ad essentiam sacramenti pertinent.

Diximus in assertione ministrum debere ritum sacramentalem adhibere velut quid sacrum et religiosum in Ecclesia Dei, *quæcumque illa sit*. Non enim necesse est ut minister agere velit, quod Romana Ecclesia agit; sed sufficit intentio faciendi illam actionem sacram quam vera Ecclesia facit, *quæcumque sit Ecclesia*, quam minister veram reputat; nam id sufficit ut Christo principali agenti se implicite subjiciat ac proinde ejus nomine agat. Unde Ecclesia habet ut validum baptismum ab hæretico, imo a Judæo vel a pagano collatum, dummodo materiam et formam debitam applicatam esse constet, quamvis hi omnes certe non habeant Ecclesiam Romanam ut veram Ecclesiam.

Sedulo igitur distinguenda est fides ab intentione, siquidem, ex una parte, sine fide recta intentio haberi potest, et ex alia parte, fide integra manente, recta intentio potest abesse.

86. Obj. 1. Sacramentorum ministri sunt respectu Christi et fidelium sicut officiarii publici respectu principis et populi : porro, ut acta officiariorum publicorum valeant, sufficit ut juxta præscriptum legis serio et in debitis circumstantiis agant; ergo. — Resp. Non valet comparatio inter notarium et ministros sacramentorum, quia notarius est merus testis publicus qui passive tantum in contractu se habere debet; dum minister sacramentorum est dispensator activus, vicesque Christi gerit; unde intentio interna in illo requiritur.

87. Obj. 2. In adversa sententia, nimiæ darentur anxietates circa sacramentorum validitatem, quæ nec a suscipientibus, nec ab ipsa Ecclesia cognosci posset, utpote ab intentione mere interna pendens. — Resp. In his rebus, sicut et innumeris aliis, moralis sufficere debet certitudo, quæ hic facile adesse potest; cum enim debitam intentionem habere facillimum sit, eam positive excludere diabolicum est : tantam autem suspicandi malitiam nulla esse potest ratio, nisi probetur. Hæc vero certitudo physica, etiam circa intentionem externam, sæpe sæpius ægre haberi potest, nec de illa multum curat Ecclesia, cum præcipiat ut secreto formæ Eucharistiæ et Pœnitentiæ pronuntientur. — Tenendum est insuper quod, pro sua Providentia, non patietur Deus optimus nos ita dæmonis aut impiorum illudi simulationibus, et in æternum perire.

88. Scholium. Quamvis assertio modo probata communius a theologis admittatur, altera sententia speculative defendi potest : non enim datur Ecclesiæ definitio; concilium Tridentinum naturam intentionis requisitæ non definit, et absolute, quamvis improbabiliter, dici potest propositionem ab Alexandro VIII damnatam loqui tantum de intentione externa et jocosa, ad sensum protestantium. — At in praxi illam sequi omnino illicitum est, quia ubi de sacramentorum valore agitur, pars tutior est eligenda; « quare, inquit Benedictus XIV (*loc. cit.*, n. 9), si constet quempiam aut baptismum contulisse, aut aliud sacramentum ex iis quæ iterari nequeunt administrasse,

omni adhibito externo ritu, sed intentione retenta, aut cum deliberata intentione non faciendi quod facit Ecclesia, urgente quidem necessitate, erit sacramentum iterum sub conditione perficiendum : si tamen res moram patiatur, Sedis Apostolicæ oraculum erit exquirendum. »

III. *Qualis esse debeat intentio in ministro sacramentum conficiente?*

89. Intentio, si generatim consideretur, multiplex distingui solet, nempe dividitur

1. In *explicitam*, qua aliquid *in seipso* intenditur; et *implicitam*, qua aliquid non in seipso, sed *in alio in quo continetur*, intenditur.

2. In *actualem*, *virtualem*, *habitualem* et *interpretativam*. *Actualis* ea est, qua quis, dum conficit sacramentum, *actu* cogitat de sacramento et simul vult illud conficere. — *Virtualis* est ipsamet intentio actualis perseverans in sua *virtute*, quamvis de ea non cogitetur. — *Habitualis* ea est quæ, licet prius habita nec retractata, neque *actu* neque *virtute* influit in opus, quando peragitur; eam nonnulli confundunt cum intentione virtuali, sed prorsus immerito. — Denique intentio *interpretativa* dicitur, quæ nunquam extitit, sed *præsumitur* existere posse, vel extitura esse, si operans de actione peragenda cogitaret.

3. In *absolutam*, quæ a nulla conditione pendet; et *conditionatam*, quæ conditioni implendæ subordinatur.

90. Jam vero quod attinet ad intentionem *explicitam* et *implicitam*, ex præcedenti assertione satis constat requiri intentionem *explicitam* faciendi quod facit Ecclesia, seu ritum exercendi in vera Ecclesia usitatum et ab ea uti sacrum habitum; quia nulla est alia intentio generalior, in qua contineri possit; — minime vero necessarium esse ut minister *explicite* intendat ponere ritum ut absolute in se sacrum, seu ut sacramentum gratiæ productivum, sed sufficere ut illud *implicite* velit; hæc enim intentio continetur in intentione explicita faciendi ritum ut in Ecclesia sacrum.

Quoad autem alias intentiones, quid de his sententiendum sit, declarabunt sequentes assertiones.

91. Assertio 1ª : *Ut valide sacramentum conficiatur, non sufficit ut intentio ministri sit habitualis, et multo minus interpretativa; sed debet esse, si non actualis, saltem virtualis.*

PROB. 1ª PARS, nempe, *non sufficere intentionem habitualem et interpretativam;* etenim ea requiritur intentio quæ influat in actionem sacramentalem : atqui intentio tum habitualis tum interpretativa nullum influxum exercet in actionem, quatenus sacramentalis est, ut ex ipsa definitione constat. Ergo.

PROB. 2ª PARS, scilicet, *intentionem actualem non absolute requiri.* Nam — 1. intentio actualis non necessaria est ad actum humanum, nec proinde ad sacramenti valorem. — 2. Eadem intentio sæpissime non est, moraliter loquendo, in potestate nostra, cum plerumque præsertim in diuturna actione moraliter impossibile sit vitare omnes animi evagationes, quæ actualem intentionem præpediunt. — 3. Admissa hujus intentionis necessitate, munus administrandi sacramenta ita arduum esset, ut ab eo suscipiendo multi deterrerentur, fidelesque in perpetuis versarentur anxietatibus de validitate sacramentorum a se susceptorum; porro nemo sanus persuasum habebit Christum ita sacramenta instituisse. Ergo.

PROB. 3ª PARS, videlicet *intentionem virtualem requiri et sufficere.* Illa enim intentio requiritur et sufficit ad sacramentum conficiendum quæ vere influit in actum, eumque humanum facit et ad esse sacramentale determinat : atqui hujusmodi est intentio virtualis, cum nihil aliud sit, quam ipsamet intentio actualis in sua virtute perseverans. Ergo. — Aliunde non sufficit intentio habitualis et interpretativa; nec tamen requiritur intentio actualis; ergo requiritur et sufficit virtualis.

92. Assertio 2ª : *Valet intentio conditionalis ad sacramentum conficiendum, quando sacramenti effectus non remanet conditione suspensus; secus vero, si conditio sacramenti effectum suspensum relinquat.*

PROB. 1ª PARS. 1. *Praxi Ecclesiæ*, quæ baptismum haud raro confert sub hac conditione : *si vivis, si non es baptizatus.*

2. *Rat. theol.* Ex concilio Florentino sacramenta tribus perficiuntur, scilicet materia, forma et ministro cum intentione

faciendi quod Ecclesia facit : atqui hæc tria simul reperiuntur, quando forma ita est conditionalis, ut effectus sacramenti non remaneat conditione suspensus; nam adsunt materia et forma, ut patet. Adest pariter intentio in ministro; nam si deesset prædicta intentio, illud proveniret ex conditionis appositione; porro, ex hypothesi, talis est hæc conditio ut effectum in incerto non relinquat: ergo nec intentio ipsa suspenditur; ergo valet sacramentum : sic, v. g., in isto casu : *si vivis, ego te baptizo*, dantur materia, forma et intentio ministri; vult quippe minister vere et actualiter baptizare, si puer vivit; ergo nihil obstat hujus baptismi validitati; ergo valet.

Hinc valet sacramentum cum conditionibus de præterito, vel de præsenti, præsertim cognoscibilibus naturaliter, v. g. si vivis, si non es baptizatus... Dixi *præsertim cognoscibilibus naturaliter,* quia si conditio naturaliter cognosci non posset, v. g. *si es prædestinatus,* juxta plures auctores invalidum esset sacramentum.

Prob. 2ª pars, scilicet, *non valere intentionem conditionatam, si conditio sacramenti effectum suspensum relinquat.*

Nam si valeret sacramentum, id fieret, vel dum forma materiæ applicatur, vel dum adimplebitur conditio : atqui neutrum dici potest. — 1. Non valet actualiter, quia deest pro præsenti tempore intentio in ministro, qui nonnisi conditionaliter dat consensum, v. g. *te baptizo, si ante finem mensis des pauperibus centum nummos;* ergo non adest consensus verus, nisi adimpleta conditione; ergo deest in ministro intentio pro præsenti tempore. — 2. Non valet tempore adimpletionis conditionis, quia tunc desunt materia et forma. Ergo.

Hinc non valent *generatim* sacramenta cum conditione de futuro. Sed adnotandum est ejusmodi conditiones de futuro, ut plurimum, non esse nisi modum loquendi a quo non suspenditur consensus ministri. Sic confessarius, qui pœnitentem monens ut caveat a lapsu, declarat se ei absolutionem concedere ea conditione quod relapsurus non sit, non censetur absolvere sub conditione, sed duntaxat pœnitenti præscribere modum ac mentis dispositionem qua sacramentum recipere debet.

Dixi *generatim;* namque contrahi potest matrimonium cum conditione de futuro contingenti. Ratio est quia, cum matrimonium sit contractus, contractuum legibus subjacet : porro contractus sub conditione suspensiva initus, adveniente conditione, perficitur.

93. Quæritur 1. *An valide sacramentum conferat minister qui errat circa personam sacramentum suscipientem, v. g. qui masculum baptizat, putans esse feminam?*

Resp. Sacramentum ita collatum *per se* validum est; nam ministri intentio fertur ad personam præsentem, quæcumque sit, excepto tamen matrimonio, in quo contrahentes ad substantiam sacramenti pertinent. — Dicitur *per se*, quia si minister ita suam intentionem restringeret, ut nollet sacramentum conferre nisi tali personæ, invalidum esset sacramentum defectu intentionis.

94. Quæritur 2. *An valeat sacramentum, si minister intentiones habeat oppositas, v. g., si id facere velit quod facit vera Ecclesia, nolit tamen id facere quod facit Ecclesia Romana?*

Resp. Sacramentum validum est, quoties posterior intentio priorem non destruit; ratio evidens est. Hinc valet baptismus ab hæretico collatus, quia Romanæ Ecclesiæ exclusio, quæ a speculativo intellectus errore proficiscitur, totalem et absolutam relinquit intentionem faciendi id quod Christus instituit. Ut autem in praxi dijudicetur utrum una intentio alterius sit exclusiva, inquirendum est quænam sit intentio ministri prædominans, seu illa quam, attentis suis dispositionibus, eligeret minister, si cognosceret suarum intentionum oppositionem.

95. Quæritur 3. *An præter intentionem requiratur attentio?*

Attentio est voluntaria applicatio mentis ad ea quæ peraguntur, seu est actus intellectus quo homo considerat id quod agit. Hoc posito,

Resp. 1. Ad *valorem* sacramenti non requiritur attentio, saltem si extrema-unctio excipiatur. Nam ex Scripturis et Traditione, ut sacramenta valide conficiantur tria tantum re-

quiruntur : materia, forma et minister cum intentione faciendi quod facit Ecclesia; ergo non requiritur attentio, multum quippe differt ab intentione, et ad actus humanos, seu imputabiles, nunquam fuit necessaria. Insuper huc etiam veniunt rationes, quibus supra demonstravimus actualem ministri intentionem non esse necessariam. — Dixi : *Saltem si extrema-unctio excipiatur*, ob specialem difficultatem suo loco expendendam.

Resp. 2. Ad *licitam* sacramenti administrationem requiritur attentio, quia sancte sancta tractanda sunt. Ita omnes. — Hinc peccaret, saltem venialiter, minister voluntarie carens attentione in sacramentorum collatione; imo peccaret mortaliter, si se exponeret graviter periculo errandi in materia et forma; aut licet abesset errandi periculum in forma, si de SS. Eucharistiæ confectione ageretur, ob reverentiam Christo præsenti debitam.

ARTICULUS III.

An et quatenus minister sacramentorum ea ministrare vel quandoque denegare teneatur?

Seorsim agendum est — 1. de obligatione sacramenta ministrandi; — 2. de obligatione ea indignis denegandi.

§ I. De obligatione sacramenta ministrandi.

96. Sacramentorum minister potest sacramenta ministrare *ex caritate*, vel *ex munere*, id est, ex officio quo fungitur, v. g. pastoris, ut episcopus et parochus. — De ministro *ex caritate* agetur in Tractatu *de Decalogo*, ubi de charitatis præcepto. De solo igitur ministro *ex munere* tractabimus.

Assertio : *Minister ex munere tenetur sub gravi ad sacramenta administranda fidelibus iis indigentibus vel ea rationabiliter petentibus.*

Prob. Illa obligatio admittenda est quæ ex jure naturali, divino et ecclesiastico oritur; atqui talis est obligatio ministrandi sacramenta in ministro ex munere; illa enim obligatio oritur : — 1. *Ex jure naturali*; fundatur quippe in quasi-contractu, qui existit inter ministrum ex munere et Ecclesiam;

etenim, eo ipso quod Ecclesia munus aliquod sacerdoti acceptanti tribuat, sacerdos iste sese obligat ad hujus officii munera adimplenda; nam sine ista implicita promissione, ab hoc officio Ecclesia hujusmodi sacerdotem arceret. Pariter fideles huic sacerdoti plura quandoque bona conferunt sive directe, sive indirecte, mediante gubernio, non quidem tamquam pretium sacramenti, sed tamen ea conditione ut eis divina ministret sacramenta. — 2. *Ex jure divino*; ait siquidem Concilium Tridentinum (sess. 23, cap. 1, *de Ref.*) : « Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere,... *sacramentorum administratione*... pascere. » — 3. *Ex jure ecclesiastico*, ut evidens est; quot enim canones, quot synodales præscriptiones sacramentorum administrationem præscribentes! Ergo.

Dicitur 1. *Sub gravi*, quia res est ex genere suo gravis momenti, et ideo præceptum ex natura sua debet esse grave.

Dicitur 2. *Fidelibus sacramentis indigentibus*, quia necessitatibus ovium sibi commissarum, *vi muneris suscepti*, sponte succurrere tenetur ille minister.

Dicitur 3. *Fidelibus rationabiliter petentibus*, quia fideles jus strictum habent ad sacramenta suscipienda a suo pastore. Si autem non rationabiliter peterent fideles, ad nihil tenerentur ministri ex munere.

97. Corollaria. Hinc — 1. tenentur ministri *ex munere*, etiam cum probabili periculo vitæ, sacramenta ministrare fidelibus in *extrema* necessitate constitutis; nec pastor qui curam animarum habet fugere potest : — 1. *Tempore pestis*. Etenim, ut asserit Bededictus XIV (*de Syn. diœc.*, lib. 13, c. 19, n. 2), sæviente peste residere debet, et quidem residentia non tantum materiali, sed etiam *formali*, operando nimirum et laborando pro spiritualibus et corporalibus concreditæ sibi plebis necessitatibus; imo juxta S. Congregationem a S. Carolo hac de re interrogatam, non licet ei qui curam animarum exercet a residentiæ loco abscedere, et etiamsi sacerdotem idoneum adinveniat qui, accedente episcopi licentia, vices ejus adimpleat. — 2. *Tempore persecutionis*, dummodo persecutio non soli immineat pastori, sed etiam toti populo; nec tunc muneri suo

renuntiare potest, nisi ex consensu superioris saluti fidelium aliter provisuri. Ita omnes cum S. Thoma. At in his circumstantiis non tenetur ministrare pastor nisi sacramenta omnino necessaria, scilicet, baptismum, pœnitentiam, et extremamunctionem, si fidelis dubie tantum absolvi potest.

An vero teneatur vitam exponere pro administrandis præfatis sacramentis, cum probabilitate tantum felicis exitus vel necessitatis, negandum videtur; quia nimis durum est actum adeo heroicum exigere ad proximum juvandum, nisi spes affulgeat moraliter certa successus, aut certa urgeat necessitas.

98. Hinc — 2. tenentur ministri ex *munere* cum gravi incommodo, non tamen cum vitæ periculo, sacramenta ministrare in *gravi* fidelium necessitate, scilicet: — 1. Quando fideles gravi morbo laborant. — 2. Quando ex præcepto divino aut ecclesiastico obligantur ad suscipienda sacramenta. — 3. Quando versantur in gravi tentatione, quæ difficiliter vinci potest absque sacramentorum adjutorio. — 4. Quando in statu peccati mortalis constituuntur, præsertim si alium sacerdotem adire reformidant.

99. Hinc — 3. tenentur *iidem* ministri, sed non cum gravi incommodo, sacramenta ministrare in *communi* fidelium necessitate, scilicet, quando datur aliquod festum solemne, quod sacramentorum participatione sanctificare cupiunt fideles; vel quando cupiunt indulgentiam notabilem lucrari, vel sacramenta juxta suæ conditionis piorum fidelium praxim recipere; in istis enim casibus et similibus, fideles rationabiliter petunt sacramenta. Quinimo peccant graviter, generatim loquendo, pastores qui subditorum confessiones audire nolunt, nisi paucis diebus intra mensem determinatis; quia causa sunt cur fideles in statu peccati diu permaneant, et a sacramentis suscipiendis arceantur. Notat tamen S. Ligorius (lib. 4, n. 58) excusari a mortali ministrum ex *munere*, si semel aut iterum, in necessitate communi, sacramenta denegat, quia non videtur tam stricte se obligasse.

Sedulo autem cavere debet minister ex munere, ne morosum aut difficilem se præbeat erga fideles ejus ministerium expos-

tulantes, præsertim circa sacramenta ad salutem necessaria. « Quacumque vero diei vel noctis hora, inquit S. Carolus (*Act. Eccl. Mediolan.*, t. 1, p. 408), ad sacramenta infirmis ministranda parochus vocabitur, nullam moram interponet; imo populum præmonebit, ut cum opus est parochiali administratione, libere se accersat, nulla habita neque temporis, neque loci distantis ratione. » Hæc verba sæpe recogitent et mature perpendant animarum pastores, quia si fideles sua ratione agendi a sacramentis deterrerent, peccatum mortale non effugerent.

§ II. De obligatione sacramenta indignis denegandi.

100. Status quæstionis exponitur. Principium generale statui potest peccatores a sacramentorum susceptione arcendos esse; illud enim defluit ex jure tum naturali tum divino, ut patebit ex infra dicendis. At circumstantiæ occurrere possunt quæ hujus principii applicationem non patiantur.

Peccatores enim sunt *occulti* vel *notorii*; isti autem tales sunt notorietate *juris* aut *facti*. Peccatores notorii notorietate *juris*, ii sunt quorum crimina cognoscuntur vel per propriam eorum juridicam confessionem, vel per testium depositionem, vel per judicis sententiam. Peccatores notorii notorietate *facti*, ii sunt quorum crimen ita manifestum est, ut nulla tergiversatione celari possit.

Præterea peccatores sive occulti, sive notorii, vel sacramenta petunt *publice*, id est coram omni populo; vel *occulte*, id est coram solo ministro, aut coram aliis paucis nullius fere momenti, ut sunt pueruli.

Jam vero pro his diversis casibus sequentes regulæ tradi possunt:

101. Regula 1ª: *Peccatori publico sive publice sive occulte petenti sacramenta sunt deneganda, nisi sufficientia conversionis signa dederit et scandalum reparaverit, exceptis tamen pœnitentia, et quandoque matrimonio aut extrema unctione.*

Prob. 1. *Scrip. S.* (*Matth.*, VII, 6): « Nolite dare sanctum » *canibus*, » quibus verbis juxta traditionem prohibetur administratio rerum sacrarum indignis.— (*Apoc.*, XXII, 16) « Foris » *canes*, et venefici, et impudici, et homicidæ, et idolis ser-

» vientes; » unde canit Ecclesia : « Ecce panis Angelorum, factus cibus viatorum, vere panis filiorum, non mittendus *canibus*. » — 2. *Rituali Romano* dicente de Eucharistia : « Arcendi sunt autem *publice indigni*, quales sunt excommunicati, interdicti, manifesteque infames, ut meretrices, concubinarii, fœneratores, magi, sortilegi, blasphemi, et alii ejus generis publici peccatores, nisi de eorum pœnitentia et emendatione constet, et publico scandalo prius satisfecerint. » — 3. *Ratione*; nam peccator, ut talis cognitus, nullum jus, sive verum, sive apparens, habet ad sacramenta; imo sacramenti administratio in tali circumstantia prohibetur, tum reverentia sacramento debita, tum bono fidelium, qui exinde scandalum paterentur.

Dicitur — 1. *Nisi sufficientia conversionis signa dederit et scandalum reparaverit*; non enim sufficit conversio, sed etiam requiritur reparatio scandali per conversionis notitiam; alioquin fideles merito offenderentur. Si tamen peccator publicus occulte petat sacramentum, et ministro præsentibusque personis, si adsint, constet de ejus conversione, certumque sit quod conversio simul cum perceptione sacramenti innotescet, videtur quod tunc non sit denegandum, cum nulla appareat amplius causa denegandi. Ita Billuart.

Dicitur — 2. *Exceptis pœnitentia, et quandoque matrimonio ac extrema-unctione.* — *Pœnitentia*, quia pro peccatoribus pœnitentibus instituta fuit. — *Matrimonio* quandoque; Ecclesia enim aliquoties permittit matrimonium hæreticos inter et catholicos, licet in his casibus pars fidelis matrimonii sacramentum parti infideli ministret. — *Extrema-unctione* quandoque, quando scilicet moribundus, sensibus suis orbatus, pœnitentiæ sacramentum certo validum suscipere nequit, uti fuse explicatur in Tract. *de Pœnitentia*.

102. Regula 2ª : *Peccatori occulto occulte petenti pariter denegandum est sacramentum.*

Constat 1. *Auctoritate Ritualis Romani* mox citati ubi hæc etiam leguntur : « *Occultos* vero peccatores, si *occulte* petant, et eos non emendatos noverit, repellat. »

2. *Ratione*. Si enim sacramentum esset concedendum, id

foret quia ex denegatione sequeretur diffamatio aut aliud inconveniens. Atqui, in casu petitionis occultæ, sacramentum denegari potest absque ulla diffamatione, aliove incommodo. Imo minister peccaret contra religionem dando sine urgenti causa sanctum canibus, abuteretur suo ministerio, quod illi datum est ad ædificationem et non ad destructionem, demumque concurreret sine necessitate peccato saltem externo alterius internumque foveret.

Excipitur tamen casus quo sacerdos statum petentis cognosceret per confessionem sacramentalem, quia tunc esset virtualis quædam exprobratio peccati, ex qua confessio non parum fieret odiosa, quod nullo in casu licitum esse docent omnes theologi.

103. Regula 3ª: *Occulto peccatori publice sacramentum petenti est ministrandum sacramentum, si repelli nequeat absque illius infamia et scandalo populi.*

Prob. 1. *Exemplo Christi*, qui, « nec Judam a communione removit, » ait Eugenius Papa (c. 2, *de officio Jud. ordinarii*). Ita communiter auctores post D. Thomam qui (q. 81, a. 2, ad 2) ait : « Ideo Christus Judam non repulit a communione; ut daret exemplum *tales peccatores non esse* ab aliis sacerdotibus *expellendos*. — 2. *Rituali Romano*, dicente de Eucharistia : « Occultos vero peccatores, si occulte petant, et non eos emendatos agnoverit, repellat; *non autem si publice petant, et sine scandalo ipsos præterire nequeat.* » — 3. *Ratione*, nempe ex incommodis quæ denegationem sacramenti consequerentur. Orirentur enim jurgia, lites, scandala, perturbationes in Ecclesia, multique a sacramentorum susceptione arcerentur, si ipsis vel propter sacerdotis imprudentiam aut malitiam, vel propter falsa testimonia inanesque rumores, sacramenta denegarentur.

Cæterum profanatio sacramenti, quæ tota suscipientis indispositioni imputanda est, sat compensatur tum conservatione famæ in peccatore, tum evitatione scandali et jurgiorum, tum denique sacramentorum frequentatione.

104. Quæritur 1. *Quomodo in praxi se gerere debeant sacerdotes in sacramentorum dispensatione?*

Resp. 1. Quando sacramenta speciales requirunt dispositiones, sacerdotes utpote sacramentorum dispensatores, inquirere tenentur an qui talia sacramenta petunt his dotibus donentur; hæc autem sacramenta sunt: *Baptismus*, quia baptismus est janua societatis christianæ, et ad sacerdotes pertinet expendere utrum qui postulant favorem ingressus in Ecclesiam, hac gratia digni sint; — *Pœnitentia*, quia pœnitentia per modum judicii instituta fuit; — *Ordo*, quia speciales requiruntur in ministris Ecclesiæ dispositiones; — *Matrimonium*, ratione impedimentorum, ne illis ligentur partes et invalidus sit contractus. Quoad cætera vero sacramenta, nulla videtur facienda inquisitio circa petentium dispositiones, sed arcendi sunt tantum ii quorum certa est indignitas; tum quia caritas non cogitat malum, et digni supponendi sunt petentes; tum quia fideles jus strictum ad sacramenta habent, quoties non constat de illorum indignitate.

Resp. 2. Nemo præsumitur malus, nisi probetur; ac proinde in dubio tribuenda sunt sacramenta; non enim ob dubium jure certo privandi sunt fideles. Unde, si ex rumore tantum publico daretur suscipio de indignitate, sacramenta non essent deneganda; sæpius enim fallaces sunt hujusmodi rumores. — Idem dicendum est juxta S. Ligorium, si indignitas non sit nota ubi sacramentum confertur, quamvis in alio loco sit publica, nisi tamen criminis notitia facile illuc perventura prævideatur; ratio est quia in his variis casibus peccator famam suam adhuc possidet in mente eorum qui ejus crimen ignorant, et aliunde non sine incommodis supra enumeratis fieret denegatio.

Resp. 3. Si occurrat casus in quo deneganda sacramenta videantur, consulatur episcopus. Si impossiblis sit ad episcopum recursus, sedulo rem totam expendat sacerdos. Post maturum examen, remanente dubio, in favorem fidelium pronuntiet; nullo autem exstante dubio, sed manifesta indignitate, deneget sacramentum, sive prætermittendo fideles, v. g., in SS. Eucharistiæ distributione, sive alio modo. Attamen, ne coram judice civili conveniatur, sileat sacerdos circa denegationis motiva, vel tantum addat : non possum ob canonicas

leges; id mihi ab Ecclesia prohibetur. Postea statim adeat episcopum, tum ut ab eo discat agendi rationem, tum ut ipse episcopus sciat quid sit respondendum civilibus magistratibus, si forte ad eum rem deferant. Sic agendo sacerdos nulla via ad forum civile traduci poterit, ut pluries declaravit Status Consilium; scilicet, die 27 dec. 1829, sacerdotem coram tribunalibus remisit, non quidem propter ipsam sacramenti denegationem, sed propter injuriosa verba quibus illud denegaverat; die 26 dec.. 1830, judicavit non esse abusum eo quod « le refus public de sacrement n'a été accompagné d'aucune réflexion de la part du desservant, et que, dès lors, ce fait ne peut être déféré qu'à l'autorité ecclésiastique supérieure; » die 28 martii 1831, judicavit « que le refus de confession qui ne dégénère pas en injure ni en scandale public, » nullum coram Status Consilio dat recursum.

105. Quæritur 2. *Utrum liceat administrationem sacramenti simulare, ne indigno conferatur.*

Resp. Nunquam licet simulare administrationem alicujus sacramenti, et illud constat — 1. *Auctoritate Innocenti XI*, sequentem propositionem damnantis : « Urgens metus gravis est causa justa sacramentorum administrationem simulandi » (*Decret.*, 2 mart. 1679, n. 29). Ita etiam omnes theologi. — 2. *Ratione;* tum quia ista simulatio est verum mendacium actionis, Christo, quem falso operantem inducit, graviter injuriosum; tum quia reverentiæ sacramento debitæ opponitur.

Hinc 1. Non licet proferre verba consecrationis super panem et vinum cum intentione non consecrandi, quod esset majus peccatum quam missa sacrilega, eo quod audientes missam ad idololatriam materialem inducerentur. — 2. Non licet hostiam non consecratam alicui fideli præbere, ut vitetur communio sacrilega, nec verba absolutionis super indispositum simulate proferre. Attamen potest confessarius preces super ipsum fundere, signum crucis efformare et alia hujusmodi efficere; illa enim omnia non sunt ad simulandum sacramentum, sed ad servandum sigillum confessionis. — 3. Probabilius non licet, etiam conventione facta ministrum inter et suscipientem, coram illo hæc verba proferre : *Corpus D. N. J.*

C. custodiat...; et deinde reponere hostiam in pixide ac illum præterire; videtur enim hic adesse veram simulationem, eo quod adstantes ex hac agendi ratione naturaliter inferant communionem huic fideli datam fuisse, nec alia illis apparet tum in fideli, tum in sacerdote, sic se gerendi ratio. Contrarium tamen putat S. Ligorius (lib. 6, n. 61), docens hoc licitum esse, dummodo gravis sit ratio, v. g. infamiæ vel scandali vitandi. At, ipso fatente, non liceret ministro, etiam conventione cum suscipiente facta, ei porrigere hostiam non consecratam, quia in eo casu panis adorationi adstantium et ipsius suscipientis exponeretur.

CAPUT V.

DE SUBJECTO SACRAMENTORUM.

106. Subjecti sacramentorum nomine venit ille qui sacramenta suscipit, et capax est eorum effectus. Unde infideles, vel catechumeni, qui possunt quidem sacramentum Eucharistiæ suscipere, sed sine sacramenti gratia, etiamsi sint in bona fide, non sunt proprie subjectum Eucharistiæ.

Circa vero sacramentorum subjectum tria inquirenda veniunt, nempe : — 1. Quodnam sit; — 2. Quæ requirantur ad validam sacramentorum susceptionem; — 3. Quid vero ad fructuosam receptionem.

ARTICULUS I.

Quodnam sit sacramentorum subjectum.

107. Patet ex natura et fine sacramentorum *solum hominem viatorem* esse subjectum sacramentorum; nam ex dictis sacramentum est signum sensibile, a Christo institutum ad peccati remedium, ad causandam vel augendam gratiam sanctificantem : porro, quatenus signum sensibile, soli homini convenire potest; quatenus vero institutum ad peccatum remittendum

gratiamque causandam vel augendam, soli homini viatori competit; gratiæ enim sunt incapaces, sive beati qui jam Deo indefectibiliter uniuntur, sive damnati qui irreparabiliter perierunt. Ergo.

Nunc autem quæritur utrum omnes homines sint capaces omnium sacramentorum; quod quidem declarabit sequens

108. Assertio. *Omnis homo viator est subjectum capax baptismi; quoad alia sacramenta prærequiritur baptismus; non tamen omnis baptizatus est subjectum capax omnium sacramentorum.*

CONSTAT PRIMUM, nempe, *omnem hominem viatorem esse subjectum capax baptismi,* sive ex usu Ecclesiæ, quæ infantes et amentes baptizat; sive ex necessitate baptismi ad salutem; de omnibus enim Christus dixit (*Joan.*, III, 5) : « Nisi quis re-» natus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in » regnum Dei. »

CONSTAT SECUNDUM, videlicet, *solum hominem baptizatum esse subjectum capax aliorum sacramentorum*,

1. *Auctoritate Ecclesiæ.* Nam Eugenius IV in decreto ad Armenos ait : « Primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum baptisma, quod vitæ spiritualis *janua* est : per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiæ. » Iterum Innocentius III baptismum vocat *fundamentum* omnium sacramentorum : porro necessaria est janua ad ingressum in domum, sicut et fundamentum ad illius existentiam. Ergo.

2. *Auctoritate theologorum*, qui in hoc consentiunt D. Thomæ dicenti : « Qui characterem baptismalem non habet, nullum alterum sacramentum suscipere potest. »

3. *Ratione.* Baptismus enim est nativitas spiritualis in Ecclesia : porro prius est nasci quam aliquid operari et recipere. Ergo.

CONSTAT TERTIUM, videlicet, *non omnem baptizatum esse subjectum capax omnium aliorum sacramentorum*, sequentibus rationibus; nimirum :

1. Infantes et perpetuo amentes incapaces sunt tum sacramenti pœnitentiæ, quia ejus materia proxima sunt actus pœnitentis; tum extremæ-unctionis, quæ instituta fuit ad de-

lendas reliquias peccatorum actualium; tum matrimonii, ad quod requiritur consensus deliberatus. — 2. Neque homo sanus subjectum est extremæ-unctionis pro solis infirmis institutæ; neque fœmina ordinis, quippe quæ ex ipso suo sexu subesse, non præesse in Ecclesia debeat. — 3. Per accidens etiam, propter impedimentum ecclesiasticum, non sunt matrimonii subjectum regulares professi; nec in Ecclesia latina, clerici ad majores ordines evecti. — At 4. omnes baptizati capaces sunt sive confirmationis, quæ non est nisi baptismi perfectio, sive Eucharistiæ, quæ instituta est ad vitam supernaturalem nutriendam et augendam.

ARTICULUS II.

Quid requiratur ex parte subjecti ad validam sacramentorum susceptionem?

109. Status quæstionis. Hic non agitur de infantibus et perpetuo amentibus; in his enim nulla requiritur dispositio ad suscipienda sacramenta quorum capaces sunt, ut patet ex perpetua Ecclesiæ traditione et praxi, secundum quam baptizantur infantes. Olim etiam ipsis conferebatur confirmatio, porrigebaturque Eucharistia. Sermo igitur de solis adultis instituitur, et quæritur utrum in ipsis ad validam sacramentorum susceptionem requirantur fides, intentio, et qualis intentio. Sint igitur sequentes assertiones :

110. Assertio 1ª : *Ad valorem sacramenti, excepta pœnitentia, non requiritur fides in suscipiente.*

Prob. 1. *Auctoritate SS. Patrum*; pro quibus sit S. Augustinus, qui (*de Bapt.*, lib. 3, c. 14, vel n. 19) ait : « Nec interest, cum de sacramenti *integritate* tractatur, quid *credat* et quali *fide* imbutus sit ille qui accipit sacramentum... ; fieri enim potest ut homo *integrum* habeat sacramentum et *perversam fidem.* » Ita etiam omnes SS. Doctores, quotiescumque agitur de sacramenti valore, non vero de ejusdem fructu.

Prob. 2. *Praxi Ecclesiæ perpetua.* Ecclesia semper habuit ut valida sacramenta hæreticis collata, quando servatæ fuerant materia et forma; sic prohibuit ne iterum baptizarentur hæ-

retici ad sacram fidem venientes, nec iterarentur confimationis et ordinis sacramenta.

Prob. 3. *Ratione*, quæ a D. Thoma traditur his verbis (3 p., q. 68, a. 8) : « *Recta fides baptizati* non requiritur ex necessitate ad baptismum, sicut nec recta fides baptizantis, dummodo adsint cætera quæ sunt de necessitate sacramenti. Non enim sacramentum perficitur per justitiam dantis vel suscipientis baptismum, sed per virtutem Dei.

Dicitur : *Excepta pœnitentia*, quia contritio, quæ prærequiritur, non ut conditio tantum, sed ut pars etiam sacramenti, fidem præsupponit, sine qua nulla vera contritio supernaturalis, nec sufficiens dolor esse potest : unde non daretur sine fide pars essentialis sacramenti, nec proinde sacramentum.

111. Assertio 2ª : *Ad sacramenti valorem, excepta Eucharistia, requiritur in adultis intentio interna illud suscipiendi ut rem in Ecclesia sacram.*

Prob. 1. *Ex decisionibus SS. Pontificum.* Innocent. III (cap. *Majores de Baptis.*) ait : « Ille qui nunquam *consentit*, sed penitus *contradicit*, nec rem, nec characterem suscipit sacramenti. » — Paulus V (*in Rit. Romano, de Insanis*) dicit : « Si vero antequam insanirent, suscipiendi baptismi *desiderium* ostenderint, ac vitæ periculum immineat, etiamsi non sint compotes mentis, baptizentur. »

Prob. 2. *Auctoritate SS. Patrum et theologorum.* S. Augustinus (lib. 4 *contra Donat.*, c. 24, vel n. 31), hæc habet : « Ideo cum alii pro parvulis respondeant... valet utique ad eorum consecrationem baptismus, quia ipsi respondere non possunt. At si pro eo qui *respondere potest*, alius *respondet*, non itidem valet. » Consonat S. Thomas (3 p., q. 68, a. 7), dicens : « Ex parte baptizati requiritur voluntas seu *intentio* suscipiendi sacramentum. » Quod quidem jam in suis commentariis circa librum *Sententiarum* (in 4, dist. 6, n, 1, art. 2, q. 3) declaraverat : « In adultis et in habentibus usum rationis, in quibus potest esse contraria voluntas actu vel habitu..., requiritur *intentio* vel voluntas ad recipiendum sacramentum. »

Prob. 3. *Ratione.* Ratio a priori est voluntas Christi sic instituentis sacramenta; quæ voluntas innotescit quidem ex doctrina et praxi Ecclesiæ, sed tamen suadetur, tum ex obligationibus quæ pluribus sacramentis alligantur et quas imponere non convenit nisi consentiat suscipiens; tum ex dignitate sacramenti, quæ requirit ut non recipiatur a subjecto more brutorum, sed more hominum, id est, libere et deliberate.

Hanc autem intentionem debere esse *internam*, id est, intentionem suscipiendi *rem ut in Ecclesia sacram*, patet ex eo quod qui intenderet recipere rem profanam, aut simulare vel ludere, nullatenus intenderet recipere sacramentum.

Unde si de nonnullis sanctis refertur quod inviti ordinati sint, illud intelligendum est de aliqua repugnantia ob metum et reverentiam, non vero de vera voluntatis oppositione.

Dicitur : *Excepta Eucharistia*, quia cum Eucharistia consistat in re permanenti, independenter a quavis intentione tam suscipientis quam ministrantis, remanet sacramentum.

Si autem quæratur utrum fructuosa sit Eucharistia hoc modo suscepta, sic videtur respondendum : — vel suscipiens est in statu gratiæ, vel non; si *prius*, non est ratio cur Eucharistia aliquem fructum non producat, cum in primis Ecclesiæ temporibus præberetur infantulis; si *posterius*, id est, si suscipiens non sit in statu gratiæ, et attritione careat, nullam gratiam recipit; nec ideo fit novi peccati reus, quia nec habuit nec habet intentionem suscipiendi sacramentum.

112. Assertio 3ª : *Intentio in suscipiente sacramentum requisita non necessario debet esse intentio actualis, aut virtualis, sed sufficit habitualis, imo, pro sacramento extremæ unctionis, interpretativa.*

Prob. 1ª pars, scilicet, *non requiri intentionem actualem aut virtualem.*

Nam quod attinet ad intentionem actualem, sæpissime est impossibilis; ergo non requiritur. — Insuper intentio actualis non est necessaria ad actum humanum; ergo nec ad suscipienda sacramenta. — Et vero non exigitur in ministro; ergo non exigenda est in subjecto.

Quod vero ad intentionem virtualem spectat, patet eam non requiri ex eo quod juxta SS. Patres, doctores et praxim Ecclesiæ, sacramenta ministrari possunt iis qui ante dementiam vel furorem illa jam postulaverant; in iis enim non est profecto intentio vel virtualis; ergo.

PROB. 2ª PARS, seu *sufficere intentionem habitualem, imo interpretativam, si agitur de extrema-unctione.*

Nam 1. intentio habitualis ea est quæ prius habita et non retractata, moraliter perseverat : porro hæc est ipsa intentio quam SS. Patres et doctores, necnon plurima concilia simulque Ecclesiæ praxis, sufficientem asserunt, ut merito eruitur ex modo dictis. Ergo. — Attamen in sacramentis pœnitentiæ et matrimonii, in quibus actus suscipientium rationem materiæ habent, non sufficit quod aliquando præcesserit voluntas ea suscipiendi, nisi sint isti actus, ex quibus constituitur sacramentum. Insuper in matrimonio ipsi contrahentes sunt ministri, eorumque consensus habet etiam rationem formæ.

2. Quod autem ad extremam-unctionem sufficiat intentio interpretativa, quæ scilicet nunquam exstitit, sed attentis dispositionibus et modo vivendi, habenda præsumitur, merito colligi potest tum ex Rituali Romano dicente de hujus sacramenti subjecto : « Hoc sacramentum est præbendum sensibus destitutis, qui antea illud petierunt, seu *verisimiliter* petiissent; » tum ex praxi Ecclesiæ sacramentum illud moribundo sensibus destituto concedentis.

Quin etiam non desunt theologi qui censent ad validam baptismi, confirmationis et Eucharistiæ susceptionem sufficere intentionem, quam vocant implicitam, eo quod continetur in vita christiana vel proposito vivendi christiane, sed quæ vix differt ab intentione interpretativa. Hoc ipso enim quod quis vivit aut proponit vivere pie et catholice, habet implicite et sufficienter intentionem, ut sibi conferantur omnia sacramenta ad salutem necessaria aut valde utilia, qualia sunt assignata.

Adnotant tamen non sufficere hanc intentionem, ut sacramenta præfata in omni casu et modo suscipiantur, sed tunc solum et eo modo, quo christiano more possunt et debent con-

ferri ac suscipi, nempe in casu necessitatis. Homo enim non censetur prudenter velle sacramenta suscipere, nisi tempore, ritu et modo quo conferri solent christianis.

113. Corollarium. Ex his omnibus patet non tantam requiri intentionem in suscipiente ac in ministrante sacramentum. Et ratio in promptu est : minister enim, cum sit agens, habere debet intentionem, quæ sit principium actus humani et determinativa ad esse sacramenti ; in suscipiente autem, qui patiens est, intentio requiritur tantum ut dispositio subjecti, et sic sufficit, quod illam aliquando habuerit, et non retractaverit, imo in quibusdam casibus, verisimiliter habuisset.

ARTICULUS III.

Quid requiratur ex parte suscipientis ad fructuosam sacramentorum receptionem?

114. Status quæstionis. Ex dictis antea, duo sunt sacramenta, baptismus nimirum et pœnitentia, quæ directe instituta sunt ad remittenda peccata : baptismus quidem, ad delendum peccatum originale necnon peccata ante ipsum commissa ; pœnitentia autem, ad dimittenda peccata post baptismum commissa : unde illa duo sacramenta dicuntur mortuorum. Quinque vero alia sacramenta ex sua institutione ordinantur ad vitam supernaturalem augendam, ideoque sacramenta vivorum nuncupari solent. Porro, pro vario illorum sacramentorum genere, diversæ requiruntur dispositiones in adultis, de quibus solum hic instituitur sermo, saltem ad primarium eorum effectum, gratiam, scilicet, percipiendum. Quoad enim characterem, qui per tria sacramenta imprimitur, non alia opus est dispositione quam quæ ad valorem sacramenti requiritur. Itaque :

115. Assertio 1ª : *Ad fructuosam sacramentorum baptismi et pœnitentiæ susceptionem, seu ad gratiam percipiendam, requiritur et sufficit in adultis attritio supernaturalis.*

Prob. 1ª pars, scilicet, *requiri attritionem supernaturalem*, **1.** *Concilio Trid.* Describens enim justificationem adultorum quæ fit per baptismum, ait (sess. 6, c. 6) : « Disponuntur autem

ad justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinitus revelata et promissa sunt... et dum peccatores se esse intelligentes... moventur adversus peccatum per odium aliquod, et detestationem, hoc est, per eam *pœnitentiam*, quam ante baptismum agi oportet. » Item (sess. 14, cap. 4), de pœnitentia disserens, declarat contritionem, quæ *primum locum* inter pœnitentis actus habet, peccatorem quidem *per se* et sine sacramento pœnitentiæ ad justificationem perducere non posse, *sed tamen eum ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponere.*

2. *Ratione.* Juxta enim doctrinam D. Thomæ (1-2, q. 110, art. 2) forma fixa et permanens secundum communem providentiæ cursum non introducitur nisi in materia disposita : atqui gratia se habet per modum formæ fixæ et permanentis, et homo, in quo recipitur sicut in materia, per solam attritionem suam indispositionem tollere potest. Ergo.

Et vero homo peccando voluntarie avertitur a Deo per actualem conversionem ad creaturam : ergo, ut justificetur, necessaria est in illo dispositio, qua voluntarie peccatum deserat et ad Deum aliquo modo convertatur, quod sane fieri nequit sine attritione supernaturali. — Si tamen quandoque contingeret adultum soli peccato originali obnoxium esse, non ipsi necessaria esset dispositio qua formaliter detestaretur peccatum, seu attritio, sed tantum aliqua in Deum conversio, ut voluntarie justificationem et divinam amicitiam amplecteretur.

Prob. 2ª pars, nimirum *sufficere attritionem.*

1. Juxta Concil. Trid., sacramenta conferunt gratiam non ponentibus obicem : atqui attritus non ponit obicem gratiæ, sed contra positum removet.

2. Si requireretur contritio perfecta, sacramenta prædicta nunquam conferrent primam gratiam ; contritio enim nunquam est sine gratia sanctificante, cum sit ad illam ultima dispositio. Atqui tamen ad producendam gratiam primam instituta sunt, meritoque nuncupantur sacramenta mortuorum. Ergo.

116. Assertio 2ª : *Ad fructuosam receptionem sacramentorum vivorum, ex se requiritur et sufficit status gratiæ.*

Constat *primum* ex ipso fine sacramentorum vivorum, quæ cum instituta fuerint ad gratiam augendam, illam jam in subjecto præexistentem supponunt.

Secundum vero multiplici ratione probatur. Nam 1. Sacramenta gratiam conferunt non ponentibus obicem : atqui ille qui sacramentum suscipit in statu gratiæ non ponit obicem augmento gratiæ. Ergo. — Nec dicatur ad illud augmentum gratiæ prærequiri aliquam dispositionem specialem; sacramenta enim operantur *ex opere operato*, et augmentum gratiæ sicut et ipsa gratia formalem non habet repugnantiam nisi cum peccato mortali.

2. Eucharistia et etiam extrema-unctio quandoque ministrantur moribundis usu rationis destitutis, necnon phreneticis in articulo mortis, in quibus tamen nulla est dispositio actualis : porro in eis gratia augetur; alias frustra conferrentur talia sacramenta, imo nec liceret ea conferre : ergo sufficit status gratiæ.

Dicitur *ex se*, quia ex alibi probatis, sacramenta vivorum gratiam primam quandoque indirecte et per accidens producunt, quo in casu certe non necessario præsupponunt statum gratiæ.

117. Corollarium. Ex jam dictis merito colligitur peccatum veniale, sive habituale seu præteritum, sive actuale, non impedire primarium effectum sacramentorum vivorum. Ratio est quia peccatum veniale non est obex gratiæ sanctificanti, cum multoties gratia sanctificans existat cum peccato veniali. — Et vero si ob peccatum veniale sacramenta gratiam sanctificantem non producerent, jam carerent suo effectu, ideoque manerent informia : porro, ex communi sententia, quidquid sacramentum facit informe, est per se peccatum mortale; ergo mortaliter peccaret qui sacramentum susciperet cum peccato veniali; quod absurdum est. — Cæterum id expresse docet de Eucharistia D. Thomas (3 p., q. 79, art. 8) dicens : « Peccata venialia non ex toto impediunt Eucharistiæ sacramenti effectum, sed in parte; dictum est enim quod effectus hujus sacramenti

non solum est adeptio habitualis gratiæ vel charitatis, sed etiam quædam actualis refectio spiritualis dulcedinis; quæ quidem impeditur, si aliquis accedat ad hoc sacramentum per peccata venialia mente distractus; non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ vel charitatis. » Jam vero eadem ratio militat pro cæteris sacramentis. Sed

118. Quæritur *utrum novum peccatum veniale admittat, qui sacramentum recipit peccato veniali.*

Resp: 1. Si agitur de peccato veniali habituali, seu præterito, non videtur novum admitti peccatum; tum quia hic non adest positiva irreverentia erga sacramentum, sed potius defectus perfectæ reverentiæ; tum quia, cum omnes ad sacramenta suscipienda accedant peccatis venialibus inquinati, nullum fere susciperetur sacramentum vivorum sine novo peccato veniali; quod absonum est.

2. Si autem de peccato veniali actuali quæstio sit, dissentiunt theologi. Hoc solum pro certo admittitur dari peccatum veniale, si culpa venialis ipsum afficiat sacramentum, seu ejus finis sit secundarius, v. g. si quis ad Eucharistiam accedat ob vanam gloriam. Et ratio evidens est, siquidem susceptio sacramenti in tali casu non omnino ordinatur ad debitum finem.

119. Scholium. Quæ hactenus dicta fuerunt de requisitis ex parte subjecti tum ad validam, tum ad fructiferam sacramentorum receptionem, sat ostendunt non minimas esse voluntatis humanæ partes in producendis sacramentalibus effectibus. Nec mirum : « Deus enim, ait D. Thomas post Damascenum (3 p. q. 69, art. 9), hominem non cogit ad justitiam, » imo ipsum propriæ suæ sanctificationis vult esse cooperatorem. Hinc fit ut a voluntate humana pendeat, quod sacramentum vel validum sit sed infructuosum, vel frugiferum simul ac validum, vel denique abundantioris gratiæ productivum : — *validum* quidem, si sacramento suscipiendo consentiat etiam indisposita; — *frugiferum* vero, si, ut ait D. Thomas de baptismo, sacramentum et ejus effectum amplectatur, sive per detestationem peccati, ubi agitur de sacramentis baptismi et pœnitentiæ, sive per voluntariam gratiæ habitualis conservationem, quando agitur de sacramentis vivorum; — denique

abundantioris gratiæ productivum, si cum perfectiori dispositione sacramentum recipiatur : sacramenta enim, quæ suum valorem ex infinitis Christi meritis desumunt, nullis limitibus quoad suos effectus coarctantur, sed, ut ait Trident., « secundum propriam cujusque dispositionem operantur. »

Si autem quæratur quomodo se habeant prædictæ dispositiones ad gratiæ dispensationem, respondere fas est illa habere :

1. Rationem *causæ per accidens*, seu *conditionis sine qua non*, quatenus sunt actus liberi quibus tollitur indispositio ad infusionem gratiæ sacramentalis. Audiatur Bellarminus : « Voluntas, fides, pœnitentia in suscipiente adulto necesssario requiruntur ut dispositiones ex parte subjecti, non ut causæ activæ ; non enim fides et pœnitentia efficiunt gratiam sacramentalem, *neque dant efficaciam sacramentis*, *sed solum tollunt obstacula* quæ impedirent ne sacramenta suam efficaciam exercere possent : unde in pueris, ubi non requiritur dispositio, sine his rebus fit justificatio. »

2. Rationem *causæ materialis*, seu subjectivæ, si in illis consideretur modus ille se habendi, quo anima gratiæ accipiendæ capax efficitur; possunt enim actus, quibus homo se ad gratiam per sacramenta recipiendam disponit, ab ipsa dispositione per illos inducta distingui; hæc autem dispositio, utpote modus quidam se habendi animæ, revocari posse videtur ad causam materialem, seu subjectivam.

3. Rationem *causæ meritoriæ*, non quidem relative ad gratiam sacramentalem quæ tota ipsius sacramenti virtute causatur, sed quia actibus, quibus se ad sacramentum disponit, homo justus augmentum gratiæ sanctificantis, quod sit ex opere operantis, mereri potest. Hi enim actus supernaturalem valorem habent, cui aliquod gratiæ augmentum, veluti merces, respondeat oportet. Itaque summopere nobis curandum est, ut cum eximiis dispositionibus ad sacramenta suscipienda accedamus.

CAPUT VI.

DE SACRAMENTORUM CÆREMONIIS.

120. Cæremoniæ, prout in Tractatu *de Sacramentis* accipiuntur, definiri possunt: *Actus externi religionis, qui ad Dei honorem, ad sacramentorum reverentiam, et ad pietatem populi excitandam, sive a Christo, sive ab Apostolis, sive ab Ecclesia instituti sunt.*

Cæremoniæ aliæ sunt essentiales et aliæ accidentales. — Cæremoniæ *essentiales* illæ sunt quæ ad essentiam sacramenti attinent, et sine quibus sacramentum existere nequit, ut ablutio in baptismo. Illæ cæremoniæ a Christo Domino, sacramentorum auctore, institutæ fuerunt, et de illis nulla moveri potest quæstio; sunt piæ ac sanctæ et ab omnibus sedulo servandæ. — Cæremoniæ *accidentales*, illæ sunt quæ sacramento sunt accessoriæ, et sine quibus proinde sacramentum efficaciam suam obtinere potest.

Cæremoniæ accidentales duplicis sunt generis, integrantes et pure accidentales. — Cæremoniæ *integrantes* illæ sunt quæ sacramenti cujusque effectus proprios plenius explanant, v. g. exorcismi et unctio chrismatis in baptismo: panis et vini oblatio in Eucharistia, et generatim loquendo omitti non possunt sine peccato mortali. — Cæremoniæ *pure accidentales* illæ sunt quæ effectus sacramenti directe non explanant, ut crucis signa, genuflexiones.

Jam vero circa cæremonias tria investigabimus, scilicet: — 1. Utrum Ecclesiæ competat jus cæremonias instituendi; — 2. an et quatenus cæremoniæ sacramentorum sint bonæ et utiles; — 3. utrum adsit obligatio eas servandi.

§ I. Utrum Ecclesiæ competat jus cæremonias instituendi?

121. Negant protestantes; sed prorsus immerito, ut patebit ex sequenti assertione.

Assertio: *Ecclesiæ jus competit cæremonias instituendi.*

Prob. 1. *Scrip. S.* Postquam S. Paulus multa de Eucharistiæ administratione locutus est (I *Cor.*, XI, 34), statim addit : « Cætera autem, cum venero, *disponam.* » Quibus verbis patet Apostolis, et consequenter Ecclesiæ, datam fuisse potestatem ea ordinandi quæ ad Eucharistiæ et aliorum sacramentorum administrationem spectant.

Prob. 2. *Praxi Ecclesiæ.* Tota Traditione constat Ecclesiam quolibet sæculo multa statuisse circa cæremonias; existunt ritualia Latinorum, eucologia Græcorum, quæ multa decernunt : porro hæc potestas quam Ecclesia sibi semper arrogavit, ei necessario competit; alioquin non esset pia et sancta Christi Domini sponsa.

Prob. 3. *Conc. Trid.* (sess. 21, cap. 2) dicente : « Præterea declarat (S. synodus) hanc *potestatem* perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum administratione, salva eorum substantia, ea *statueret,* vel *mutaret,* quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum veneration, pro rerum, temporum et locorum varietate, magis expedire judicaret. »

Prob. 4. *Rat. theol.* Ecclesia, a Christo fundata, est societas bene ordinata : porro in omni societate bene ordinata admittenda est potestas ea disponendi, statuendi et mutandi quæ pro ratione temporum et locorum, necessaria vel utilia judicantur; ergo Ecclesiæ tribuenda est potestas circa sacramentorum cæremonias.

§ II. An et quatenus cæremoniæ sacramentorum sint utiles?

Huic quæstioni triplici assertione satisfiet. Itaque

122. Assertio 1ª ; *Cæremoniæ sacramentales, in se sumptæ, bonæ sunt et utiles.*

Prob. Illud est in se bonum et utile quod Religioni et fidelibus multum prodest : atqui tales sunt cæremoniæ sacramentales.

1. Multum inserviunt religioni cæremoniæ sacramentales, scilicet : — *Ad majestatem et reverentiam* sacramentis conciliandas; externo enim illo apparatu, ornatu et pompa ecclesiasticorum rituum, homines longe proniores sunt ad sacra-

menta majori pretio habenda et sedulius veneranda, eo quod divina eorum majestas exinde oculis magis ac magis splendescat. — *Ad conservationem sacramentorum;* homines namque sensibus sæpe sæpius ducuntur, et religio per actus externos conservatur; si igitur non adessent cæremoniæ sacramentales, brevi vilescerent sacramenta et contemnerentur, sicque paulatim perirent, dum his ritibus externis commoti fideles ad sacramentorum usum magis ac magis inducuntur. — *Ad distinctionem catholicorum ab hæreticis*, ut sat evidens est.

2. Cæremoniæ sacramentales fidelibus multum inserviunt, scilicet: — *fidelibus generatim*, ad eorum promovendam ac excitandam pietatem, ad nutriendam fidem, notitiam mysteriorum oculis veluti subjiciendo; ita nempe conditus est homo, ut per externa et sensibilia signa ad spiritualia erigatur; — *rudibus speciatim* prosunt cæremoniæ, eorum quippe intelligentiam adjuvant; tum quia imperitis sacri ritus supplent scripturam et picturam; tum quia iis quandoque melius persuadentur quædam Ecclesiæ dogmata, quam multis testimoniis; ergo.

123. Assertio 2ª: *Cæremoniæ sacramentales, ab Ecclesia Romana nunc adhibitæ, sunt laudabiles ac probandæ.*

Prob. 1. *Earum antiquitate.* Illæ cæremoniæ laudabiles sunt et probandæ quæ ab antiquissima traditione usque ad nos pervenerunt: atqui tales sunt cæremoniæ sacramentorum, saltem præcipuæ; ergo.

Prob. 2. *Earum natura.* Si enim sigillatim expendantur sacramentorum cæremoniæ, facile detegetur nullam ex eis esse quæ ad unum vel plures ex sequentibus finibus obtinendos non inserviat, scilicet: ad excitandam fidem et devotionem, ad explicanda sacramentorum mysteria, ad renovandam præcipuorum Dei beneficiorum memoriam, ad majestatem divinam commendandam, cultum Dei internum fovendum, religionem servandam, et ad distinguendam Ecclesiam catholicam a sectis hæreticorum; ergo.

Et vero si aliqui ritus essent improbandi, forent aquæ baptismalis benedictio, exorcismi qui ante baptismum fieri solent, usus cereorum in honorem SS. Eucharistiæ incensorum:

contra has enim cæremonias potissimum invehitur Calvinus : porro cæremoniæ illæ sunt laudabiles et probandæ. — 1. *Aquæ baptismalis benedictio;* hac quippe benedictione aqua amplius communis non est, ac significantur gratia et sanctificatio mox a baptismo producendæ. — 2. *Exorcismi;* nam illis exprimuntur tum servitus in qua detinetur peccator, tum durissimum diaboli imperium, tum gratiæ divinæ vis et efficacia. — 3. *Cerei incensi,* quibus designantur Christus, qui est lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, et illius gratia, qua illuminatur intellectus et ad cœlestia contemplanda idoneus fit. Unde Lutherani et Anglicani non paucas cæremonias in Ecclesia Romana adhibitas servaverunt.

124. Assertio 3ª : *In administrandis sacramentis usus linguæ latinæ est conveniens et legitimus.*

Prob. 1. *Auctoritate,* videlicet : — Conc. Tridentini, quod (sess. 22, cap. 8) ait : « Etsi missa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut *vulgari passim lingua* celebraretur. » Et (can. 9) addit : « Si quis dixerit... *lingua* tantum *vulgari* missam celebrari debere... anathema sit. » — Pii VI declarantis adversam doctrinæ concilii Tridentini propositionem 33 synodi Pistoriensis, qua dicitur ex parte inductam esse oblivionem principiorum ad liturgiam spectantium, et eam *vulgari lingua* esse exponendam.

Prob. 2. *Praxi generali* Ecclesiæ — sive *Occidentalis*, quæ in liturgia sua linguam latinam perpetuo adhibuit; — sive *Orientalis*; in toto enim Oriente, ne una quidem potest assignari Ecclesia, quæ idiomate vernaculo divina celebret officia; adhuc namque adhibetur in liturgia aut lingua græca antiqua, aut antiqua syriaca, coptica, armenica... ut ostendit Renaudotius (*Liturg. Orient. collect.*, tom. 1, p. 207).

Prob. 3. *Rat. theol.* Ille usus conveniens et legitimus est qui uniformitatem et unitatem inter varias Ecclesias servat et reverentiam sacris mysteriis debitam promovet : atqui talis est usus linguæ latinæ in liturgia.

1. *Uniformitatem et unitatem inter varias Ecclesias servat;* nam si in sanctuarium linguæ populares admitterentur, cum

prodigiosa sit earum multitudo, ac incredibiliter varientur, ut in liturgia semper adhiberetur vernacula lingua, necessaria forent tum innumerorum idiomatum usus, tum ejusdem idiomatis quotidiana correctio; porro hæc fieri nequeunt absque gravi erroris periculo, et uniformitati ac unitati servandis inter varias ecclesias evidenter obstant.

2. *Reverentiam sacris mysteriis debitam promovet.* Linguæ viventes magna laborant inconstantia, quæ efficit ut verba et nomina temporibus certis usitata, fiant obsoleta ac barbara, vix a doctioribus intelligantur, plebemque magis ad risum quam ad pietatem moveant, uti constat ex lectione librorum ritualium, quos Protestantes gallico idiomate a duobus sæculis ediderunt.

Hinc, inquit P. Perrone (*de Euch.*, p. 2, c. 4, p. 1, tom. 1, col. 300, apud Migne), quamvis Protestantes magno impetu insurrexerint ab initio adversus usum Ecclesiæ Romanæ celebrandi sacra latino idiomate, demum experientia docti hac etiam in parte e proposito aliquantulum recedere visi sunt. Non ita pridem professores universitatis Oxoniensis conquesti sunt, quod a *reformatione*, ob utilitates imaginarias, derelicta fuerit idea cultus uniti, vi cujus identitas temporum et linguæ penes diversas nationes conservata fuerit.

125. Scholium. Ut autem sacramentorum administratio in lingua vernacula fidelium instructioni non noceret, ipsæque cæremoniæ finem suum obtinerent, Ecclesia stricte pastoribus injunxit, ut divina mysteria sacramentorumque doctrinam, tum in catechismis, tam in concionibus sacris ac aliis documentis, plebi sibi commissæ exponerent. Sic conc. Trid. (sess. 22, c. 8) « mandat pastoribus, et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter misssarum celebrationem vel per se, vel per alios, ex iis quæ in missa leguntur, aliquid exponant, atque inter cætera sanctissimi hujus sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus præsertim dominicis et festivis. » Sic pariter Catechismus Romanus de cæremoniis ait : Quod Apostolus de linguarum dono admonuit, cum inquit sine fructu esse, si quæ aliquis loquitur a Fidelibus non intelligantur, idem fere ad ritus et cæremonias transferri potest. Imagi-

nem enim et significationem earum rerum præ se ferunt quæ in sacramentis geruntur; quod si illorum signorum vim et potestatem fidelis populus ignoret, non magna admodum cæremoniarum utilitas futura esse videbitur.

§ III. An adsit obligatio cæremonias sacramentorum observandi?

Gravem adesse obligationem servandi omnes ritus sacramentorum essentiales, omnibus manifestum est. Quoad autem ritus accidentales, sequens sit

126. Assertio : *Ritus in solemni sacramentorum administratione, ab Ecclesia catholica adhiberi consueti, sine peccato omitti aut immutari nequeunt.*

Prob. 1. *Conc. Trid.* (sess. 7, c. 13) : « Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiæ catholicæ *ritus*, in solemni sacramentorum administratione adhiberi *consuetos*, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiæ pastorem mutari posse; anathema sit. »

Prob. 2. *Rat. theol.* Ex assertione præcedenti, Ecclesiæ competit jus sacramentorum cæremonias instituendi; porro existere nequit in Ecclesia jus sacramentorum cæremonias instituendi, quin detur obligatio eas servandi; siquidem hæc duo sunt correlativa : ergo servandi sunt ritus ab illa præscripti. — Vel servandi sunt ritus ab Ecclesia probati, vel illi ritus per quemcumque Ecclesiæ pastorem mutari possunt : atqui illud posterius absurdum est; alioquin maxima esset in sacramentorum administratione confusio, cum fidelium scandalo et sacramentorum detrimento ; ergo.

Peccatum autem erit mortale, si omittatur cæremonia integrans; veniale vero si, absque contemptu, omissio versetur circa cæremoniam mere accidentalem. Ita communiter theologi. At perdifficilis est distinctio inter cæremonias integrantes et mere accidentales; nulla profertur hac de re regula certa. Caveant igitur sacramentorum ministri, inquit DD. Bouvier, ne aliquid mutent vel omittant ex negligentia et incuria; ideoque sedulo discant regulas in Rituali pro sacramentorum administratione præscriptas.

127. Corollarium. Ex his merito infertur usum Ritualis Romani in administratione sacramentorum esse de præcepto. Id non semel declaravit S. Rit. congregatio, statuens « illos solos libros adhibendos et in illis tantum benedictionibus, quæ Rituali Romano sunt conformes; nec alios adhibendos esse, nisi constet ab hac S. Congr. fuisse approbatos » (S. C. R., 7 apr. 1832; 23 maii 1835). Summopere itaque cavendum est ne adhibeantur formulæ benedictionum, quas non constet a S. Cong. Rit. approbatas fuisse.

APPENDIX I.

DE SACRAMENTALIBUS.

Dicemus : — 1° An et quot sint sacramentalia; — 2° quinam eorum *effectus*.

§ I. An et quot sint sacramentalia?

128. — I. Sacramentalium definitio. Sacramentalia sunt quædam res aut actiones ab Ecclesia institutæ, vel consecratæ, ad quosdam effectus spirituales producendos, et quandoque ad effectum temporalem obtinendum.

Dicuntur sacramentalia ob similitudinem quamdam quam cum sacramentis habent. Sunt enim signa sensibilia, gratiam significantia, et ad effectus quosdam spirituales producendos destinata. Dici possunt etiam, cum S. Thoma, dispositiones ad sacramenta. « Dicendum, inquit (3, q. 65, a. 1, ad 6), quod aqua benedicta et aliæ consecrationes non dicuntur sacramenta, quia non perducunt ad sacramenti effectum, qui est gratiæ consecutio. Sed sunt dispositiones quædam ad sacramenta : vel removendo prohibens, sicut aqua benedicta ordinatur contra insidias dæmonum et contra peccata venialia : vel etiam idoneitatem quamdam faciendo ad sacramenti per-

fectionem et perceptionem, sicut consecratur altare, et vasa propter reverentiam Eucharistiæ.

129. — II. Sacramentalium divisio. Sex communiter recensentur sacramentalia hoc versu comprehensa :

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.

Orans, seu oratio dominica et preces ab Ecclesia præscriptæ, vel in Ecclesia solemniter recitatæ, quibus addi solent orationes in Ecclesia consecrata factæ. Oratio dominica fuit a Christo Apostolis tradita, et eo tantum sensu dicitur ab Ecclesia instituta quod ab Ecclesia fidelibus multum commendatur.

Tinctus significat assumptionem seu aspersionem aquæ benedictæ.

Edens designat panem benedictum, qui solebat olim dari catechumenis loco Eucharistiæ, aut etiam baptizatis in die paschatis, et qui nunc adhuc distribuitur in pluribus ecclesiis intra missarum solemnia. — Huic pani addi possunt, juxta plures, fructus benedicti, et alia hujusmodi precibus Ecclesiæ sanctificata.

Confessus indicat confessionem generalem quæ præmittitur missæ, aut fit in Prima et in Completorio; indicat adhuc confessionem quæ, in quibusdam ecclesiis, fit publice feria V in Cœna Domini et quæ vocatur absolutio (*absoute*).

Dans exprimit eleemosynam. Multi volunt ut hæc eleemosyna ab Ecclesia præscribatur et ejus nomine fiat; quæ conditio sacramentalium definitioni omnino consentanea videtur.

Benedicens significat varias benedictiones et consecrationes ab Ecclesia institutas, ut sunt prima Tonsura, benedictio ab Episcopo vel abbate data, item benedictio sacerdotis in fine missæ, vel post communionem extra missam data; significat etiam quasdam substantias sensibiles benedictas et precibus Ecclesiæ consecratas, ut sal benedictum, ramos ac cereos benedictos, agnos Dei, cereos a S. Pontifice benedictos et cætera hujusmodi.

Ex his sacramentalibus plura sunt perantiqua, quæ usque ad Apostolorum tempora referri possunt, ut aquæ benedictæ usus pluresque benedictiones.

§ II. Quinam sint sacramentalium effectus?

130. Certum est et ab omnibus admissum sacramentalia gratiam sanctificantem *ex opere operato* non conferre; hæc enim efficacia propria est sacramentis, quæ ab Ecclesia minime institui possunt; negari autem non potest quod sacramentalia salutares producant effectus; alias enim vana et superstitiosa foret eorum institutio. At non iidem prorsus effectus ab omnibus indiscriminatim sacramentalibus produci solent, sed alii ab aliis, juxta finem ad quem unumquodque institutum est. Cum enim omnem vim suam ab Ecclesia teneant, sine fundamento diceretur ea aliquid virtutis habere ultra Ecclesiæ intentionem : porro Ecclesiæ intentio circa singula communiter dignosci potest ex orationibus et aliis cæremoniis, quibus eorum benedictio et consecratio perficitur.

Quidquid sit, sacramentalium effectus ad quinque reduci possunt, nempe :

131. I. *Spiritualis quidam gratiæ actualis modus.* Fatentur omnes quemdam gratiæ actualis modum sacramentalibus produci; nam vanæ ac irritæ esse nequeunt Ecclesiæ preces et benedictiones. Quali autem modo producantur hi motus, diverse explicant auctores.

Cajetanus, Soto et alii docuerunt sacramentalia vim habere hos motus *ex opere operato* producendi. At hæc sententia, si verba rigorose et sina ulla restrictione sumantur, communiter rejicitur, et merito quidem; nam gratiam actualem alicui signo annectere solius Dei est, vel illius cui Deus hoc privilegium expresse concessit : porro nulla invicta ratione constat privilegium illud Ecclesiæ fuisse concessum.

Alii contendunt sacramentalia conferre tantum gratiam *ex opere operantis*, id est, juxta meritum et dispositiones suscipientis; at pariter rejicitur hæc opinio, tum quia exinde sacramentalia non habere viderentur effectum specialem; tum quia inanes forent Ecclesiæ preces; tum quia, ex communi consensu, idem non datur effectus, quando suscipiens sumit aquam benedictam, vel solummodo aquam quæ invincibiliter judicatur benedicta : atqui tamen, si nihil virtutis esset in be-

nedictione aquæ, idem esse deberet effectus, cum eædem sint suscipientis dispositiones.

Alii demum dicunt hos modos gratiæ produci *quasi ex opere operato*, id est partim ex suscipientis dispositionibus, et partim ex ipsomet sacramentali ob fusas ab Ecclesia preces, sed tamen non infallibiliter, quod forsan melius diceretur *ex opere operantis* Ecclesiæ; sacramentalia enim non nisi per modum impetrationis agunt, deferendo scilicet et repræsentando in conspectu Dei orationes quas Ecclesia fudit in eorum institutione vel consecratione, et ideo non operantur *ex opere operato*. — Exinde sequitur sacramentalia quæ in re permanenti consistunt, ut est aqua benedicta, non operari quia Ecclesia meretur a Deo, ut vis quædam permanenter ipsis inhæreat ad producendum immediate pios gratiæ motus; nec etiam quia ex Ecclesiæ precibus vim habeant permanenter inhærentem ad movendum Deum, ut ipse hos motus immediate excitet; hæc enim satis solida ratione non fundantur; sed Ecclesia obtinet, ut, licet nulla sit sacramentalibus virtus inhærens et permanens, Deus tamen, ob jam fusas preces, determinetur ad pios motus producendos in iis qui sacramentalia usurpaverint. Hæc sententia est communior, et aliæ ab ea verbis potiusquam re discrepant.

132. II. *Remissio peccatorum venialium.* Vim peccata venialia remittendi a Patribus et theologis sacramentalibus tribui inconcussum est.

Quod autem attinet ad modum quo hunc effectum obtinent, certum est etiam sacramentalia non ex opere operato venialia remittere; nam nullum est neque in S. Scriptura, neque in conciliis, neque in Patribus fundamentum tribuendi sacramentalibus vim peccata venialia *ex opere operato* remittendi. Præterea peccatum veniale remitti non potest quin tollatur ejus macula in anima, in quo Ecclesia nullam habet potestatem.

Itaque dicendum est sacramentalia remittere peccata venialia ex opere operantis et per modum impetrationis, scilicet in quantum excitant motus detestationis illorum, aut reverentiæ in Deum et res sacras, quibus motibus obtinetur remissio ve-

nialium. Hujusmodi autem motus excitant non tantum objective, sicut cruces, imagines, etc., sed etiam *impetratorie*, quatenus adhibentur nomine Ecclesiæ, quæ majorem habet vim impetrandi quam persona particularis; sæpe enim princeps concedit precibus totius communitatis quod denegat precibus unius particularis.

Cum autem gratiæ actuali humana voluntas resistere potest, sacramentalia nequaquam infallibiliter suum effectum producunt; patet tamen ex dictis illa majorem vim et efficaciam habere quam cætera quæ, etsi ad excitandos pios motus apta, non sunt sacramentalia. Cæterum audiatur ipse Doctor Angelicus cujus mentem explanavimus; (3 p. q. 87, a. 3) ait: « Triplici ratione aliqua causant remissionem venialium : *uno modo*, in quantum in eis infunditur gratia, quia per infusionem gratiæ tolluntur venialia peccata; et hoc modo per Eucharistiam et extremam-unctionem, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur. *Secundo*, in quantum sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum, et hoc modo confessio generalis, tunsio pectoris et oratio dominica operantur ad remissionem venialium peccatorum. *Tertio*, in quantum sunt cum aliquo motu reverentiæ in Deum et ad res divinas; et hoc modo benedictio episcopalis, aspersio aquæ benedictæ, quælibet sacramentalis unctio, oratio in Ecclesia dedicata, et si aliqua alia sunt hujusmodi, operantur ad remissionem peccatorum venialium.

133. III. *Relaxatio pœnæ temporalis peccato debitæ.* Hæc relaxatio, quæ ex SS. Pontificum largitione quibusdam sacramentalibus annexa est, v. g., Agnis Dei, rosariis, producitur ex opere operato per *modum indulgentiæ*. Nam Ecclesia in sua potestate habet thesaurum, cujus applicatio vel dispensatio ei relinquitur a Christo; ex hoc autem thesauro aliquam satisfactionem sumit, quam quibusdam sacramentalibus applicat, et cujus ratione aliqua pœna temporalis remittitur ultra meritum personæ his sacramentalibus utentis, ac proinde non *ex opere operantis*, sed *ex opere operato*.

134. IV. *Dæmonum expulsio vel cohibitio.* Ille effectus multis videtur produci *ex opere operato*, quia a Christo Ecclesiæ

data est potestas in dæmones, ita ut ipsis possit imperare, ac ideo imperii via agere. Quidquid sit, certum nihilominus est imperium illud effectum suum infallibiliter non obtinere; unde hæc dæmonum expulsio potius forsan contingit per viam impetrationis, fundatæ non tantum in virtute ministri, sed multo magis in sanctitate Ecclesiæ id petentis, et in cujus nomine minister agit : ratione quippe hujus intercessionis Deus dæmones abigit, et compescit. Et observat optime S. August. (*lib. de* 83 *qq.*, quæst. 79, n. 4) occurrens tacitæ cuidam objectioni : « Cum autem non cadunt his signis hujusmodi potestates, Deus ipse prohibet occultis modis, cum id justum atque utile judicat,... vel ad confundendum malos, cum eos oportet confundi, vel ad monendos bonos, ut proficiant in fide; atque ista non jactanter, sed utiliter possint, vel ad discernenda dona membrorum Ecclesiæ. »

135. V. *Aliqua beneficia ordinis temporalis*, ut sanitas, aut remotio alicujus mali temporalis imminentis, puta per locustas, grandines, tempestates et similia; ad quos effectus sacramentalia adhiberi et prodesse solent. Concurrere autem possunt dupliciter : uno modo per viam impetrationis, repræsentando orationes Ecclesiæ, quibus sacrantur; alio modo per viam adjurationis, quando scilicet in dæmones diriguntur, ne noceant; horum enim operatione solent excitari tempestates, advocari locustæ, aliaque animalia nociva, et damnificari tam corpora nostra, quam alimenta. Unde hic operandi modus ad præcedentem effectum expulsionis dæmonum referendus est.

APPENDIX II.

DE SACRAMENTIS ANTE CHRISTUM ADHIBITIS.

136. Objectum appendicis. Communiter docent theologi nullum extitisse Sacramentum in statu naturæ innocentis;

ratio est, tum quia hac de re omnino sileant Scriptura et traditio; tum quia brevior fuerit illius status duratio, quam ut in eo instituta fuerint Sacramenta; tum quia Sacramenta vix convenirent perfectioni hujusce status, in quo homo omnimoda rectitudine fruens non indigebat, ut ex sensibilibus sanctificaretur (Cf. S. Thom., 3, q. 61, art. 2).

Agitur itaque de tempore quod effluxit a lapsu hominis usque ad Christum, et quæstio de tribus moveri solet, nempe : — 1. de remedio quo sub lege naturæ peccatum originale in infantibus remittebatur; — 2. de circumcisione; — 3. de ritibus mosaicis.

I. *De remedio contra peccatum originale.*

137. Prænotanda. — I. Certum est aliquod remedium in statu legis naturæ divinitus institutum fuisse, quo peccatum originale in infantibus deleretur. Quod quidem constat

1. *Testimoniis SS. Patrum*; S. Aug. (lib. 5, *cont. Julian.*, c. 4, n. 5), ait : « Nec ideo credendum est ante circumcisionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento ejus *opitulatos fuisse parvulis suis.* » S. Greg. Magnus (lib. 4 *Moralium*, c. 3) : « Quod apud nos valet aqua Baptismatis, *hoc egit* apud veteres pro parvulis *sola fides.* »

2. *Auctoritate theologorum*, quorum doctrinam his verbis tradit Suarez : « Omnino affirmandum, in ea Lege fuisse aliquod remedium, ad infantium salutem a Deo institutum. Ita docent omnes theologi (in 4 dist. 1 et 2), absque ulla controversia aut opinionum varietate; quod est signum, dogma hoc certum atque indubitatum fuisse. » — Non aliter sentit Vasquez, cujus hæc sunt verba : « Patrum opinio usque adeo in schola jamdiu inveteravit et invaluit, ut nullus omnino asserere audeat, parvulos eo tempore omni remedio suæ salutis caruisse. »

3. *Ratione theologica.* Nam certum est, ex alibi probatis, Deum ex una parte velle, voluntate vera et activa, omnes homines salvos fieri, et ex alia parte, Christum Jesum mortuum esse pro his omnibus, quorum Deus vult salutem : atqui cum

illa universali voluntate salutis et reparationis conciliari nequit, quod Deus, tempore Legis naturæ, infantibus negaverit remedium, quo a culpa originali liberari possint et sic salvari. Ergo.

138. — II. Quod si nunc quæratur *quodnam fuerit illud remedium*, communiter admittitur :

1. Hoc remedium non potuisse adhiberi per actionem *propriam* parvulorum, sed tantum per actum aliquem parentum, aut aliorum, qui infantium curam gerebant.

2. Illam actionem positam fuisse in aliqua *protestatione fidei* in futurum Reparatorem ; illud clare indicant tum S. Scriptura dicens (*Act.*, IV, 12) : « Nec aliud nomen est sub cœlo da» tum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri » ; tum verba S. Gregorii modo citata.

3. Fidem illam parentum vel aliorum, ut parvulis prodesset, non *necessario* cum caritate conjungi debuisse ; nam ad salutem parvulorum operabatur, non virtute actus eliciti, sed virtute objecti crediti, id est, Christi venturi. Non tamen sufficiebat fides habitualis, sed actualis requirebatur.

Utrum vero hujusmodi remedium veri sacramenti rationem habuerit, sequens declarabit

139. Assertio : *Remedium contra peccatum originale pro salute infantium in lege naturæ institutum probabilius sacramentum fuit.*

Prob. 1. *Auctoritate S. Augustini*, qui in textu jam allato expresse asserit parentes, in Lege naturæ, *aliquo fidei sacramento* filiis subvenire.

Prob. 2. *Ex doctrina S. Thomæ*, qui quærens (3 p. q. 61, art. 3) utrum post peccatum ante Christum sacramenta debuerint esse, respondet nulla facta distinctione temporum : « Dicendum quod *Sacramenta* necessaria sunt ad humanam salutem in quantum sunt quædam sensibilia signa invisibilium rerum, quibus homo sanctificatur. Nullus autem sanctificari potest post peccatum, nisi per Christum... Ideo oportebat ante adventum esse quædam *signa visibilia*, quibus homo fidem suam protestaretur de futuro Salvatoris adventu. Et hujusmodi signa dicuntur sacramenta.

PROB. 3. *Ratione.* Etenim illud tanquam sacramentum admittendum est, in quo omnes sacramenti conditiones deteguntur : atqui in remedio pro peccato originali remittendo, vigente statu Legis naturalis, reperiuntur omnes dotes ad sacramentum requisitæ : — 1. Fuit signum *sensibile*; nam hoc remedio pueri non tantum a labe peccati originalis mundabantur, sed Deo consecrabantur et Ecclesiæ visibili coadunabantur : porro hæc omnia signum sensibile requirere videntur. — 2. *A Deo institutum;* non potuit enim remittere peccatum originale, nisi per gratiæ infusionem : porro solius Dei est gratiam adnectere signo sensibili, quocumque modo illud signum operetur. Non tamen necessaria fuit specifica determinatio signi, sed satis fuit si Deus illud designaverit in genere; ita ut cæremonia seu actio sensibilis, primitus a Deo per internam saltem inspirationem imposita, ex hominum arbitrio ad certum actionis modum definiretur, et esset vel precatio quædam, vel benedictio, vel oblatio infantis Deo facta. — 3. *Permanenter;* debuit enim hujusmodi ritus tamdiu durare, quandiu permanserit status legis naturæ. — 4. *Gratiæ significativum;* nam illud remedium ad hoc institutum fuit, ut homines intelligerent, adhibita tali cæremonia exteriori, hominem interius a Deo sanctificari; significabantur ergo per hanc cæremoniam tum gratia, tum futurus Redemptor in cujus fide et spe obtinebatur gratia. — 5. *Sanctitatem conferens*; siquidem per applicationem hujus signi non tantum infantes populo Dei et Ecclesiæ visibili adjungebantur, sed etiam a peccato originali mundabantur. Ergo.

Dictum fuit *probabilius;* quia non desunt theologi, qui contendunt nullum sacramentum pro parvulis institutum fuisse sub Lege naturæ, sed ipsos a peccato originali liberari potuisse per fidem internam parentum aut aliorum, sine ulla actione exteriori.

140. Scholium. Ad complementum doctrinæ expositæ notandum superest, sacramentum illud contra peccatum originale pro parvulis, usque ad sufficientem Legis Evangelicæ promulgationem perseverasse, non solum apud populos legi mosaïcæ extraneos, sed etiam, in gente Judaica, pro fœminis,

quæ circumcidi non poterant, et pro pueris, qui ante octavum a nativitate diem in periculo mortis versabantur.

Quod vero attinet ad hujus sacramenti efficaciam, patet ex jam dictis, duo ad collationem gratiæ peccati originalis in infantibus remissivam necessaria fuisse, nempe, fidem parentum in Messiam venturum et ritum externum hujus fidei protestativum; porro, his duobus positis, non tamen *effective* concurrentibus, Deus propter Christi venturi merita, *ultra meritum* recipientis et ministrantis, peccatum originale ex mera sua benignitate et misericordi providentia, propter necessitatem hominum, remittebat. Sic fiebat sacramentum istud non habere vim et efficaciam baptismi, qui ex opere operato confert gratiam; nec tamen parentes omni orbari certitudine circa parvuli defuncti salutem. Sic demum explicantur testimonia Traditionis, Dei bonitatem erga hos pueros, et sacramenti illius excellentiam valde extollentis.

II. *De circumcisione.*

141. Norunt omnes circumcisionis præceptum Abrahæ a Deo datum fuisse ut ejus posteri in peculiarem populum segregarentur divinoque cultui consignarentur. Quod autem sacramenti rationem habuerit, ita ostendi potest.

Assertio : *Circumcisio, qua Abrahæ posteri divino cultui consignabantur, sacramenti rationem habuit.*

Circumcisionem fuisse signum sensibile a Deo permanenter institutum, haud ægre concipitur; sed insuper aliquam sanctitatem, externam saltem, conferebat, et gratiam internam significabat. Ergo.

Constat *primum*, ex ipsa circumcisionis institutione.

Legitur enim in Genesi (XVII, 7) : « Statuam pactum meum » inter me et te, et inter semen tuum post te in generationibus » tuis, fœdere sempiterno, ut sim Deus tuus et seminis tui » post te... Hoc est *pactum meum* quod observabitis inter me » et vos et semen tuum post te : *circumcidetur* ex vobis omne » masculinum et circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit » *in signum fœderis* inter me et vos. » Ex quibus patet eam fuisse vim circumcisionis, prout erat signum fœderis inter

Deum et Abrahæ posteros, ut hos in populnm peculiarem segregaret : hoc autem aliquam sanctitatem externam saltem et legalem importat. Ergo circumcisionis ritus aliquam sanctitatem, saltem externam et legalem, conferebat.

Constat *secundum*, scilicet per circumcisionem *significatam fuisse gratiam sanctificantem*, ex eo quod præfiguraverit baptisma futurum et *spiritualem circumcisionem per Christum;* nam (*Colos.*, II, 11) hæc habet S. Paulus : « Circumcisi estis cir- » cumcisione non manufacta in expoliatione corporis carnis, » sed *in circumcisione Christi*, consepulti ei in baptismo. » Opponit igitur Apostolus circumcisionem spiritualem, quæ fit per baptismum, circumcisioni corporali, quæ præcipiebatur in lege veteri, et clare innuit circumcisionem se habuisse ad baptismum, sicut figuram ad figuratum. — Confirmat auctoritas *SS. Patrum*, et præsertim S. Augustini, qui multoties declarat circumcisionem fuisse signum baptismatis et regenerationis : « Circumcisio, ait, fuit illius temporis sacramentum, quod *præfigurabat* nostri temporis baptismum. » Ita alii Patres sive Latini, sive Græci. Ergo.

142. Scholium. Disputant theologi utrum præter fines supradictos instituta etiam fuerit circumcisio in remedium peccati originalis. Communius vero ac probabilius affirmant, nec immerito. Nam in Genesi (XVII, 12-14), postquam relata fuerit institutio circumcisionis, hæc adduntur : « Infans octo dierum » circumcidetur... Masculus cujus præputii caro non circum- » cisa fuerit, *delebitur anima illa* de populo suo, quia pactum » meum irritum fecit. » Unde sic argumentari datur : in hoc textu agitur sane de infantibus, et dicitur illos a beatitudine excludendos esse, si non fuerint mundati per circumcisionem : atqui non alia esse potest hujus exclusionis causa, quam peccatum originale. Ergo circumcisio instituta fuit in remedium contra peccatum originale.

Accedit auctoritas *SS. Patrum*, pro quibus sint S. Ambrosius, qui ait (lib. 2 *de Abraham*, c. 11) : « Egregie autem ab infantia in primis vagitibus circumcidi mares lex jubet etiam vernaculos, quia sicut ab infantia peccatum, ita ab infantia circumcisio; nullum tempus vacuum esse debet tutelæ, quia

nullum est culpæ vacuum; » et S. Gregorius, qui (lib. 4, *Moral.*, c. 3) dixit : « Quod apud nos valet aqua baptismatis, *hoc egit* apud veteres pro his, qui ex stirpe Abrahæ prodierant, *mysterium circumcisionis*. Ex consulto omittimus S. Augustinum, qui nostræ sententiæ tam favet ut velint adversarii ipsum illius parentem esse. » — His omnibus traditionis nunquam interruptæ testimoniis accedit auctoritas Decretalis dogmaticæ Summi Pontificis Innocentii III dicentis (lib. 3, tit. 4) : « Baptisma successit circumcisioni... Sicut sine distinctione mosaica lex clamabat : *Anima cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit de populo suo*, ita nunc indistincte intonat vox evangelica : *Nisi quis renatus fuerit.* »

Suadet quoque ratio; nam, secundum D. Thomam (3, q. 60, art. 5, ad 3), signum visibile, quod in omni tempore necessarium fuit ad delendum peccatum originale in parvulis, post incarnationem revelatam Abrahæ, ad expressiorem significationem gratiæ Christi, per quam genus humanum sanctificatur, magis determinatum esse debuit, quam in Lege naturæ : atqui nullum aliud signum determinatum assignari potest, quam circumcisio. Ergo circumcisio instituta fuit in remedium contra peccatum originale.

III. *De ritibus mosaicis.*

143. Quæstio est utrum sub lege mosaica præter circumcisionem alia exstiterint sacramenta; pro cujus solutione sit sequens

Assertio : *Sub lege mosaica, præter circumcisionem, alia exstiterunt sacramenta nostrorum præfigurativa.*

Prob. 1. *Scriptura Sacra*, in qua videre est : — 1. plurimos ritus a Deo per Moysen institutos fuisse, quibus sanctificatio quædam legalis conferebatur (*Exod.*, xxix, 1 et seq.; *Num.*, viii, 6 et seq.; *Levit.*, iv, v, vi, xxiv). Nonne etiam ab Apostolo docemur « Sanguinem hircorum et taurorum et cinerem » vitulæ aspersum inquinatos *sanctificare ad emundationem* » *carnis?* » — 2. Eosdem ritus spiritualem sanctificationem per Christum futuram significavisse; ait enim Apostolus (I *Cor.*, x, 11) : « Omnia in figura contingebant illis. » (*Hebr.*, x, 1) :

« Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imagi- » nem rerum. » Multa similia apud eumdem invenies circa significationem specialem variorum rituum cultus mosaici, præsertim in *Epist. ad Hebr.* (VIII, IX, X). Ergo.

PROB. 2. *Traditione;* etenim SS. Patres sæpissime sacramenta V. T. cum nostris comparant. Audiatur imprimis S. Augustinus cujus verba ea de re notissima sunt : « Prima sacramenta, ait, quæ observabantur et celebrabantur ex lege, *prænuntiativa erant Christi venturi*; quæ cum suo adventu Christus implevisset, ablata sunt; et ideo ablata quia impleta; non enim venit solvere Legem, sed adimplere ; et alia sunt instituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora. » — Concilium vero Trid. (sess. 7, can. 2) ait : « Si quis dixerit, ea ipsa novæ Legis sacramenta a sacramentis antiquæ Legis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, et alii ritus externi : anathema sit. » Si differant sacramenta N. L. a sacramentis V. L., ergo exstiterunt sacramenta in veteri Lege.

144. Quæritur 1. *Quis fuerit numerus illorum sacramentorum, et quomodo singula sese habeant relative ad sacramenta novæ Legis.*

RESP. 1. Juxta Angelicum Doctorem, sacramenta antiqua revocari possunt ad tria capita, præter circumcisionem : quædam enim instituta fuere ad consecrandos sacerdotes et Pontifices; alia vero, ad usum et participationem rerum sacrarum, ut Agnus paschalis; alia denique, ad purificationes et expiationes legalium irregularitatum et delictorum.

RESP. 2. Ex dictis concludendum est quatuor tantum novæ Legis sacramenta a veteribus fuisse adumbrata : nempe baptismum, per circumcisionem; Eucharistiam, per agnum paschalem; ordinem, per consecrationem et ministerium sacerdotum; pœnitentiam, per varias ablutiones et purificationes.

Si autem quæratur cur Deus cæremonias alia sacramenta præfigurantes non instituerit, respondent theologi : confirmationem non fuisse adumbratam, quia, utpote plenitudo christianismi, peculiaris esse debebat Legi novæ, et quia Spiritus S.,

in confirmatione collatus, in veteri Lege obscurius cognitus erat; — extremam unctionem, quia est immediata præparatio ad introitum æternæ gloriæ, cujus aditus nondum tunc patebat; — matrimonium, quia, ob polygamiam et divortium, sanctissimam Christi cum Ecclesia unionem sufficienter exprimere non valebat.

145. Quæritur 2. *An et quatenus sacramenta mosaica gratiam sanctificantem producerent.*

Resp. 1. Sacramenta veteris Legis non *producebant gratiam ex opere operato*. Nam legitur (*Gal.*, IV, 9) : « Quomodo » convertimini iterum ad *infirma* et *egena* elementa? » — (*Hebr.*, VII, 18) : « Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, » propter *infirmitatem* ejus, et *inutilitatem*. » — (*Joan.*, I, 17): « Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum » facta est. » Unde sic : Quod confert gratiam *ex opere operato* non potest dici elementum infirmum, egenum, inutile et insufficiens : atqui sacramenta vetera in Scriptura exhibentur ut elementa infirma et egena, ut mandatum infirmum et inutile. Ergo.

Nec aliud docent SS. Patres, juxta quos sacramenta veteris Legis *solam appellationem* habent communem cum sacramentis novæ Legis, et ab his differunt in eo quod *promittant tantum* Salvatorem, hæc vero *dent salutem*; a corporis sordibus *tantum* liberent, hæc vero a *peccatis liberent* et *gratiam largiantur* : ita præsertim S. Basilius (lib. *de Spiritu S.*, c. 14, n. 31); S. Augustinus, (*In Ps.* LXXIII, n. 2); S. Chrysostomus (Orat. *de Bapt. Christi*, n. 3). Atqui ita loqui non possent, si sacramenta veteris Legis gratiam produxissent *ex opere operato*. Ergo.

Unde Eugenius IV in decreto ad Armenos definit : « Novæ Legis septem sunt sacramenta..., quæ multum a sacramentis differunt antiquæ Legis. Illa enim non *causabant* gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse *figurabant*; hæc vero nostra et *continent* gratiam, et ipsam digne suscipientibus *conferunt*. »

Resp. 2. Nihil obstat quin dicatur vetera sacramenta *ex opere operantis produxisse gratiam*. Etenim conferre gratiam ex

opere operantis est illam præbere *vi meritorum agentis* : atqui vetera sacramenta aptissima erant ad fidem et pias dispositiones ministrantis et suscipientis sacramenta excitandas; nam ratione *sui*, erant ritus sancti et eximii; ratione *rei significatæ*, præfigurabant Messiam et generis humani liberationem; ergo.

TRACTATUS

DE BAPTISMO

SUMMA DOCTRINÆ CATHOLICÆ

DE BAPTISMO

Ex Conciliis Florentino et Tridentino

DECRETUM CONCILII TRIDENTINI SUB EUGENIO IV PRO INSTRUCTIONE ARMENORUM.

Primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum Baptisma, quod vitæ spiritualis janua est : per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiæ. Et cum per primum hominem mors introierit in universos, nisi ex aqua et spiritu renascimur, non possumus, ut inquit Veritas, in regnum cœlorum introire. Materia hujus sacramenti est aqua vera et naturalis : nec refert frigida sit, an calida. Forma autem est : *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Non tamen negamus quin per verba illa : *baptizetur talis servus Christi in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti;* vel : *baptizetur manibus meis talis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, verum perficiatur Baptisma : quoniam cum principalis causa, ex qua Baptismus virtutem habet, sit S. Trinitas; instrumentalis autem sit minister qui tradit exterius sacramentum, si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum S. Trinitatis invocatione, perficitur sacramentum. Minister hujus sacramenti est sacerdos, cui ex officio competit baptizare. In causa autem necessitatis non solum

sacerdos vel diaconus, sed etiam laicus vel mulier, imo etiam paganus et hæreticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiæ, et facere intendat quod facit Ecclesia. Hujus sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis et actualis; omnis quoque pœnæ quæ pro ipsa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda est satisfactio; sed morientes, antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum cœlorum et Dei visionem perveniunt.

CANONES CONCILII TRIDENTINI DE SACRAMENTO BAPTISMI.

I. Si quis dixerit, baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum Baptismo Christi; anathema sit.

II. Si quis dixerit, aquam veram et naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri Jesu Christi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, ad metaphoram aliquam detorserit; anathema sit.

III. Si quis dixerit in Ecclesia Romana quæ omnium Ecclesiarum mater est et magistra, non esse veram de Sacramento Baptismi doctrinam; anathema sit.

IV. Si quis dixerit, Baptismum qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum; anathema sit.

V. Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem; anathema sit.

VI. Si quis dixerit baptizatum non posse, etiamsi velit, gratiam amittere, quantumcumque peccet, nisi nolit credere; anathema sit.

VII. Si quis dixerit, baptizatos per Baptismum ipsum solius fidei debitores fieri, non autem universæ legis Christi servandæ; anathema sit.

VIII. Si quis dixerit, baptizatos liberos esse ab omnibus sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint; anathema sit.

IX. Si quis dixerit, ita revocandos esse homines ad Baptismi

suscepti memoriam, ut vota omnia, quæ post Baptismum fiunt, vi promissionis in Baptismo ipso jam factæ, irrita esse intelligant, quasi per ea et fidei, quam professi sunt, detrahatur et ipsi Baptismo; anathema sit.

X. Si quis dixerit, peccata omnia, quæ post Baptismum fiunt, sola recordatione et fide suscepti Baptismi, vel dimitti, vel venialia fieri; anathema sit.

XI. Si quis dixerit, vere et rite collatum Baptismum iterandum esse illi qui apud infideles fidem Christi negaverit, cum ad pœnitentiam convertitur; anathema sit.

XII. Si quis dixerit, neminem esse baptizandum, nisi ea ætate qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo; anathema sit.

XIII. Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo, inter fideles computandos non esse, ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos; præstare omitti eorum baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ; anathema sit.

XIV. Si quis dixerit, hujusmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt, et ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos, nec alia interim pœna ad christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistiæ aliorumque sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant; anathema sit.

NOTIONES PRÆVIÆ.

Quædam, pro solito more, præmonenda ducimus — 1. de Tractatus objecto et utilitate; — 2. de Baptismi notione.

I. *Objectum et utilitas tractatus.*

1. In præcedenti Tractatu *de Sacramentis in genere*, quæ omnibus sacramentis sunt communia, ordinatim exposita et enucleata fuere; quæ autem unicuique propria sunt sacramento, sigillatim in variis Tractatibus de sacramentis in specie nunc expendenda sunt. — Incipimus a tractatu de Baptismo, qui, ut pote spiritualis vitæ janua, « primum omnium sacramentorum locum tenet, » uti declarat Concilium Florentinum.

2. — II. Peculiarem hujusce Tractatus utilitatem desumit Catechismus Romanus ex eo quod pastores animarum frequentem de baptismi sacramento sermonem habere debeant. Hæc sunt ipsius verba : « Ex iis quidem, quæ hactenus de sacramentis universe tradita sunt, cognosci potest quam necessarium sit ad christianæ religionis vel doctrinam percipiendam, vel pietatem exercendam, ea intelligere, quæ de illorum singulis credenda catholica Ecclesia proponit; sed, si quis diligentius Apostolum legerit, sine dubitatione ita statuet, perfectam Baptismi cognitionem a fidelibus magnopere requiri; adeo non solum frequenter, sed gravibus verbis, et Spiritu Dei plenis ejus mysterii memoriam renovat, divinitatem commendat, atque in eo redemptoris nostri mortem, sepulturam, et resurrectionem nobis ante oculos tum ad contemplandum, tum ad imitandum constituit. Quare Pastores nunquam se satis multam operam et studium in hujus sacramenti tractatione collocasse arbitrentur. »

II. *Baptismi notio.*

3. — I. Definitio baptismi quoad nomen et quoad rem.

Baptismi *nomen*, a voce græca βαπτιζω, vel potius βαπτω, quamlibet immersionem vel ablutionem proprie denotat, et in hoc sensu apud auctores tum sacros, tum profanos sæpe usurpatur. Sic de Judith dicitur (XII, 7): « Baptizabat se in fonte » aquæ. » Sensu vero metaphorico idem baptismi nomen adhibetur in Scriptura sacra, sive ad significandam afflictionem, quæ sicut aqua vehemens hominem quandoque mergit et absorbet; quo sensu Christus aiebat (*Marc.*, X, 38): « Potestis » bibere calicem, quem ego bibo, aut *baptismo* quo ego *baptizor*, » *baptizari;* » sive ad designandum copiosam et abundantem divinæ gratiæ effusionem aliaque bona, quibus aliquando quasi immergimur. Unde (*Act.*, I, 5) apostolis suis dicebat Christus: « Baptizabimini Spiritu sancto. » Usu tamen ecclesiastico, Baptismi nomine venit antiquissimus universalisque ille ritus, quo sive infantes sive adulti sub determinata verborum formula aqua abluuntur, ac Religioni Christianæ nomen dant et initiantur. Et hæc est acceptio quam illi in hocce tractatu tribuimus.

Itaque quoad *rem* Baptismus a Catechismo concilii Tridentini apposite definitur: *sacramentum regenerationis per aquam in verbo.*

Quæ quidem definitio si fusius evolvatur, Baptismus dici potest *sacramentum a Christo Domino institutum ad spiritualem hominis regenerationem, per externam aquæ ablutionem, cum expressa personarum Sanctissimæ Trinitatis invocatione.*

Dicitur 1. *Sacramentum*; Baptismus enim est vere signum rei sacræ, et sub hoc respectu, cum sacramentis veteris Legis, quæ gratiam per Christum conferendam significabant, convenit.

Dicitur 2. *A Christo Domino institutum*, et his verbis adscribitur sacramentis novæ Legis, quæ ipsum Christum Dei Filium incarnatum auctorem habent.

Dicitur 3. *Ad spiritualem hominis regenerationem*; quæ voces effectum ac finem proprium Baptismi designant; quippe qui solus ad hominem spiritualiter regenerandum ex Christi institutione ordinetur.

Dicitur 4. *Per externam aquæ ablutionem*, ut exprimatur

duplex materia ejus sacramenti, *remota* scilicet, seu aqua; *proxima* vero, quæ in actuali corporis ablutione sita est.

Dicitur 5. *Cum expressa personarum sanctissimæ Trinitatis invocatione*, et his vocibus designatur *forma* Baptismi, quam explicite Christus ipse tradidit apostolis dicens (*Matth.*, XXVIII, 49) : « Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos *in nomine* » *Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* »

4. — II. Varia baptismi nomina. Ex definitione superius allata, intelligi possunt varia Baptismi nomina, quæ sive apud Patres, sive apud auctores ecclesiasticos passim leguntur. A *materia* quippe Baptismus appellatur *lavacrum aquæ, sacramentum aquæ, unda genitalis, fluvius aquæ vitalis.* — A *forma* vero dicitur *sacramentum Trinitatis, sacramentum fidei, sigillum* vel *signatio* fidei ; et merito quidem, cum in Baptismo expressa fiat invocatio Trinitatis, quæ præcipuum christianæ religionis mysterium est, ac per illum homo inter fideles adscribitur. — Ab *effectibus* idem sacramentum in ipsamet Scriptura nominatur *lavacrum regenerationis et renovationis*, ex eo quod hominibus conferat vitam spiritualem, quam per protoparentis peccatum amiserant; *illuminatio, seu sacramentum illuminationis*, quia nimirum in hoc sacramento habitus supernaturalis fidei infunditur, quo homo cœlestium veritatum luce illustratur.

5. — III. Baptismi figuræ. Baptismus plurimis figuris tam in lege naturæ, quam in lege mosaica adumbratus fuit et quasi prænuntiatus. Præcipuæ autem sunt: — *diluvium*, quod Tertullianus appellat *mundi baptismum ; — maris rubri transitus*, qui *baptismus Moysis* nuncupatus est juxta illud B. Pauli (*I Cor.*, x, 2) : « Omnes in Moyse *baptizati sunt* in nube et mari ; » — *Naaman Syri lotio in Jordane ; probatica piscina* et *circumcisio.*

6 Quibus præmonitis, catholicam doctrinam de primo novæ Legis sacramento in sex capitibus exponemus : — *primum*, de Baptismi existentia; — *secundum*, de materia et forma; — *tertium*, de effectibus; — *quartum*, de ministro; — *quintum*, de subjecto ; — *sextum*, de cæremoniis.

CAPUT I.

DE BAPTISMI EXISTENTIA.

7. Errores. Baptismi existentiam denegarunt Manichæi; eam pariter rejecerunt, teste Chardon (*Histoire des sacrements, curs. compl.*, tom. 20, col. 15), quidam hæretici, dicti Christiani S. Joannis (*Chrétiens de S. Jean*), eo quod, solum S. Joannis baptisma agnoscentes, plures tamen ecclesiasticas traditiones retinuerant. Lutherani et Calviniani erraverunt in eo quod Christi baptismum a S. Joannis baptismate non sat distinxerint, eamdem utrique virtutem tribuentes, fidem scilicet in suscipientibus excitandi. Hos omnes in sequentibus assertionibus confutabimus.

8. Assertio 1ª: *Christus ritum baptismalem instituit.*

Prob. 1. *Scriptur sacra*, in qua hæc leguntur (*Joan.*, III, 22): « Post hæc venit Jesus et discipuli ejus in terram Judæam, et » illic demorabatur cum eis, et *baptizabat.* » (*Matth.*, XXIII, 19): « Euntes ergo docete omnes gentes, *baptizantes* eos,... et ecce » ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummatio- » nem sæculi. » (*Joan.*, III, 5): « Nisi quis *renatus fuerit ex aqua* » et Spiritu sancto, non potest introire in regnum cœlorum. » Unde sic : Ex his textibus constat : — 1. Christum baptizasse aut saltem baptizandos curavisse eos qui in ipsum credebant. — 2. Apostolis eorumque successoribus missionem et præceptum dedisse baptizandi omnes, qui in ipsum crediturі erant usque ad consummationem sæculi. — 3. Fidelibus imposuisse obligationem Baptismum suscipiendi. Atqui hæc omnia manifeste evincunt ritum baptismalem a Christo fuisse institutum. Ergo.

Prob. 2. *Auctoritate SS. Patrum*, pro quibus sit Tertullianus, qui (lib. *de Bapt.*, c. 13) ait : « Retro quidem salus fuit per fidem nudam ante Domini passionem; at ubi fides aucta est credendi,... lex *ungendi* imposita est et *forma præscripta.*»

Prob. 3. *Perpetua fide omnium christianorum*, qui sive catholici, sive hæretici aut schismatici fuerint, semper tenuerunt ritum baptismalem a Christo institutum fuisse, ut homines cœtui fidelium aggregarentur. Protestantes ipsi, qui omnem vim sanctificandi Baptismo denegant, illum agnoscunt velut « *signum initiationis*, quo in Ecclesiæ cooptamur societatem, » aut etiam quasi « *publicum symbolum* christianæ professionis.»

Prob. 4. *Ratione theol.* Christus enim Ecclesiæ suæ societatis formam indidit, ut probatum est in Tract. *de Ecclesia;* porro nemo membrum alicujus societatis præsertim visibilis efficitur, nisi ritu aut actu quodam externo initietur. Ergo omnino decuit Christum ritum baptismalem instituisse, quo fideles ejus initiarentur.

9. Assertio 2ª: *Baptismus a Christo institutus baptismum Joannis omnino præcellit.*

Prob. 1. *Scrip. S.* (*Luc.*, III, 16) Joannes dicebat omnibus : « Ego quidem aqua baptizo vos : veniet autem *fortior me*, » cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum : » *ipse vos baptizabit Spiritu Sancto* et igni. » Similia leguntur (*Matth.*, III, 11 ; *Marc*, I, 8). Unde sic argumentamur : baptismus S. Joannis conferebatur tantum in aqua et in pœnitentiam ; ergo inferior erat Baptismo Christi qui in Spiritu S. datur.

Prob. 2. *Ex SS. Patr.* qui regenerationem spiritualem Baptismo Christi tribuentes, illam baptismo Joannis denegant. — Sic Origenes (*in Joan.* hom. 8) : « *Regeneratio* non apud Joannem, sed *apud Jesum* per Apostolos suos *fiebat.* » — S. Chrysostomus (in cap. 3, hom. 12, n. 3, *Matth.*) : « *Spiritus S. gratia* in Christi Baptismate est, Joannis vero baptisma hac donatione privatur. » — S. Augustinus (*in Enchiridio*, c. 49) : « Non renascebantur qui Joannis baptismo baptizabantur ; sed huic uni (Christo) in quo solo renasci poterant, parabantur. »

Prob. 3. *Ratione.* Si enim comparatio inter utrumque baptismum instituatur, statim apparet Baptismum Christi baptismo Joannis omnino præstare — tum ratione *effiaciæ* ; theologi enim communissime tenent S. Joannis baptismum non

nisi *ex opere operantis* gratiam contulisse. Concilium vero Trid. (sess. 7, can. 1, *de Bapt.*) definivit baptismum Joannis non habuisse eamdem vim cum Baptismo Christi; — tum ratione *durationis*; nam baptismus Joannis non fuit permanens, nec in veteri, nec in nova Lege; — tum ratione *necessitatis*; nullibi enim Joannis baptismus asseritur necessarius necessitate medii, aut præcepti.

10. Assertio 3ª: *Baptismus a Christo adhibitus et institutus, est verum novæ Legis sacramentum.*

Est de fide. Sic concilium Tridentinum (sess. 6, can. 1): « Si quis dixerit sacramenta novæ Legis... esse plura aut pauciora quam septem, videlicet *Baptismum*;... anathema sit.»

Prob. 1. *Scriptura sacra.* — Textus enim supra adducti ad demonstrandum ritum Baptismalem a Christo institutum fuisse, probant etiam rationem sacramenti Baptismo inesse; quod quidem ut magis perspicuum fiat, sit sequens argumentum: ibi est sacramentum ubi datur signum sensibile, a Christo institutum permanenter et gratiæ productivum; atqui Baptismus, qualis in prædictis textibus describitur, est: — 1. *Signum sensibile*; Baptismi enim nomen importat corporis ablutionem, quæ per invocationem sanctissimæ Trinitatis ad gratiam significandam elevatur. — 2. *Signum a Christo institutum*; siquidem (*Matth.*, xxviii, 19) Christus apostolis suis dixit: « Euntes, docete omnes gentes, *baptizantes* eos; » et quidem *permanenter*: nam, post relata verba, Christus statim subjungit: *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* — 3. *Signum gratiæ productivum*; verba enim S. Joannis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, etc., regenerationem spiritualem hominis ipsi ablutioni, quæ fit per aquam, tribuunt: porro hæc regeneratio nonnisi per gratiam dari potest. Ergo.

Prob. 2. *SS. Patribus* qui sæpissime asserunt Christum ideo in Jordane baptizatum fuisse ut aquas purificaret, eisque *vim sanctificandi tribueret*; vel etiam baptismalibus aquis Spiritum sanctum superesse ut eas sanctificet, *ipsisque sanctificatis vim sanctificandi communicet.*

Prob. 3. *Auctoritate Symboli Nicæni*, in quo profitemur

unum Baptisma in remissionem peccatorum : porro Baptisma non potest esse in remissionem peccatorum, nisi sit sacramentum. Ergo.

Prob. 4. *Ratione*; nam, ex jam probatis, Christus ritum baptismalem instituit, quo fideles Ecclesiæ adscriberentur : atqui omnino decuit hujusmodi initiationem per verum sacramentum fieri, cum præsertim in veteri Lege circumcisio, qua populo Dei aggregabantur Judæi, veram sacramenti rationem habuerit. Ergo.

11. Scholium. Quod spectat ad tempus, quo baptismus a Christo institutus fuit, hæc dicenda videntur :

1. Probabilius est Baptismum a Christo fuisse institutum ante ipsius mortem. Hoc innuunt verba supra citata S. Joannis dicentis Christum, post receptum Baptismum in Jordane, in Judæam venisse cum discipulis et illic baptizasse. Insuper (*Joan.*, III, 26) legitur : « Venerunt ad Joannem et dixerunt » ei : Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimo- » nium perhibuisti, ecce hic *baptizat*, et omnes veniunt ad » eum : » porro omnino improbabile est Christum non suum, sed Joannis baptismum contulisse. — Præterea hæc sententia communis est apud theologos, et vix aliquos invenire est, qui cum Tertulliano et S. Chrysostomo teneant Christum, nonnisi post suam resurrectionem, quando nempe Apostolis dixit : « Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos »,... suum instituisse Baptisma.

2. Quonam vero præcise tempore peracta fuerit Baptismi institutio, difficilius determinatur. Nonnulli contendunt tunc Baptisma institutum fuisse, cum Christum Nicodemum alloquens dixit : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu » sancto, non potest introire in Regnum Dei » (*Joan.*, III, 5). Sed sententia communior asserit Baptismum a Christo institutum fuisse, quando ipse a Joanne baptizatus fuit. Ratio est, inquiunt, quia tunc sacramentum instituitur, quando ejus materia consecratur, designatur forma, et effectus insinuatur : porro, quando Christus in Jordane baptizatus fuit, Baptismi materia, seu aqua carnis Christi contactu consecrata fuit; forma per interventum trium Personarum sanctissimæ Trini-

tatis designata; ac demum insinuatus est effectus, dum cœli aperti sunt.

3. Quidquid sit, docent theologi illum sacramentum non fuisse in præcepto ante passionem et resurrectionem Christi. Lex enim nova veteri succedere debuit: atqui lex vetus ante passionem et resurrectionem Christi obligare non desiit; ergo Baptismus non antea fuit in præcepto; cum vero, cessante lege veteri in morte et resurrectione Christi, Lex nova statim obligare debuerit, concludendum videtur Baptismi obligationem ad tempus, quod mortem ac resurrectionem Domini consecutum est, referendam esse. — Huic sententiæ ex omni parte suffragari videtur Catechismus Romanus.

CAPUT II.

DE MATERIA ET FORMA BAPTISMI.

Dicendum venit — 1. de materia; — 2. de forma.

ARTICULUS I.

De materia Baptismi.

Duplex distinguitur in sacramentis materia, scilicet remota et proxima; de utraque sigillatim agendum est.

§ I. De materia remota Baptismi.

12. Errores. — Quidam veteres hæretici docuerunt aquam naturalem non esse materiam Baptismi. Lutherus in colloquiis convivialibus opinari videbatur liquorem quemlibet, urgente necessitate, esse sufficientem Baptismi materiam. Beza id certo definivit. Audacior Calvinus verba Christi: *Nisi quis renatus fuerit*, metaphorice, non de aqua naturali, sed de compunctione cordis intellexit. Contra quos, statuitur sequens

13. Assertio; *Omnis et sola aqua naturalis est materia remota necessaria Baptismi.*

Est de fide. Conc. Trid. (sess. 7, can. 2), ait : « Si quis dixerit *aquam veram et naturalem* non esse de necessitate Baptismi, ideoque illa verba Domini Nostri Jesu Christi : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu S.*, ad metaphoram aliquam detorserit : anathema sit. »

Prob. 1. *Scrip. S.* (*Joan.*, III, 5) : « Nisi quis renatus fuerit » ex *aqua* et Spiritu S., non potest introire in regnum Dei. » — (*Eph.*, V, 26) : « Mundans (eam) *lavacro aquæ* in verbo vitæ. » — (*Act.*, VIII, 36) : Eunuchus ait Philippo : « Ecce *aqua;* quid » prohibet me baptizari?... Descenderunt uterque in aquam, » Philippus et Eunuchus, et baptizavit eum. » Unde sic argumentari datur : præfati textus in sensu obvio intellecti aquam veram et naturalem indicant veluti materiam Baptismi : atqui Scripturæ S. textus in sensu obvio sunt intelligendi, quoties nec clarioribus textibus, nec traditioni, nec evidenti rationi ille sensus repugnat; ergo.

Prob. 2. *Auctoritate SS. Patrum*, quorum testimonia ea de re manifesta sunt. Sufficiat appellare S. Augustinum, qui (tract. 15 *in Joan.*, n. 4) dicit : « Quid est Baptismus Christi? lavacrum aquæ in verbo. *Tolle aquam*, non est Baptismus. Tolle verbum non est Baptismus. » Huc etiam veniunt testimonia SS. Patrum, qui asserunt Christum baptizatum esse, ut aquas pro Baptismi materia consecraret.

Prob. 3. *Praxi universali totius Ecclesiæ*, quæ semper Baptismum in aqua administravit, et hanc ad Baptismum valide conferendum ita necessariam habuit, ut eum in alio liquore collatum invalidum declaraverit. Talem fuisse modum agendi Ecclesiæ, testantur non solum libri rituales et pontificales Latinorum, quotquot supersunt, sed etiam omnia Græcorum euchologia.

Diximus : *Omnis et sola aqua naturalis.* Potest autem aqua amittere suam veritatem duplici modo : — 1. per *mixtionem* alterius corporis, ut cum pulvis miscetur cum aqua, et magis abundat quam aqua; — 2. per *alterationem*, ut cum aqua convertitur in alium liquorem, si tamen fieri potest.

Igitur in qualibet aqua, qualitercumque transmutata, modo non solvatur species aquæ, potest fieri Baptismus : secus vero,

si solvatur species aquæ. Intelligimus tamen naturam et speciem aquæ magis secundum communem hominum æstimationem et usum, quam secundum rationes physicas. Christus enim pro materia Baptismi aquam usualem instituit.

14. Corollaria practica. Hinc — 1. materia valida est : — aqua fontium, puteorum, maris, fluminum, lacuum, stagnorum, cisternarum, pluvialis ; — aqua resoluta ex nive, glacie, vel grandine ; servat enim eamdem substantiam ; — aqua sulphurea vel mineralis, aqua collecta ex vapore, rore, vel defluens tempore nimboso ex pariete, foliis, etc. ; — aqua turbida, mixta cum alia substantia, modo aqua sit materia vere et certo prædominans, ita ut adhuc aqua dici possit.

Hinc — 2. materia invalida est : — lac, sanguis, lacrymæ, sudor, saliva — vinum, oleum, cerevisia, jus densum ex adipe, etc. ; — lutum, atramentum. ; — nix, glacies, pruina et alia similia nondum resoluta, quia in hoc statu non sunt aqua naturalis.

Hinc — 3. materia dubia est : — Jusculum valde tenue, lixivium, cerivisia tenuis, aqua ex sale soluto ; — humor fluens ex vite aliisque plantis (ita Gury post S. Ligorium).

Cæterum in praxi nunquam extra casum necessitatis adhibenda est aqua dubia, ubi præsertim certa haberi potest ; in casu vero necessitatis adhiberi potest et debet id omne de quo prudenter dici potest : forte est aqua.

15. Quæritur 1. *Qualis aqua adhibenda sit ad licitam Baptismi collationem.*

Resp. Ad *licitam Baptismi, sive privati, sive solemnis administrationem, adhibenda est, si fieri potest, aqua eo anno benedicta, in sabbato sancto Paschatis, vel vigilia Pentecostes.* — Constat responsio

1. *Praxi Ecclesiæ perpetua*, quam ex Apostolorum traditione descendere, forsan colligi potest, ex eo quod illius initium non invenitur.

2. *Auctoritate Ritualis Romani*, in quo hæc habentur : « Aqua vero solemnis Baptismi sit eo anno benedicta in sabbato sancto Paschatis, vel sabbato Pentecostes. » Imo si quandoque, cum licentia episcopi, in privatis locis conferatur Bap-

tismus, idem Rituale præscribit, ut « in aqua baptismali de more benedicta, » detur.

3. Idem probant antiqua baptisteria, non alia ratione constructa, quam ut aqua solemni ritu consecrata et benedicta decentius servaretur.

Dicitur : *Si fieri potest*, quia in casu necessitatis licite ministratur Baptisma cum aqua ordinaria; melius tamen confertur cum aqua simpliciter benedicta in variis anni temporibus.

16. Quæritur 2. *An præceptum adhibendi aquam baptismalem obliget sub gravi.*

Resp. Quidam negant; sed communis sententia affirmat — sive quia aqua Chrismate delibuta expressius significat unctionem Spiritus S.; — sive quia Ecclesiæ solemnitas in consecrando Chrismate, ejusque in eodem asservando cura, gravis obligationis indicia esse videntur; — sive quia graviter reus judicari solet episcopus qui quotannis in Cœna Domini Chrisma non conficit, et parochus qui pariter quotannis novas aquas non consecrat : porro hæc sunt totidem indicia gravem esse obligationem hac utendi aqua.

Pro praxi notentur sequentia verba Ritualis Romani : « Si aqua benedicta tam imminuta sit, ut non sufficere videatur, alia non benedicta admisceri poterit, in minori tamen quantitate. — Si vero corrupta fuerit, aut effluxerit, aut quovis modo defecerit, Parochus in fontem bene mundatum ac nitidum recentem aquam infundat, eamque benedicat, ex formula præscripta. — Sed si aqua conglaciata sit, curetur ut liquefiat : si autem ex parte congelata sit, aut nimium frigida, poterit paululum aquæ naturalis non benedictæ calefacere, et admiscere aquæ baptismali in vasculo ad id parato, et ea tepefacta ad baptizandum uti, ne noceat infantulo. »

Quoad eos qui exoptant suos infantes cum aqua e Jordane hausta, quam via tuta obtinuerunt, baptizari, hujusmodi desiderio satisfacere potest parochus, modicam illius aquæ quantitatem cum aqua baptismali miscendo.

§ II. De materia proxima Baptismi.

17. Status quæstionis declaratur. Triplici modo adhiberi

potest aqua in Baptismo : per *immersionem*, *infusionem* et *aspersionem*.

Certum est usque ad sæculum decimum tertium in Ecclesia sive Latina, sive Græca Baptismum communiter collatum fuisse per *immersionem*, et quidem ita ut ad cujusvis divinæ Personæ invocationem, corpus mergeretur. — Sæculo decimo quarto, abrogato immersionis ritu, disciplina invaluit in tota Ecclesia Latina Baptismum conferendi per infusionem, quamvis hic aut illic adhuc immersio quandoque permissa et in usu fuerit. — Imo aliquando, propter baptizandorum multitudinem, Baptismus collatus est per *aspersionem*, quam quidem ipsimet apostoli ab initio adhibuisse creduntur. — His prænotatis, contra nonnullos schismaticos Græcos asserentes Baptismum per infusionem, aut per unam tantum immersionem collatum, invalidum esse, sequentes assertiones statuimus :

18. Assertio 1ª : *Valet Baptismus collatus sive per immersionem, sive per infusionem, sive per aspersionem.*

Prob. 1. *Script. sacra*, scilicet — tum ipsis verbis quibus continetur præceptum divinum Baptismi : Christus enim ait (*Matth.*, xxviii, 19) : « Euntes, docete... *baptizantes* eos in nomine » Patris et Filii et Spiritus S. : » porro illa vox *baptizo* nihil aliud significat quam ablutionem, quæ utique fieri potest, sive per *immersionem*, sive per *infusionem*, sive per *aspersionem* ; — tum Apostolorum exemplo, qui (*Act.*, xii, 41) tria hominum millia die Pentecostes baptizasse leguntur : atqui incredibile omnino videtur illam hominum multitudinem, unica die, a duodecim apostolis baptizatam fuisse per immersionem.

Prob. 2. *Praxi Ecclesiæ*. Quod ad Baptismum per immersionem attinet, nulla sane difficultas moveri potest, et de facto movetur, siquidem ille baptizandi modus in universali Ecclesia per duodecim sæcula adhibitus fuit. Quoad vero Baptismum per infusionem aut aspersionem, præter exemplum apostolorum de quo supra, certum est universalem Ecclesiam a sæculo xiii per infusionem Baptismum contulisse : porro in hujusmodi dogmatica praxi errare nequit Ecclesia; ergo valet Baptismus per infusionem datus. Insuper ante sæculum xiii multoties non dabatur Baptisma per immersionem, scilicet : — in

casu mortis, quando nempe baptizabantur in lecto degentes, qui idcirco *clinici* vocati fuerunt; — in casu carceris, quando martyres socios carceris Christo lucrabantur; impossibilis tunc sæpe sæpius erat Baptismus per immersionem : ergo per infusionem vel aspersionem conferebatur; — in casu magnæ multitudinis baptizandorum.

Cæterum triplex ille baptizandi modus æque probatur in Rituali Romano dicente : « Baptismus... fieri (potest) aut per infusionem aquæ, aut per immersionem, aut per aspersionem. »

Prob. 3. *Ratione.* Nam, ut ait S. Thomas (3. q. 66, art. 7), « aqua assumitur in sacramento Baptismi ad usum ablutionis corporalis, per quam significatur interior ablutio peccatorum. Ablutio autem fieri potest per aquam non solum per modum immersionis, sed etiam per modum aspersionis aut effusionis. Et ideo... potest fieri Baptismus per modum aspersionis aut effusionis. »

19. Assertio 2ª : *Trina sive immersio, sive infusio, sive aspersio, non est de necessitate sacramenti, sed præcepti tantum.*

Prob. 1. *Auctoritate S. Gregori Magni*, qui (l. 1, Ep. 43) ad Leandrum Hispalensem Episcopum hæc scribit : « Reprehensibile esse nullatenus potest infantem in Baptismate vel *ter* et *semel* immergere, quando et in trinis mersionibus personarum Trinitas, et in *una* potest divinitatis singularitas designari. » Hoc S. Pontificis judicium suum fecit conc. Toletanum IV, præfatis S. Gregorii verbis hæc addens : « Propter vitandum schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis usum, *simplicem* teneamus Baptismi mersionem, ne videantur apud nos, qui tertio mergunt, hæreticorum approbare assertionem, dum sequuntur et morem. »

Prob. 2. *Ratione.* Etenim ex præcedenti assertione constat ad Baptismum per se requiri ablutionem aquæ, et quidem de necessitate sacramenti; modum autem ablutionis *per accidens* se habere ad sacramentum. Ergo ad valorem sacramenti indifferens est, quod ter vel semel fiat. — Nec dicatur trinam immersionem, vel infusionem, aut aspersionem necessario adhibendam esse, ad significandam Trinitatem divinarum perso-

narum, vel ad repræsentandum triduum sepulturæ Christi. Nam respondet Angelicus Doctor (3. q. 66, art. 8, ad 1) « quod significatio Trinitatis fit in Baptismo per verba formæ, nec est de necessitate, quod significetur Trinitas per usum materiæ. Similiter etiam mors Christi figuratur sufficienter in unica immersione (vel infusione aut aspersione). Triduum autem sepulturæ non est de necessitate salutis nostræ,... et ideo patet quod trina immersio nec ex parte Trinitatis, nec ex parte passionis Christi est de necessitate sacramenti. »

20. Quæritur 1. *An aqua debeat immediate tangere corpus.*

Resp. *Affirmative;* quia alioquin non censetur homo vere ablui.

Hinc 1. non valet Baptismus, si vestes baptizandi tantum tangat aqua; si vero capillos solos abluat, valde dubius est.

Hinc 2. si caput aliqua operiatur scabie, ut sæpe accidit, efficiendum est ut aqua super frontem aliquantulum fluat. Secus dubius esset Baptismus.

21. Quæritur 2. *In qua parte corporis fieri debeat ablutio.*

Resp. Infusio fieri debet super *caput*, quia est pars principalis corporis. — Attamen probabilius valeret Baptismus, si in alia, præsertim principaliori parte v, g. in pectore, scapulis, etc.... fieret ablutio. Unde, si urgente necessitate, in capite fieri non posset, in alia parte fieri deberet. Sed propter dubium, Baptismus sic collatus postea sub conditione iterandus foret, si posset fieri. Ita ipsum Rituale Romanum, in quo hæc leguntur : « Si infans aliud membrum (ac caput) emiserit, quod vitalem indicet motum, in illo, si periculum impendat, baptizetur; et tunc, si vixerit, erit sub conditione baptizandus. »

22. Quæritur 3. *Quænam quantitas aquæ requiratur ad validitatem Baptismi.*

Resp. Talis requiritur aquæ quantitas, ut baptizandus sit realiter ablutus; alioquin non fieret ablutio. Hinc quidam volunt non sufficere unam aut alteram guttam. Alii dicunt sufficere, modo tamen fluat. Id quidem videtur probabile; sed quia alii contradicunt, et res non est certa, sic baptizatus in necessitate, sub conditione est rebaptizandus. Ita Billuart.

Inde increpandi sunt illi ministri, qui extremitatem tantum digiti sui in aquam infundunt, et postea baptizant. Cavendum tamen est, ne nimia effundatur aquæ quantitas, præsertim in hieme, quia talis effusio aquæ frigidæ perniciosa esse potest tenello parvulo, et parentes juste contristat : imo quandoque expedit aquam baptismalem modice calefactam adhibere.

23. Quæritur 4. *Quomodo adhibenda sit aqua a ministro Baptismi?*

Resp. Minister Baptismi materiam ita applicare debet, ut corpus tangat *successive*, mediante ejus actione, sive successio oriatur e motu locali aquæ ad corpus, sive corporis ad aquam. Ratio est quia, si aquæ contactus non sit successivus, v. g., si aqua immota in fronte maneat, non potest dici homo moraliter ablutus. Requiritur vero, ut motus successivus fiat per actionem ministri; alioquin non posset vere dicere : Ego te baptizo.

Hinc 1. si quis videns puerum cadentem aut ab alio projectum in flumen, verba formæ proferret, certo nullum esset sacramentum, quia vere non ablueret. Secus autem, saltem probabiliter, si ipse infantem aquæ e tecto defluenti submitteret, formam proferendo.

Hinc 2. Valde dubium esset Baptisma, si quis nive vel glacie, a ministro quidem applicata, sed in corpore tantum baptizati resoluta, baptizaretur; nam in hoc casu aquæ motus non a baptizante, sed a baptizato, mediante corporis ejus calore, esse videretur. Posset forte dici quod sit etiam ab applicante, quia si non applicaret, non resolveretur; sed, ut dictum fuit, valde dubium est.

Cæterum, circa modum aquam adhibendi in Baptismo, hæc leguntur in Rituali Romano : « Baptismus licet fieri possit aut per infusionem aquæ, aut per immersionem, aut per aspersionem, primus tamen vel secundus modus, qui magis sunt in usu, pro Ecclesiarum consuetudine retineantur, ita ut trina ablutione caput baptizandi perfundatur, vel immergatur in modum crucis uno et eodem tempore quo verba proferuntur, et idem sit aquam adhibens et verba pronuntians. »

Unde, quamvis ad validitatem Baptismi certo non necessaria

sit trina ablutio, requiritur tamen, et quidem sub gravi, ad licitam hujus sacramenti collationem, præsertim si agitur de Baptismo solemni.

24. Scholium. Inquirere solent theologi quænam causæ Ecclesiam Romanam induxerint ad ritum infusionis adoptandum. Jam diximus modum baptizandi per immersionem usque ad sæculum decimum tertium perseverasse, sed tunc invaluisse apud Latinos morem Baptismum conferendi per infusionem. Porro hujus immutationis sequentes dari possunt rationes : — 1. Baptizandorum, præsertim infantium, commodum, quibus ob tenellæ ætatis infirmitatem immersio nocere poterat. — 2. Periculum ne infans e manibus ministri forte delapsus, in profundum baptisterii demersus, aquis suffocaretur, quod nonnunquam contigisse legimus. — 3. Mulierum pudicitia ac ministrorum decentia, præsertim postquam desiit in Ecclesia diaconissarum ministerium.

Circa ritus in immersione servatos hæc dicenda sunt : — 1. Erant baptisteria intra ipsam Ecclesiam, vel ad ejus fores, ad instar balnei vel piscinæ, profunda et ampla, pluribus simul continendis apta. In his baptisteriis erant piscinæ porphyreticæ vel marmoreæ; erant pariter cervi ex argento aquam effundentes; quandoque etiam reperiebantur agnus aureus vel columba aurea. — 2. Baptizandi in baptisterium descendebant, et septem communiter aderant gradus; minister autem sacramenti eos mergebat omnino in aquam, vel caput illorum inclinando, vel totum corpus deprimendo, manu imposita super humerum vel inter scapulas. — 3. Post trinam immersionem in nomine SS. Trinitatis factam, baptizati e sacro fonte exibant, et suscipiebantur cum velamine, viri a diaconis vel patrinis, mulieres a diaconissis vel matrinis. — 4. Post susceptum Baptisma, ab episcopo confirmabantur et S. Eucharistia reficiebantur. (Cf. *Curs compl.*, t. 20, col. 74).

ARTICULUS II.

De forma Baptismi.

25. Errores. Circa Baptismi formam erraverunt plures hæ-

retici, sed præsertim : — 1. Gnostici qui baptizabant *in nomine Patris ignoti universorum, in veritate matre omnium, in eo qui in Jesum descendit*, etc... ; — 2. Montanistæ, qui baptismum conferebant in nomine Patris et Filii et Montani *et Priscillæ*; — 3. Sabelliani hæresim Sabellii, asserentis unicam esse in divinis personam, in collatione Baptismi exprimentes ; — 4. Novatores sæculi decimi sexti, qui, etsi formam Ecclesiæ retinuerint, erroneas tamen sententias proposuerunt, dicendo vel nullam certam formam requiri, vel saltem formam consuetam non esse necessariam, vel invocationem trium personarum SS. Trinitatis non adhiberi, nisi velut instructionem fidei pro baptizandis, quæ proinde aliis verbis suppleri possit.

26. Assertio : *Forma Baptismi apud Latinos hæc est* : *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Apud Græcos : *Baptizatur* vel *baptizetur servus Christi N. in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.*

Utramque formam legitimam esse constat :

1. *Ex Conc. Flor.*, in decreto ad Armenos, ubi hæc leguntur : « Forma (hujus sacramenti, videlicet Baptismi) est : *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Non tamen negamus quin et per illa verba : *Baptizetur talis servus Christi in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*, verum perficiatur sacramentum. »

2. *Praxi utriusque Ecclesiæ*, Latinæ et Græcæ, quæ suum ritum servat, quin una contra aliam litem moveat.

3. Denique *ratione;* nam præter voluntatem Christi, quæ nobis innotescit ex praxi et definitionibus Ecclesiæ, et forsan colligi potest ex verbis, quibus Christus Baptismi ritum apostolis tradidit, dicendo : « Euntes, docete omnes gentes baptizantes eos *in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* », adest quædam convenientia : oportet enim, ut in sacramento Baptismi exprimatur causa illius instrumentalis, per quam perficitur exterius sacramentum, et principalis, a qua tota virtus sacramenti derivatur : atqui in utraque forma hæc duo exprimuntur; nam per verba : *ego te baptizo*, vel *baptizetur talis servus Christi*, tangitur causa instrumentalis ; et per ista :

in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, causa principalis. Ergo.

Ex quibus colliges formam Græcorum non substantialiter a nostra differre, siquidem utraque exprimit actionem baptizandi et invocationem sanctissimæ Trinitatis.

27. Quæritur 1. *Utrum ad valorem baptismi exprimendus sit actus baptizandi?*

Resp. *Affirmative*, idque constat

1. *Auctoritate Alexandri III*, qui rem expresse definivit his verbis : « Si quis puerum ter in aqua immerserit in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, et non dixerit : *Ego te baptizo* in nomine Patris, etc.. non est puer baptizatus. » Illam definitionem confirmavit Alexander VIII, propositionem contradictoriam damnando.

2. *Ex constanti et perpetuo usu* Ecclesiæ tam Latinæ quam Græcæ, semper adhibentis in collatione Baptismi verba, quibus exprimitur actio baptizandi.

3. *Ratione*, quam indicat D. Thomas (3 p. q. 66, art. 5, ad 2) : « Ablutio hominis in aqua, cum variis causis fieri possit, oportet, ut in Baptismo determinetur per verba formæ : sed per hæc tantum verba : *in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*, nondum illa ablutio sufficienter determinatur, ut sacramentalis sit; quia in nomine Trinitatis ut pleræque actiones, etiam ablutio sanitatis causa fieri potest. »

28. Quæritur 2. *Utrum ad Baptismi validitatem pariter necessaria sit distincta expressio trium personarum SS. Trinitatis.*

Resp. *Affirmative ;* quod etiam constat

1. *Scriptura Sacra*, nimirum, ipsismet verbis quibus Christus ritum baptizandi apostolis præscribens, jubet eos baptizare *in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.*

2. *Traditione constanti Ecclesiæ*, quæ semper judicavit hanc distinctam personarum divinarum expressionem, vi institutionis Christi, esse de necessitate sacramenti, et illud patet — tum ex *SS. Patribus*, qui unanimi ore illud profitentur; sic, ne plura afferamus, S. Ambrosius de catechumeno dicit (lib. *de Myst.*, cap. 4, n. 20) : « Nisi baptizatus fuerit *in nomine Patris*

» *et Filii et Spiritus Sancti*, remissionem non potest accipere » peccatorum; » — tum ex *usu ubique recepto* eos rebaptizandi, qui aliter quam sub hac expressa personarum divinarum invocatione baptizati erant.

3. *Ratione.* Nam « sacramenta, inquit Angelicus Doctor (3, q. 66. art. 6), habent efficaciam ab institutione Christi; et ideo, si prætermittatur aliquid eorum, quæ Christus instituit circa aliquod sacramentum, efficacia caret, nisi ex speciali dispensatione ejus, qui virtutem suam sacramentis non alligavit. Christus autem instituit sacramentum Baptismi dari cum invocatione Trinitatis. Et ideo quidquid desit ad plenam invocationem Trinitatis, tollit integritatem Baptismi. »

Et vero, cum in Baptismo, qui est sacramentum fidei et Ecclesiæ janua, professio fiat evangelicæ fidei, oportuit ut in eo expressa invocatio fieret SS. Trinitatis, quæ est primarium objectum et fundamentum totius fidei, et principalis causa tam ipsius Baptismi, quam omnium mysteriorum Legis novæ.

29. Quæritur 3. *Quænam verba in forma baptismi velut essentialia habenda sunt?*

Resp. 1. Evidens est verba *baptizo* aut *baptizetur*, necnon sequentia *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, certo ad essentiam formæ pertinere, si non propriis terminis, saltem æquivalentibus; sequitur ex modo probatis.

Invalidum igitur esset, saltem *probabilius*, baptisma collatum sub hac forma : *Ego te baptizo in nomine SS. Trinitatis*, vel *in nomine trium personarum divinarum.* Præterquam enim quod fieri debeat expressa et distincta trium personarum invocatio, ut modo probatum est, verba quæ in hac forma usurparentur non idem significant ac *Pater*, *Filius et Spiritus Sanctus.*

Resp. 2. Idem dicatur de verbo, quo exprimitur persona baptizandi, scilicet *te* in forma Latinorum, vel *servus Christi* apud Græcos. Nam forma debet significare id quod in sacramento peragitur; in sacramento autem applicatur materia subjecto determinato, quod non significatur, dicendo simpliciter : *Baptizo* aut *baptizatur.* — Præterea actus baptizandi non sufficienter exprimi videtur, nisi determinetur per subjectum

circa quod versatur. — Denique id innuunt verba Christi : *Baptizantes eos.*

Resp. 3. Vox *ego* ad essentiam formæ non pertinet; sat enim continetur in verbo *baptizo*. — Idem dicendum videtur, saltem *probabilius*, de conjunctione *et*, præsertim si semel tantum omittatur, et ante tertiam personam præponatur. Idem etiam *probabilius* de præpositione *in*, licet plures graves theologi contradicant.

30. Scholium. Quæstio est inter theologos utrum aliquando ab Apostolis, ex divina dispensatione, in *solo nomine Christi* collatum fuerit Baptisma.

Non desunt qui sententiam affirmantem tenent, præsertim innixi variis Scripturæ locis, in quibus legimus multos baptizatos fuisse in nomine Christi. Sic v. g. (*Act.*, VIII, 22) legitur : « *In nomine Jesu Christi* baptizabantur viri et mulieres. » (*Ibid.*, V, 16) : « Baptizati tantum erant *in nomine Domini Jesu.* »

Sed, juxta sententiam communem, Apostoli *in nomine* Jesu baptizasse dicendi sunt, quatenus in fide, virtute et auctoritate Christi, ac Baptismo ab eo instituto, non baptismo Joannis, baptizabant; vel etiam quatenus nomen Domini Nostri Jesu Christi in forma Baptismi proferebant, at non exclusis nominibus Patris et Spiritus sancti.

CAPUT III.

DE BAPTISMI EFFECTIBUS.

31. Præter characterem, de quo in præcedenti Tractatu satis dictum fuit, duo considerari possunt in Baptismi effectibus : remissio nempe peccati et ipsamet gratia quam animæ confert. De utroque breviter agendum est.

§ I. An et quatenus per baptismum remittatur peccatum?

32. Peccatum duplex est, originale et personale. — Præterea

in peccato distingui debent culpa et pœna pro culpa subeunda. — Quo posito, sit sequens

Assertio : *Per baptismum non solum remittitur omne peccatum tam originale quam personale, sed etiam omnis pœna peccato debita, sive æterna, sive temporalis, quin tamen auferantur pœnalitates vitæ præsentis.*

PRIMA PARS, nempe per Baptismum *omne peccatum tam originale quam actuale remitti,*

EST DE FIDE. In symbolo Constantinopolitano legitur : « Confiteor unum Baptisma *in remissionem peccatorum.* » — Concilium Florentinum ait : « Hujus sacramenti effectus est *remissio omnis culpæ originalis et actualis.* » — Conc. Trid. (sess. 5, can. 5) ait : « Si quis per Domini nostri Jesu Christi gratiam, quæ in Baptismate confertur, *reatum originalis peccati remitti* negat... anathema sit. » — Probatur vero

1. *Scrip. S.* (*Act.*, II, 38) : « Baptizetur unusquisque ves- » trum... *in remissionem peccatorum.* » — (*Act.*, XXII, 16) : « Baptizare, et *ablue peccata tua.* » — (*Rom.*, VIII, 1) : « Nihil » ergo damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu. » — (*Eph.*, V, 26) : « *Mundans* lavacro aquæ in verbo vitæ. » Unde sic : Ex his textibus Baptismus fuit institutus in remissionem peccatorum, abluit peccata, mundat animam, omnem damnationis causam tollit : porro hæc agere nequit quin omne peccatum, sive originale, sive actuale, tollat ; ergo.

2. *Ex SS. Patr.* — Tertullianus (de *Bapt.*, c. 1) ait : « Felix Sacramentum aquæ nostræ, qua *abluti delictis pristinæ* cæcitatis in vitam æternam liberamur. » — S. Augustinus (lib. *de Symbolo ad catechum.*, c. 10) : « *Omnia prorsus delicta delet* Baptisma, originalia et propria, dicta, facta, cogitata, cognita, incognita, omnia dimittuntur. »

3. *Ratione theol.* ex S. Thoma (q. 69, art. 1) deprompta : « Apostolus (*Rom.*, VI, 3, 4) dicit : « Quicumque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus : consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, ut quomodo Christus a mortuis surrexit, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. » Et postea concludit : « Ita et vos existimate mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu. »

Ex quo patet, quod per Baptismum homo moritur vetustati peccati, et incipit vivere novitati gratiæ. Omne autem peccatum ad pristinam vetustatem pertinet. Unde consequens est quod omne peccatum per Baptismum tollatur. »

SECUNDA PARS, videlicet per *Baptismum remitti omnem pœnam peccato debitam, sive æternam, sive temporalem,*

EST QUOQUE DE FIDE. Conc. Florentin. ait : « Hujus sacramenti effectus, est remissio omnis culpæ originalis et actualis, *omnis quoque pœnæ quæ pro ipsa culpa debetur.* » — Conc. Trid. (sess. 5, can. 5) : « In renatis nihil odit Deus : innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, ita ut *nihil prorsus* eos ab ingressu cœli *remoretur*... Si quis autem contrarium senserit, anathema sit. » — Hoc autem constat

1. *Script. S.* (Rom., VIII, 1) : « *Nihil* ergo *damnationis* est iis » qui sunt in Christo Jesu. » Unde sic : qui Baptisma susceperunt sunt certo in Christo Jesu ; ergo nihil damnationis in illis est ; ergo nullius pœnæ, etiam temporalis, debitum ipsis reremanet.

Traditione. — S. Augustinus (lib. 2, *de peccat. meritis*, c. 28, n. 46) : « Si continuo post Baptismum sequatur ex hac vita emigratio, non erit omnino quod hominem obnoxium teneat, *solutis omnibus quæ tenebant.* » Innocentius III (*Elucidatione in quartum psalmum pœnitentialem*) : « Sacramentum Baptismi, si digne sumatur, liberat *omnino* a culpa pariter et *a pœna.* » — Nec aliud tenet Ecclesia, quæ nullam satisfactionem baptizatis imponit. Si vero in primis sæculis quædam præcepta fuerunt catechumenis preces, vigiliæ ac jejunia, hæc per modum præparationis et tanquam indicia veræ conversionis inducta fuerunt.

3. *Ratione.* Equidem non alia esse potest causa, cur per Baptismum tollatur omnis pœna peccato debita, quam voluntas Christi ; sed auctores varias adducunt congruentias : scilicet — 1. quia per hoc sacramentum homo commoritur Christo et in eo resurgit, ideo per illud perfectissime applicatur passio Christi, quantum unicuique necesse est ad plenam totius pœnæ remissionem. — 2. Peccata ante Baptismum com-

missa, videntur ex quadam ignorantia et infirmitate profecta, quia tunc nondum homo est illuminatus a Deo, nec Baptismi gratiam est consecutus, et ideo decuit ea facilius remitti, quoad omnem pœnam. — 3. Tandem Baptismus est janua ad Ecclesiam, et quasi fundamentum illius, quam Christus cupit esse purissimam et sine macula et ruga; non immerito igitur voluit, ut omnes qui ingrediuntur Ecclesiam, per hoc sacramentum perfectissime mundarentur.

Exinde merito infertur hominem, qui ex hac vita decederet statim post receptum sine ullo obice Baptismum, antequam aliquam culpam committeret, sine ulla mora cœlum ingredi, et beatitudinem accipere; nihil enim damnationis in eo est (Cf. Suarez, *de Bapt.* Disp. 26, sect. 1).

Tertia pars assertionis, nempe, *per Baptismum non tolli pœnalitates præsentis vitæ*, vix probatione indiget, quippe quæ infelici nostra experientia satis constat: subjicimur namque fami, siti, morbis, morti, concupiscentiæ, etc. Equidem Baptismus habet vim has pœnalitates auferendi; ejus enim virtute auferentur a justis in resurrectione, « cum mortale hoc » induerit immortalitatem » (I *Cor.*, xv, 54); illas tamen non aufert in præsenti vita; et hoc rationabiliter propter tria, juxta S. Thomæ (q. 69, art. 3) doctrinam.

Primo quidem, quia per Baptismum homo incorporatur Christo et efficitur membrum ejus, ut supra dictum est. Et ideo conveniens est, ut id agatur in membro incorporato, quod est actum in capite; Christus autem, quamvis fuerit plenus gratia, habuit tamen corpus passibile, quod post passionem et mortem est ad vitam gloriosam resuscitatum : unde et Christianus, quamvis gratiam consequatur in Baptismo, quantum ad animam, habet tamen corpus passibile, in quo Christo possit compati; sed tandem resuscitabitur ad impassibilem vitam : unde illud Apostoli (*Rom.*, viii, 11) : « Qui suscitavit » Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora » vestra propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis. »

Secundo, hoc est conveniens propter spirituale exercitium, ut videlicet contra concupiscentiam et alias passibilitates pugnans homo, victoriæ coronam acciperet.

Tertio, hoc fuit conveniens, ne homines ad Baptismum accederent propter impassibilitatem præsentis vitæ, et non propter gloriam vitæ æternæ.

Alias rationes addit Suarez (Com. in 3. p. D. Thomæ, *de Bapt.*, q, 69, a. 3), dicens remanere prædictas pœnalitates — ne fides enervaretur, si homines ad gratiam Christi festinarent propter removendam mortis molestiam; — ut hinc appareat, in quid veluti pondere suo proclivis sit vitiosa natura, et quanta ope, ut hinc liberetur, indigeat; — denique, ut homo in hac vita semper secum ferat testimonium sui lapsus, et quantum Deus superbis resistat (Cf. etiam Catech. Rom. *de Bapt.*, n. 48).

Notandum superest hujusmodi defectus, quales sunt passibilitas corporis, ægritudines, mors, fomes peccati et inordinatio potentiarum, haud immerito dici pœnalitates, etsi ex naturæ principiis oriantur, et in statu naturæ puræ reperirentur. Vi enim integritatis doni, quod in primo suo parente totum genus humanum amisit, in statu innocentiæ nullatenus erant, et solo Adæ peccato effectum est, ut, amisso integritatis dono, iis subjiceremur. Unde, ut distinguantur ab illis pœnis, quæ ex principiis naturæ non oriuntur, a theologis nomine pœnalitatum designantur.

§ II. An et qualem gratiam conferat Baptismus?

33. Etsi nonnulla ea de re in Tractatu præcedenti jam obiter dicta fuerint, abs re non erit sub uno conspectu exponere quæ ad gratiam baptismalem spectant. — Sit proinde sequens

Assertio : *Baptismus tam parvulis quam adultis gratiam sanctificantem cum virtutibus infusis ex opere operato confert; hæc autem gratia, quatenus a Baptismo dimanat, merito regenerativa dicitur, ordinemque dicit ad specialia auxilia, pro vita christiana recte instituenda, suo tempore conferenda.*

Prima pars, nimirum, *Baptismum tam parvulis quam adultis gratiam sanctificantem cum virtutibus infusis ex opere operato conferre*, jam sufficienter constat ex variis argumentis, quibus in Tract. *de Sacram. in genere*, probatum fuit sacramenta novæ Legis gratiam *ex opere operato* conferre obicem non po-

nentibus. Quædam tamen Baptismo specialia addemus : hæc autem depromuntur

1. *Ex Scriptura sacra.* (I *Cor.*, VI) : « *Abluti estis, sanctificati* » estis, *justificati* estis. » (*Tit.*, III, 5) : « Salvos nos fecit per » lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti... ut » *justificati gratia* ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ » æternæ. » (*Ephes.*, V, 26) : « *Mundans* lavacro aquæ in verbo » vitæ. » (*Marc.*, XVI, 16) : « Qui crediderit et baptizatus fuerit, » *salvus* erit. » Unde sic : Illud quod abluit, mundat, sanctificat, justificat, hominem ita renovat ut hæres sit vitæ æternæ, denique salutem procurat, dat profecto gratiam sanctificantem; atqui tales sunt effectus Baptismi. Ergo.

2. *Ex Traditione.* SS. Patres mirum in modum hunc Baptismi effectum describunt. Hæc habet S. Gregorius Naz. (Or. 40, n. 3) : « Baptismus *splendor* est animarum, vitæ in melius mutatio... *Verbi participatio*... vehiculum ad Deum, peregrinatio cum Christo, fidei adminiculum, mentis perfectio. » S. Chrysostomus (lib. 1. *de Compunct.*, n. 8) ait : « In Baptismo divina potimur gratia, ac Spiritus participes efficimur. »

Nec aliud docet *concilium Trid.*, quando (sess. 5, can. 5) de baptizatis ita loquitur : « Veterem hominem exuentes, et novum induentes, qui secundum Deum creatus est, innocentes, immaculati, puri, innoxii ac Deo dilecti effecti, sunt hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. » Item (sess. 6, cap. 7) dicit « sacramentum Baptismi esse causam instrumentalem justificationis, quæ non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio, et renovatio interioris hominis, *per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum.* »

3. *Ex ratione.* Nam, ut ait D. Thomas (q. 69, art. 4) « ad hoc Baptismus valet, ut baptizati Christo incorporentur, ut membra ejus. A capite autem Christo, in omnia membra ejus, gratiæ et virtutis plenitudo derivatur, secundum illud Joan. (I, 16) : « De plenitudine ejus omnes nos accepimus. » Unde manifestum est, quod per Baptismum aliquis consequatur gratiam et virtutes. »

Et vero Baptismus institutus est ad remittendum originale

peccatum, et actuale, si cum illo conjunctum sit. Sed peccatum originale et mortale non remittitur sine infusione gratiæ et justitiæ inhærentis homini. Ergo Baptismus infundit gratiam, justitiam et virtutes omnes quæ gratiam comitantur.

Nec dicatur illud quidem verum esse de adultis, minime vero de parvulis, qui non videntur esse capaces harum virtutum, cum earum actus exercere non possint, neque earum infusioni consentire valent, cum tamen Conc. Trid. justificationem fieri per *voluntariam* susceptionem gratiæ et donorum asserat.

Hoc enim falsum demonstratur, — tum quia pueri sicut et adulti in Baptismo efficiuntur membra Christi; unde necesse est, quod a capite recipiant influxum gratiæ et virtutum; — tum quia alias pueri decedentes post Baptismum, non pervenirent ad vitam æternam, et ita non profecisset eis ad salutem baptizatos esse.

Si vero infantes inhabiles sint ad actus virtutum, animadvertatur illam impotentiam operandi non provenire ex defectu habituum, sed ex impedimento corporali; nec proinde impedire quin in ipsis a Deo infundantur hujusmodi virtutes. — Neque refert quod non possint propria voluntate consentire, ut justificentur; sufficit enim quod susceptio illa gratiæ et virtutum ipsis voluntaria sit voluntate capitis.

Unde conc. Viennense hæc habet : « Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quæ per Baptisma applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem, quæ dicit tam parvulis quam adultis conferri in Baptismo informantem gratiam et virtutes, tanquam probabiliorem, et dictis sanctorum et Doctorum modernorum theologiæ magis consonam et concordem, sacro approbante concilio, duximus eligendam. »

SECUNDA PARS, videlicet, *gratiam sanctificantem quæ a Baptismo dimanat, merito dici regenerativam*, constat

1. *Scriptura sacra* (*Joan.*, III, 5) : « Nisi quis *renatus fuerit* » ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum » Dei. » (*Gal.*, III, 26) : « Omnes enim *filii Dei* estis per fidem, » quæ est in Christo Jesu; quicumque enim in Christo bapti- » zati estis, Christum induistis. » (*Tit.*, III, 5) : « Salvos nos » fecit per *lavacrum regenerationis*. » Porro ex his textibus et

similibus in quibus Scriptura testatur justos ex Deo *generari*, *nasci*, *renasci*, *filios Dei fieri*, evidenter patet gratiam baptismalem veram generationis spiritualis rationem habere. Ergo.

2. *Auctoritate SS. Patrum*, qui mirabiles Baptismi effectus describentes, non obscure innuunt illud sacramentum id peculiare secum trahere, ut hominem spiritualiter regeneret. Audiamus S. Chrysostomum (Catech. 1 *ad illum.*, n. 3) : « Cur, inquies, si peccata nobis omnia lavacrum remittit, non lavacrum remissionis peccatorum, non lavacrum purgationis, sed lavacrum *regenerationis* vocatur? Quia non solum nobis peccata remittit, neque solum delicta purgat, sed id ita præstat ac si *denuo geniti essemus*. Suffragatur S. Augustinus (*Enchir.*, cap. 64) : « Baptismatis munus contra peccatum originale donatum est, ut quod generatione attractum est, *regeneratione* retrahatur. »

3. *Ratione theol.* Etenim hæc est generationis vera ac propria notio ut det genito primum esse et vivere : atqui in Baptismo confertur homini primum esse et vivere supernaturale; quod quidem huic primo novæ Legis sacramento adeo proprium est, ut nec de pœnitentiæ sacramento, quod hominem, post amissam vitam supernaturalem, Deo reconciliat, prædicari possit; nec ipsi caritati perfectæ, nisi quatenus Baptismi votum includit, ejusque locum tenet, adscribi valeat.

Et vero, ideo Christus venit in hunc mundum, ut nos filiationis suæ divinæ consortes efficeret, ac proinde æternæ suæ generationi nos consociaret, juxta illud Domini apud Joan. (XVII, 22) : « Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, » ut sint unum sicut et nos unum sumus »; porro hæc participatio filiationi et generationi Christi, in Baptismo efficitur; per Baptismum enim Christo incorporamur, velut membra ejus, ipsique coaptamur tanquam capiti, a quo motum et sensum accipimus. Ergo (Cf. S. Thomas, 3. q. 79, art. 5).

TERTIA PARS, scilicet *gratiam baptismalem ordinem dicere ad auxilia specialia pro vita christiana recte instituenda....*, sat probata manet iis argumentis quibus demonstratum est in Tractatu præcedenti omnia sacramenta novæ Legis gratiæ communiter acceptæ superaddere specialem vigorem *cum*

ordine et jure ad auxilia specialia, juxta finem uniuscujusque sacramenti, suo tempore conferenda.

Re quidem vera per Baptismum, ut sæpius jam dictum est, efficimur membra Christi et Ecclesiæ, et capaces aliorum sacramentorum. Pie igitur credi potest, ratione illius dari aliquod speciale auxilium ad ferendum Christi jugum fortiter et suaviter, et ad digne accedendum ad cætera sacramenta. Cæterum ille effectus omnino consentaneus est doctrinæ SS. Patrum, quamvis illum non tam distincte explicuerint.

34. Scholium. Quamvis de charactere baptismali nihil duxerimus dicendum, eo quod in præcedenti Tractatu existentiam ejus, necnon naturam et proprietates explanavimus, nolumus tamen huic quæstioni finem imponere, quin nonnullos Baptismi effectus cum charactere simul et gratia conjunctos paucis verbis commemoremus.

Videlicet :

1. *Per Baptismum homines Ecclesiam Dei ingrediuntur, et fiunt ejus membra.* Hoc unanimi ore profitentur Patres, qui Baptismum Ecclesiæ januam appellant; hoc testatur Catechismus Rom. his verbis : « Baptismus veluti *janua* est, qua in Christianæ vitæ societatem ingredimur » (p. II, c. 2, n. 4).

2. *Ecclesiam semel ingressi per Baptismum, fideles ejus subditi efficiuntur, proindeque leges ecclesiasticas servare tenentur.* Potestas enim legislativa, quam Christus Ecclesiæ suæ concessit, prorsus evanesceret, nisi leges ferre valeret, quæ subditos obligent. Unde Paulus (*Hæbr.*, XIII, 17) : « Obedite præ- » positis vestris et subjacete eis. »

3. *Per Baptismum homines idonei fiunt ad cætera sacramenta suscipienda, aliaque bona Ecclesiæ commissa participanda.* Nam qui baptizatus est et in societatem ecclesiasticam cooptatus, eo ipso idoneus effici debet ad recipienda bona quæ fidelium cœtui Christus profusa manu largitus est. Unde Paulus (I *Cor.*, XII, 13, 25) : « In uno spiritu omnes nos in unum corpus bap- » tizati sumus..... Et si quid patitur unum membrum, com- » patiuntur omnia membra; sive gloriatur unum membrum, » congaudent omnia membra. » Item Catech. Rom. (p. 1, cap.

10, n. 25) dicit : « Quæcumque pie sancteque ab uno suscipiuntur, ea ad omnes pertinent. »

4. *Per characterem baptismalem Deo consecrati, ejus servitio mancipamur.* Fieri enim non potest nos Christi regis insignia gerere, nisi ei, et quidem soli, inservire teneamur. Unde, ante Baptismum, diabolo, ejusque pompis ac operibus renuntiare jubemur, ut erepti de potestate tenebrarum et translati in regnum Filii dilectionis suæ, in perpetuum ejus servitio obstringamur.

5. Denique *per Baptismum cæli aditus, propter peccatum prius interclusus, unicuique nostrum patefit.* Illud indicant S. Patres et Doctores, quando Baptismum nuncupant *regni cœlestis clavem.* Rationem vero affert D. Thomas (q. 69, art. 7) dicens : « Aperire januam regni cœlestis, est amovere impedimentum, quo quis impeditur regnum cœleste introire : hoc autem impedimentum est culpa et reatus pœnæ. Ostensum est autem supra, quod per Baptismum omnis culpa et omnis reatus pœnæ tollitur. Unde consequens est, quod effectus Baptismi sit apertio januæ regni cœlestis. »

Quot igitur et quantas grates Deo persolvere debemus pro tam eximio Baptismi dono, cujus mirabiles et saluberrimos effectus quasi in nucleo colligens, celebrabat S. Chrysostomus dicens Baptismo Christi conferri peccatorum « remissionem, supplicii veniam, justitiam, sanctificationem, redemptionem, adoptionem, fraternitatem, hæreditatis consortium, et Spiritus Sancti copiosam largitionem » (Hom. II, n. 4).

CAPUT IV.

DE MINISTRO BAPTISMI.

35. Status quæstionis. Certum est quemlibet hominem valide baptizare posse in omni casu, ut constat tota traditione et speciatim concil. Lateran. IV quod ait : « Sacramentum Baptismi a quocumque rite collatum proficit ad salutem. »

Cum vero omnia, quæ a Deo sunt, recte ordinentur, certum est etiam non omnibus indiscriminatim, secundum legem ordinariam, commissam fuisse hujus sacramenti dispensationem; sed, excepto casu necessitatis, solis ministris speciali consecratione deputatis competere jus illud solemniter conferendi.

Inquiramus igitur oportet : — 1° quis sit minister Baptismi solemnis; — 2° quis minister in casu necessitatis.

ARTICULUS I.

De ministro Baptismi solemnis.

36. Minister Baptismi duplex est, ordinarius et extraordinarius. — *Ordinarius* ille est qui vi ordinationis suæ completam habet potestatem baptizandi, et ad quem proinde spectat Baptismum conferre. — *Extraordinarius* ille est qui speciali superiorum concessione vel delegatione indiget, quia potestatem tantum incompletam in ordinatione accepit.

37. Assertio 1ª : *Simplices presbyteri sunt sacramenti Baptismatis ministri ordinarii; sed extra necessitatem jurisdictione indigent ad illud licite administrandum.*

Probatur prima pars, nempe *simplices presbyteros sacramenti Baptismi ministros ordinarios esse*,

1. *Auctoritate Eugenii IV* in decreto ad Armenos : « Minister hujus sacramenti est *sacerdos*, cui *ex officio* competit *baptizare*. »

2. *Ex SS. Patr.* Clemens Romanus (lib. 3 *Constitutionum*, c. 11) ait : « Neque reliquis clericis potestatem baptizandi facimus... nisi tantum episcopis et *presbyteris*, ministrantibus diaconis. » — Isidorus (cap. *Constat*, 19, dist. 4, *de Consecratione*) dicit : « Constat Baptisma *solis sacerdotibus* esse tractandum. »

Attamen, quamvis presbyteri sint jure divino sacramenti Baptismatis ministri ordinarii, possunt tamen episcopi, quibusdam in casibus, illius sacramenti administrationem sibi reservare, quia auctoritate et dignitate sunt presbyteris eminentiores, præcipuamque ad gubernandam Ecclesiam a Christo potestatem acceperunt.

PROB. 2ª PARS, scilicet *extra necessitatem sacerdotes jurisdictione indigere ad Baptismum licite conferendum.*

1. *Rit. Rom.* : « Legitimus Baptismi minister est parochus, vel alius sacerdos a parocho vel ab Ordinario loci delegatus; » necnon *praxi universali* Ecclesiæ.

2. *Ratione*, quia ad illum solum pertinere debet jus baptizandi, qui curam habet animarum; atqui soli jurisdictionem habenti pertinet cura animarum. Ergo. — Usu contrario perturbaretur parochiarum legitimus ordo.

Ex his colliges : — 1. Nec parochum, nec episcopum, absque delegatione, extra suam diœcesim vel parochiam, vel intra eam extraneos, licite baptizare posse; nec etiam proprios subditos in aliena diœcesi vel parochia licite baptizare sine licentia saltem rationabiliter præsumpta. — 2. Peccare parentes, qui sine licentia sui prælati infantes suos alieno sacerdoti offerunt baptizandos.

At ex consuetudine advenæ vel peregrini filius baptizari potest in parochia in qua natus est; si tamen mulier casu pareret in loco a domicilio suo parum distante, requirere posset ut proles in propria parochia baptizaretur.

38. Assertio 2ª : *Diaconus est minister Baptismi, sed extraordinarius tantum.*

PRIMA PARS constat :

1. *Ex Pontificali*, in quo legitur : « Diaconum oportet ministrare ad altare, *baptizare;* » ergo est minister saltem extraordinarius.

2. *Ex Actibus apostolorum* (VIII, 26-38), in quibus describitur conversio et Baptismus Eunuchi Candacis, reginæ Æthiopum, a Philippo diacono.

3. *Ex annalibus ecclesiasticis*, qui Baptismum a diaconis collatum fuisse non semel referunt.

SECUNDA PARS, videlicet *diaconum nonnisi extraordinarium ministrum esse*, probatur :

1. *Jure canonico.* Gelasius enim Papa (can. 13, dist. 92) ait : « Diaconi absque episcopo vel presbytero baptizare non præsumant, nisi necessitas extrema compellat. »

2. *Auctoritate Catechismi Romani* dicentis (p. 2, n. 22) ;

« Secundum ministrorum locum obtinent diaconi, quibus sine episcopi aut sacerdotis consensu non licere hoc sacramentum administrare, plurima SS. Patrum decreta testantur. »

3. *Ratione* ex S. Thoma (3, q. 67, art. 1) desumpta : « Dicendum, inquit, quod sicut cœlestium ordinum proprietates et eorum officia ex eorum nominibus accipiuntur, ita etiam ex nominibus ecclesiasticorum ordinum accipi potest, quid ad unumquemque pertineat ordinem. Dicuntur autem diaconi, quasi ministri : quia videlicet ad diaconos non pertinet aliquod sacramentum *principaliter et quasi ex proprio offirio* præbere, sed adhibere ministerium aliis majoribus in sacramentorum exhibitione. »

Hinc diaconus qui absque delegatione et extra necessitatem solemniter baptizaret, peccaret mortaliter; imo incurreret irregularitatem, juxta communiorem sententiam, quia vi ordinationis suæ non habet quod possit jure ordinario baptizare solemniter, sed potest tantum ad id delegari. — In casu necessitatis controvertitur an possit diaconus, absente parocho, solemniter baptizare : affirmat Billuart, negat vero S. Ligorius (lib. 6, n. 116), judicans etiam hunc diaconum fieri irregularem.

Delegatio baptizandi dari non debet diacono nisi in necessitate; at necessitas illa non debet esse extrema, sed sufficit si sit rationabilis; puta, notabilis utilitas Ecclesiæ vel proximi, v. g., infirmitas parochi, multitudo baptizandorum, alia munia sacerdotalia quæ sine gravi incommodo differri non possunt, ut prædicatio promissa, administratio moribundi. — Hæc licentia dari potest ab episcopo vel a parocho; at ex usu in pluribus Galliarum diœcesibus recepto, ista delegatio episcopo reservatur.

ARTICULUS II.

De ministro Baptismi in casu necessitatis.

39. Assertio : *Urgente necessitate, quilibet homo, non tantum valide, sed et licite baptizare potest.*

Prob. 1. *Concil. Flor.* in decreto ad Armenos : « In casu necessitatis non solum sacerdos vel diaconus, sed etiam laicus

vel mulier, imo etiam paganus et hæreticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiæ et facere intendat quod facit Ecclesia. »

Prob. 2. *Rituali Rom.* : « Quoties infans aut adultus versatur in vitæ periculo, potest sine solemnitate a quocumque baptizari in qualibet lingua. » Ita alia ritualia.

Prob. 3. *Ratione.* Nam, ut ait S. Thomas (3, q. 67, art. 3), « ad misericordiam ejus qui vult omnes homines salvos fieri, pertinet, ut in his quæ sunt de necessitate salutis homo de facili remedium inveniat. Inter omnia autem sacramenta, maximæ necessitatis est Baptismus, qui est regeneratio hominis ad vitam spiritualem. Et ideo institutum est ut... minister Baptismi sit etiam quicumque non ordinatus. »

40. Quæritur 1. *Quis ordo servandus sit, si plures adsint, qui baptizare valeant.*

Resp. Hæc in Rituali Romano leguntur : « Si adsit sacerdos, diacono præferatur, diaconus subdiacono, clericus laico, et vir fœminæ : nisi pudoris gratia deceat fœminam potius quam virum baptizare..., vel nisi melius fœmina sciret formam et modum baptizandi. Quapropter curare debet parochus, ut fideles, præsertim obstetrices, rectum baptizandi ritum probe teneant et servent. »

Circa quæ dicendum : — Laicum eligendum esse loco presbyteri hæretici vel excommunicati. — Prætermittere presbyterum, etiam consentientem, esse peccatum grave; quia est minister ordinarius Baptismi. — Dubitari an sit peccatum lethale prætermittere diaconum. — Inter alios ordinem servandum esse tantum sub levi præcepto. Attamen etiam in casu necessitatis, pater prolem suam baptizare non debet, si alii adsint qui formam et modum baptizandi edocti fuerint.

41. Quæritur 2. *Utrum quis se ipsum baptizare possit.*

Resp. Baptizatus a baptizante necessario secerni debet; et ideo nemo, etiam in casu necessitatis, potest seipsum baptizare. Ita declaravit Innocentius III (cap. *Debitum* 4, *de Baptismo*) : « Cum inter baptizantem et baptizatum debeat esse discretio..., memoratus Judæus (qui seipsum baptizaverat) denuo est ab alio baptizandus. »

42. Quæritur 3. *An plures unum simul baptizare possint?*

Resp. — 1. Vel unus effundit aquam et alter verba formæ pronuntiat, et invalidus est Baptismus; nam ille modus contrarius est institutioni Christi et praxi Ecclesiæ; nec verificantur verba formæ. — 2. Vel singuli effundentes aquam dicunt: *Ego te baptizo,* et agunt tanquam causæ totales, a se invicem independentes et in se completæ, et valet Baptismus; nihil enim detegitur illius validitati repugnans. — 3. Vel plures effundunt simul aquam dicentes conjunctim : *Nos te baptizamus*, et agunt tanquam causæ partiales, a se invicem dependentes, ita ut omnes unicam actionem totalem ac completam efforment; quasi si plures trahentes navim dicerent : Trahimus navim: et hoc modo non valet Baptismus; quia voluntas Christi, praxi Ecclesiæ manifestata, fuit unicum existere ministrum sacramenti, sicut Christus, qui ab illo repræsentatur, unicus est. Ita Billuart et alii.

43. Quæritur 4. *Utrum plures simul fas sit baptizare?*

Resp. Illicite profecto ageret minister, qui plures simul ablueret extra casum necessitatis, quia præter periculum nullitatis, Ecclesiæ praxi contradiceret; sed sacramentum validum conficeret, si servaret quæ circa materiam proximam et prolationem formæ in numero plurali adhibendæ ac rite applicandæ requiruntur. Ita S. Thomas (3. q. 67, art. 6).

Quando agitur de baptismo solemni, plures simul baptizare licet, modo serventur regulæ a Rituali præscriptæ; scilicet prima nominis interrogatio, exsufflatio, crucis impressio, tactus narium et aurium, unctio olei catechumenorum, unctio chrismatis, ipse Baptismus singulariter singulis fieri debent.

CAPUT V.

DE BAPTISMI SUBJECTO.

Tria inquiremus, scilicet : — 1. Quinam Baptismum suscipere possint; — 2. quæ sit necessitas Baptismum susci-

piendi; — 3. quænam dispositiones in adultis requirantur ad Baptismi susceptionem.

ARTICULUS I.

Quinam Baptismum suscipere possint?

Investigandum venit — 1. utrum infantes valide baptizentur; — 2. an liceat infidelium pueros, invitis parentibus, baptizare; — 3. an et quatenus baptismus iterari non debeat.

§ I. Utrum infantes valide baptizentur?

44. Errores. Petrus de Bruis et Henriciani tenuerunt invalidum esse Baptisma infantibus collatum. Idem docuit, sæculo XVI, Nicolaus Stork, eo quod justificatio ex fide, cujus incapaces sunt infantes, proveniat; præcepit itaque ut Baptismus iteraretur post adeptum rationis usum; unde illius discipuli dicti sunt anabaptistæ. — Erasmus admisit validitatem Baptismi parvulorum, sed simul negavit aliquam ex eo fluere obligationem, ideoque contendebat infantes, cum ad annos discretionis pervenerint, interrogandos esse an velint Baptismi promissionibus stare, et, si illas ratas habere nolunt, propriæ dimittendos esse libertati, nec ad christianam vitam cogendos. Contra quos sit

45. Assertio 1ª : *Infantes valide et licite baptizari possunt.*

Est de fide. Conc. Trid., (sess. 7, can. 13), ait : « Si quis dixerit parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo, inter fideles computandos non esse ; ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos ; ... anathema sit. »

Prob. 1. *Scriptura Sacra* (*Joan.*, III, 5) : « Nisi quis renatus » fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in reg- » num Dei. » Unde sic arguitur : qui regni cœlorum sunt capaces, ii quoque capaces sunt Baptismi, sine quo ad regnum cœlorum pervenire non possunt; atqui infantes regni cœlorum capaces sunt, ut constat verbis Christi, apud Matth. (XIX, 14) dicentis : « Sinite parvulos venire ad me, et nolite eos » prohibere. »

Prob. 2. *Traditione.* S. Irenæus (*adv. Hær.*, lib. 2, c. 22, n. 4) ait : « Omnes venit per semetipsum salvare (Christus); omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum : *infantes*, et *parvulos*, et *pueros*, et juvenes, et seniores. » — Origenes, (in c. 6, ep. 2 *ad Rom.*) dicit : « Ecclesia traditionem ab apostolis suscepit, etiam *parvulis* dare Baptismum. » — S. Hieronymus (lib. 3 *contra Pelagium*, in fine) : « Etiam infantes in remissionem peccatorum baptizandos esse censemus. » — S. Aug. (serm. 14, *de verbis Apost.*, nunc 294, c. 18, vel n. 17) : « *Infans baptizatus* credit in altero, qui peccavit in altero... Hoc habet auctoritas matris Ecclesiæ, hoc fundatus veritatis obtinet canon. Ergo prodest Christus aliquis *infantibus baptizatis;* et sicut ego dico, et sicut mecum tota Ecclesia dicit. »

Confirmat praxis *perpetua Ecclesiæ*, de qua S. Augustinus (*de Gen. ad lit.*, l. 10, cap. 23, n. 39) hæc habebat : « Consuetudo matris Ecclesiæ, in baptizandis parvulis, nequaquam spernenda est, neque ullo modo superflua deputanda, nec omnino credenda, nisi apostolica esset traditio.

Prob. 3. *Rat. th.* Etenim Deus vult salutem omnium hominum, nemine excepto : atqui nemo sine Baptismate regnum cœlorum consequi potest, ut patebit ex mox dicendis; ergo omnes homines, ipsique infantes nondum rationis usum adepti, sunt Baptismatis suscipiendi capaces.

Et vero si infantes Baptismi incapaces essent, id proveniret vel ex parte Dei eos baptizare prohibentis, vel ex parte sacramenti, vel denique ex parte ipsorum infantium : porro nullum ex his dici potest. — Non 1um ; nedum enim existat prohibitio divina, contrarium ex Scriptura et traditione colligi demonstravimus. — Non 2um ; siquidem materia et forma eodem modo infanti ac adulto applicari possunt; aliunde sacramentum, quantum est de se, *ex opere operato* effectum producit. — Nec 3um ; namque nihil impedit quominus infantes, etsi consensus actualis incapaces sint, sine ulla dispositione actuali, habitualiter convertantur ad Deum, a quo nonnisi habitualiter per peccatum originale aversi existunt. Unde, si in adultis baptizandis requiratur dispositio, illud est tum quia ob eorum pec-

cata actualia sese actualiter a Deo averterunt; tum quia Deus, se creaturis et harum naturæ atque exigentiæ accommodans, ita ut cum causis necessariis necessario, cum liberis libere agat, adultos ratione ac libero arbitrio pollentes sine horum consensu in amicitiam suam non recipit. Præterea, si infantes sine actu proprio per Adamum damnati sunt, cur non possent etiam sine actu proprio per Christum salvari?

Nec oqjiciantur illa verba Christi (*Matth.*, XXVIII, 19) : « *Do-* » *cete* omnes gentes, baptizantes eos... » et (*Marc.*, cap. ult., 16) : « *Qui crediderit* et baptizatus fuerit salvus erit, » quia tota Traditio de adultis, non vero de infantibus, illa intellexit. Insuper in ipsis adultis fides non requiritur ad validitatem. — Cæterum hic defectus fidei præsentis suppletur actuali fide parentum, sponsorum et Ecclesiæ. Quinimo congruum est ut, qui solum peccatum originale ex aliena voluntate contraxerunt, per voluntatem alienam remedium accipiant, juxta illud S. Augustini (serm. 14, *de verbis Apost.*, nunc 294; c. 11, vel n. 12) : « Ad verba aliena salvatur, quia ad factum alienum vulneratur. » Alibi idem Doctor ait : Statis pie recteque credimus prodesse parvulo eorum fidem, a quibus consecrandus offertur. » Eamdem tradit doctrinam conc. Trid. (sess. 7, can. 13 : « Si quis dixerit... præstare omitti eorum (parvulorum) Baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ; anathema sit. »

46. Assertio 2ª : *Parvuli baptizati, cum adoleverint, mandata Dei et Ecclesiæ observare tenentur, quin sint interrogandi an ratas habeant promissiones eorum nomine factas in Baptismo.*

Est de fide; Conc. Trid. (sess. 7, can. 14) ait : « Si quis dixerit parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse an ratum habere velint quod patrini eorum nomine polliciti sunt; et ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos; nec alia interim pœna ad christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistiæ aliorumque sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant, anathema sit. »

Prob. 1. *Script. sacra.* Etenim B. Paulus (*Gal.*, III, 27) ait : « Quicumque in Christo baptizati estis, *Christum induistis.* »

Porro qui Christum induerunt tenentur ipsius imaginem referre, nempe mandata ejus observare et exempla imitari, proindeque obligationes ex baptismo ortas adimplere. Ergo. — Præterea per baptismuum ita Christo incorporamur ut *corpus Christi et membra de membro*, vel etiam *membra corporis ejus, de carne ejus, de ossibus ejus* (I *Cor.*, XII, 27; *Eph.*, V, 30) efficiamur, seu quod idem est, in Ecclesiam, quæ est corpus Christi mysticum, cooptamur : atqui nemo in aliquam societatem admittitur, quin ipso jure naturali leges societatis, cujus membrum efficitur, observare teneatur. Ergo.

PROB. 2. *Praxi Ecclesiæ*, quæ a primis sæculis infantes baptizavit, nec tamen ullibi legitur interrogatos fuisse infantes an ratas haberent promissiones eorum nomine factas ; quinimo illos suis legibus obligatos credidit, et ad earum observationem ecclesiasticis pœnis coegit. Ergo.

PROB. 3. *Rat. th.* Nam si illi pueri baptizati, cum adoleverint, essent interrogandi an ratas habeant Baptismi promissiones, id foret vel quia eis dari non potuisset Baptismus sine injuria in posterum reparanda, vel quia, etiamsi nulla eis irrogata fuerit injuria, jus electionis ipsis competit : porro neutrum dici potest. Non 1um; nam, nedum in collatione Baptismi pueris irrogetur injuria, e contra ingens beneficium eis conceditur, cum Baptismus ipsos ab æterna morte et a teterrima diaboli servitute liberet, ipsisque bona conferat propemodnm infinita; — non 2um; eo enim instanti, quo Baptismi naturam, excellentiam et necessitatem agnoscunt, parvuli, cum adoleverint, jure naturali et divino tenentur illum postulare, si jam non susceperint, et illius obligationes adimplere, si hujus sacramenti beneficium habuerint; ergo nullum electionis jus illis parvulis competit; ergo.

47. Quæritur 1. *Utrum infantes baptizare expediat?*

RESP. Quidam veteres, inter quos Tertullianus et S. Gregorius Nazianzenus, agnoscentes validum esse puerorum Baptisma, nolebant tamen illud conferri ante adultam ætatem, tum ut sponsores periculo se non exponerent, ne infantes promissiones eorum nomine factas irritas facerent; tum ut pueri sacramentum cum majori fructu et reverentia acci-

perent, tum ut gratias quas consequuntur et obligationes quas contrahunt plene agnoscerent. At usus contrarius invaluit, et merito quidem, ut constat

1. *Conc. Trid.* quod (sess. 7, can. 13) ait : « Si quis dixerit... præstare omitti eorum (parvulorum) Baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ : anathema sit. »

2. *Praxi universali Ecclesiæ;* quod enim universa Ecclesia servat, semperque servavit in his quæ ad animarum salutem spectant, non solum licitum est, cum errare non possit in moribus, verum etiam valde expediens. Imo etiamsi solum humanam auctoritatem spectemus, incredibile est deceptos fuisse in re adeo gravi tot sanctos et sapientissimos viros, qui in omni ætate et loco hujusmodi consuetudinem fidelium utilitati maxime opportunam semper judicarunt. Jam vero quod universa Ecclesia ita sentiat et senserit, ex ipso usu et ex veterum testimoniis satis patet.

3. *Rat. th.* Multiplici ex causa satius est conferre Baptismum parvulis, scilicet : — 1. *Ob damnationis periculum*, cui propter inopinatos casus obnoxii forent pueri, quorum Baptismus ad adultam ætatem remitteretur. — 2. *Ob utilitatem parvulorum*, quia citius a servitute dæmonis liberantur, et quia, mediante Spiritus S. gratia, fidei ac pietati facilius assuescunt et firmius adhærent. — 3. *Ob tentationem dilationis indefinitæ*, quia, si Ecclesia ante adultam ætatem ad Baptismum neminem vocaret, quot ipsum aut omnino recusarent, aut usque ac senectutem differrent, quo liberior esset cupiditatibus indulgendi facultas!

Nec objiciatur *periculum*, cui sponsores se exponunt, ut vult Tertullianus; sponsores enim id præstabunt, quod commode poterunt; si vero ipsi deficiant, ad pastores Ecclesiæ pertinebit instruere infantes, aut de aliquo providere, qui hoc munus suscipiat. — Vel *major puerorum utilitas*, si cum adoleverint, baptizentur. Nam, quamvis negari non possit, cæteris paribus, perfectiorem esse modum sanctificationis per proprium consensum propriamque dispositionem, tamen, ob alias causas majoris momenti, melius est illos sanctificari

modo ætati suæ accommodato, cum præsertim sacramenti effectui obicem ponere non possint.

48. Quæritur 2. *Utrum præceptum sit infantes baptizare?*

Resp. 1. Si necessitas urgeat, ita ut infans sit in probabili mortis periculo, certum est hoc esse in præcepto, — tum ex lege generali caritatis, qua tenemur subvenire proximo, in necessitate præsertim spirituali constituto, — tum ex lege pietatis, qua parentes filiis providere tenentur, — tum etiam ex lege justitiæ pastores Ecclesiæ obligante.

Resp. 2. Extra mortis periculum, nullum quidem exstat præceptum divinum, quod obliget ad hos infantes christianorum ante usum rationis baptizandos; attamen, ob praxim generalem Ecclesiæ et expositas superius rationes, conveniunt omnes necessarium esse jure ecclesiastico infantes baptizare ante usum rationis, imo illicitum esse diu procrastinare puerorum Baptisma.

Quænam autem dilatio sit graviter notabilis, disputant auctores : alii quindecim, viginti et etiam triginta dies requirunt; alii e contra judicant unum et alterum diem sine causa sufficere; alii mediam sententiam tenentes, putant ad mortale peccatum requiri dilationem decem aut undecim dierum (S. Lig., lib. 6, n. 118).

In variis diœcesibus hac de re ordinarie existunt statuta quibus standum est. Imo præscribunt plura ritualia parentibus, qui ab Ecclesia remoti commorantur, secum aquam cum puero asportare, ut infantem baptizare queant, si aliquod grave periculum inopinanter suboriretur.

§ II. An pueros infidelium, invitis parentibus, baptizare liceat?

49. Prænotanda. — 1. Filii infidelium adulti qui Baptismum postulant licite possunt baptizari, invitis parentibus; nam in iis quæ sunt juris naturalis et divini, parentibus obedientiam præstare non tenentur, et cum apostolis respondere debent : « Obedire oportet Deo magis quam hominibus » (*Act.*, v, 29).

2. Si alteruter parentum ad fidem conversus in Baptismum prolis consentiat, altero repugnante, potest baptizari proles; quia prævalere debet consensus ille qui cedit in favorem reli-

gionis et in utilitatem pueri. Si autem, ob legem civilem, puer cum parte infideli habitare deberet, de eo ratiocinandum videtur, velut infra de parvulo, invitis parentibus, baptizando.

3. Parvulus, invitis parentibus, baptizari etiam potest in casibus sequentibus : — 1. *In periculo mortis;* nam puer ille in extrema versatur salutis necessitate, nec aliqua parentibus irrogatur injuria; illis quippe non subtrahitur puer, nec jus habent ad impediendum ejus Baptisma. Demum nulla probabilius timenda est sacramenti profanatio in futura apostasia, propter mortem imminentem. Talis est praxis universalis missionariorum quam approbat ac laudat Benedictus XIV (n. 8). — 2. *In casu servitutis parentum.* Juxta heri jura ubique gentium recepta, mancipiorum seu servorum filii non ad ipsos parentes, sed ad dominum pertinent; ergo, si consentiat dominus, baptizari queunt servorum filii ; ipse autem dominus invigilabit, ne filii a parentibus a vera fide postea avertantur. — 3. *In casu separationis a parentibus*, quando scilicet jure aut ob injuriam e manibus parentum infidelium sunt avulsi pueri, et sic ab iis distant ut nullatenus eorum curæ ac documentis subjaceant. Parentes quippe in eo casu nulla lege possunt filiorum suorum Baptisma impedire quia jus tantum habent ne ab illis avellantur. — 4. *In casu apostasiæ parentum*, qui religionem christianam professi ab ea desciverunt, et facti sunt apostatæ. Ratio est quia parentes isti, Baptismum suscipiendo, sese legibus Ecclesiæ subjecerunt, spoponderunt se religionem christianam professuros, sicque suis filiis salutem æternam procuraturos. Attamen, in hoc casu, non semper illis invitis baptizandi sunt eorum infantes, ob quasdam e rationibus in assertione sequenti exponendis.

His positis, olim valde agitatum fuit inter theologos an in aliis casibus liceret parvulos baptizare, invitis eorum parentibus; affirmabant Scotistæ; negabant, duce Magistro, Thomistæ, quorum opinio prævaluit; itaque sit sequens

50. Assertio : *Non licet, invitis parentibus, infidelium infantes baptizare.*

Prob. 1. *Auctoritate* Bened. XIV, qui (in decretali *de Bapt. Judæorum*) postquam dixerit, prævaluisse in ecclesiasticis tri-

bunalibus sententiam quam propugnamus, et nonnullas sacrarum Romanarum Congreg. resolutiones commemoraverit, ita prosequitur (n. 31) : « In quibusdam præfatis resolutionibus innuitur eum, qui Hæbreorum filios sine parentum consensu Baptismo lustrare ausus fuerit, exceptis iis casibus in quibus hoc liceat, eum, inquam, *pœna mulctandum esse*. Ut autem primæ parti hujus nostræ instructionis extrema manus accedat, nihil aliud restat quam *prædictarum resolutionum judicium confirmare*, et *quidquid in eis continetur, nostra quoque sententia stabilire*. Baptizantis mentem esse sanctam, rectamque non dubitamus; *modus autem omnino illicitus habendus est*.

Prob. 2. *Praxi Ecclesiæ*, ex qua jam S. Thomas argumentum in favorem suæ sententiæ depromebat; ait enim (2-2. q. 10, art. 12) sanctus Doctor : « Maximam habet auctoritatem Ecclesiæ consuetudo, quæ semper est in omnibus æmulanda; quia et ipsa doctrina catholicorum doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet. Unde magis standum est auctoritati Ecclesiæ quam auctoritati vel Augustini, vel Hieronymi, vel cujuscumque doctoris. *Hoc autem Ecclesiæ usus nunquam habuit quod Judæorum filii, invitis parentibus, baptizarentur*. Idem docet (3. p. q. 68, art. 10).

Prob. 3. *Ratione*; si enim infidelium pueri, invitis parentibus, baptizarentur, vel post Baptismum in parentum infidelium potestate relinqueretur, vel a paterna potestate subtraherentur : atqui neutrum licet.

Non *primum*, ob manifestum profanationis periculum; valde enim timendum est ne puer ab infidelibus parentibus educatus, paternis imbuatur præjudiciis, pravis instituatur moribus, impuris initietur ritibus, et grandior factus susceptam sacramenti gratiam polluat.

Nec *secundum*, quia ex jure naturali patri competi infantium cura : porro huic juri non derogat lex divina, nec lex ecclesiastica, nec extrema necessitas. — 1. Non *jus divinum*; nullibi quippe aliquid simile legitur; nam hæc verba : *Docete omnes gentes, baptizantes eos*, ob suam generalitatem intelligi debent cum hac restrictione : salvo jure alieno, uti semper illa intellexit Ecclesia. — 2. Non *jus ecclesiasticum*; nam Ecclesia

nihil potest in iis qui foris sunt : porro hujusmodi infantium parentes sunt extra Ecclesiam. Insuper ipsa haud semel declaravit hujusmodi infantes non esse a parentibus avellendos, nec ideo baptizandos.— 3. Non *extrema infantium istorum necessitas*; etenim infantes illi non sunt in extrema necessitate; probabile est illos ad maturam ætatem esse perventuros, tuncque, si gratiis Dei bene utantur, difficilis quidem, sed non impossibilis erit eorum salus; ergo non licet tales infantes baptizare, illosque statim a potestate paterna subripere. Ergo non licet infidelium infantes, invitis parentibus, baptizare.

Ex his patet illicitum esse baptizare hujusmodi infantes, etiam a parentibus ultro oblatos, si post Baptismum in parentum infidelium potestate relinquendi sunt. Huc enim recurrunt rationes in assertionis probationem allatæ. Cæterum illud expressis verbis pluries declaravit Cong. S. Officii.

§ III. An et quatenus Baptismus iterari non debeat?

51. — I. Contra Marcionitas qui ter hominem baptizabant, semel quidem in infantia, iterum atque tertio in adulta ætate, si ab innocentia per peccatum excidisset, et Anabaptistas qui rebaptizabant eos qui in infantia baptizati fuerant, imo eos qui post susceptum Baptismum a fide defecerant, *de fide* est Baptismum *rite collatum iterari non posse*.

Concilium enim Trident. (can. 2 *de Baptismo*) ait : « Si quis dixerit verum et rite collatum Baptismum *iterandum esse* illi qui apud infideles fidem Christi negaverit, cum ad pœnitentiam convertitur : anathema sit. » Quod quidem probari potest

1. *Scrip. S.* (*Hebr.*, VI, 4) : « Impossibile est eos, qui semel » sunt illuminati... et prolapsi sunt, *rursus renovari* ad pœni- » tentiam : » atqui hæc verba intelligi nequeunt de pœnitentia sacramentali, quæ, fatentibus omnibus, iterabilis est; ergo de Baptismo, quemadodum SS. Ambrosius, Augustinus et alii contra paucos intellexerunt.

2. *Traditione*, scilicet — tum unanimi Patrum consensu; — tum constanti et perpetua consuetudine, quam ideo ab apostolis acceptam merito dixerimus; — tum ex iteratis Ecclesiæ definitionibus.

3. *Rat. theol.* Baptismus characterem imprimit qui est indelebilis, et cum quadam consecratione datur : atqui aliæ consecrationes non iterantur in Ecclesia; sic, v. g. calices et alia vasa sacra nonnisi semel consecrantur. Ergo nec Baptismus. — Et vero Baptismus principaliter datur contra peccatum originale : atqui peccatum originale non iteratur; ergo nec Baptismus.

52. — II. *In vero tamen dubio, sive juris, sive facti, an aliquis sit baptizatus, debet Baptismus, non quidem iterari, sed conferri sub conditione.*

Datur dubium *juris*, quando dubitatur an materia vel forma adhibita sit legitima, vel rite applicata. Existit autem dubium *facti*, si dubitatur an de facto sit collatus Baptismus. — Quo posito, constat solutio

1. *Auctoritate.* S. Leo (epist. 92, alias 2, *ad Rusticum*, cap. 16) : « Si *nulla existant indicia*.., quibus hi, de quibus quæritur, baptizati fuisse doceantur, agendum est ut *renascantur*. » — Gregorius II scribit (epist. 13 *ad Bonifac.*, n. 9) : « Parvulis qui a parentibus subtracti sunt, et an baptizati sint ignorant, hos ut *baptizare debeas* secundum Patrum traditionem, si non fuerit qui testificetur, ratio poscit. » Ita theologi omnes.

2. *Rat. theol.* Nam in hoc casu subvenitur proximo in re maxime necessaria, ideoque ratio adest cur exponatur sacramentum nullitatis periculo. Cæterum sacramenta propter homines fuerunt instituta.

Dicitur — 1. *In vero dubio*, quia ut notatum est in Tract. *de Sacramentis*, grave dubium requiritur, nec sufficit levis suspicio, ut asserit Innocentius III (cap. *Veniens, de presbytero non baptizato*, in fine). Idem testatur Benedictus XIV (Inst. 84, et *de Syn.*, lib. 7, c. 6, n. 3).

Dicitur 2. *Sub conditione conferri debet Baptismus*; hæc quippe conditio validitati Baptismatis non officit, et reverentiæ sacramento debitæ providet. Vide Tract. *de Sacramentis*, n. 56.

53. — III. Ex his apparet quænam agendi ratio tenenda sit :

1. *Quoad infantes expositos.* Infantes expositi *sine ulla Baptismatis schedula*, baptizandi sunt; ita omnes. « Infantes expositi, et inventi, inquit Rituale Romanum, si, re diligenter investigata, de eorum Baptismo non constat, sub conditione baptizentur. »

Infantes vero reperti *cum scheda attestante illos baptizatos fuisse*, majorem præbent difficultatem; at theologi hodie unanimi fere ore docent hos pueros baptizandos esse, quia, inquit Billuart, quamvis inter catholicos reperiatur ille infans, non constat tamen a quo illa schedula fuerit scripta, an a viro judæo, impio, ab athæo; etsi qui scripsit sit vir catholicus, probus et sincerus, qui nollet fallere in re tam gravi, nihil forte scripsit quam quod audivit ab aliqua fœmina aut laico, qui vel ex turbatione aut ignorantia potuit aliquid essentiale omittere. Et ideo statutum est in synodis Cameracensi, Narbonensi, Aquensi, Tolosana et Mediolanensi sub S. Carolo, hos esse sub conditione baptizandos. Benedictus XIV (*de Syn. diœc.*, lib. 7, c. 6, n. 5), affert declarationem S. Congregationis concilii idem statuentis, die 16 januar. 1724.

2. *Quoad hæreticos ad fidem conversos.* Fatentur omnes validum esse Baptismum ab hæreticis rite collatum; sola igitur expendenda quæstio est an rite datum fuerit Baptisma. Porro asserunt auctores Baptismum ab Anglis, Lutheranis et Calvinianis collatum habendum esse ut valde dubium, quia hæretici illi necessitatem Baptismi negantes pro filiis fidelium, minus sollicite curant ut essentialia omnia adhibeantur, v. g. aqua rosacea honoris causa utuntur, verba sæpe sæpius adulterant, unus infundit aquam et alter formæ verba pronuntiat, vestes et non carnem abluunt, vel formam ac materiam simul non usurpant. Ab hæreticis proinde collatus Baptismus, sub conditione iterandus est, si, inquisitione facta, de ejus validitate dubitetur. Inconsulto episcopo nihil tamen fiat.

Notandum vero est quod adultus, sic sub conditione baptizatus, debet, suscepto Baptismate, confiteri peccata post primum Baptismum commissa; ut, si forsan valuerit Baptismus prior, peccata post ipsum commissa, quæ per posteriorem utpote invalidum ablui non possunt, per pœnitentiam dimittantur.

3. *Quoad infantes ab obstetrice vel a laïco baptizatos.*

1. Si obstetrix sola testimonium perhibeat de validitate Baptismi, *generatim loquendo* est iterandus : nam plures quæ bona fide se crediderant Baptismi conferendi capaces, eumque hic et nunc a se rite collatum fuisse jurejurando confirmarant, tandem confessæ sunt, se verba pronuntiasse dum mulier alia aquam effunderet. — Insuper, licet haud satis sciant bene an male baptizaverint, eo quod ob periculum matris vix sui compotes forent, non verentur tamen dictitare se animo fuisse præsenti, ne pro imperitis habeantur, et deinceps vel excludantur ab officio, vel illud exerceant erga pauciores. — Accedit etiam hodie fidei imminutio; quam ob causam nonnulla concilia provincialia jubent Baptismum ab obstetricibus collatum *communiter* iterari.

Dicitur *generatim loquendo;* nam Bened. XIV (*de Syn.*, lib. 7, c. 6, n. 4) judicat improbandas esse synodos, in quibus indistincte iterum sub conditione baptizari jubentur quicumque privatim fuere ab obstetricibus domi baptizati, quia sancti canones sufficienter probatam habent collationem Baptismatis per unicum testem, præcipue si affirmet illud fuisse a se legitime administratum, nec quidquam in contrarium occurrat, quod illius testimonio fidem detrahat. Itaque juxta Bened. XIV, sedulo examinandæ sunt et interrogandæ obstetrices, et si idoneæ reperiantur ac probæ, atque, omnibus, quæ peracta sunt, accuratissime pensatis, penitus constet rite rem fuisse adimpletam, non sunt rebaptizandi infantes quorum Baptismi validitatem testificantur.

2. Si vero plures sint testes fide dignissimi, qui Baptismum fuisse rite administratum firma mente affirment, iterandum non est sacramentum, ut fatentur omnes.

Sacerdos itaque sedulum examen instituere debet, ut perfecte dignoscat quomodo collatus fuerit Baptismus; si post illud examen in illius mente aliquod rationabile dubium oriatur circa hujusmodi Baptismi validitatem, sacramentum istud iteret, aut saltem episcopum consulat. Vide Tract. *de Sacramentis in genere.*

ARTICULUS II.

Quænam sit necessitas Baptismum suscipiendi?

54. Status quæstionis. Duplici ratione aliquid potest esse necessarium, vel necessitate *medii*, vel necessitate *præcepti*.

Illud est necessarium necessitate *medii* quod ordinatur ut medium necessarium ad justificationem consequendam, nec proinde etiam inculpabiliter omitti potest sine dispendio salutis. Illud vero est necessarium necessitate tantum *præcepti*, quod a Deo faciendum imperatur, quin habeat rationem medii ad justificationem obtinendam, ideoque saluti non obstat, si inculpabiliter omittitur. Unde patet necessitatem medii etiam præcepti necessitatem importare, quia quisque tenetur saluti suæ providere, sed non vice versa.

Dupliciter iterum potest aliquid necessarium esse necessitate *medii*, scilicet, *absolute*, vel *intrinsece*, si ex natura sua ordinetur ut medium necessarium ad justificationem adipiscendam, nec ideo unquam suppleri possit, v. g. fides in adulto nondum baptizato; — *relative*, aut *extrinsece*, si, ex libera Dei institutione, ad justificationem requiratur, ac proinde per aliud, quod tamen votum ejus includat, suppleri valeat : v, g. sacramentum pœnitentiæ, quantumvis necessarium sit iis qui post Baptismum in peccatum mortale lapsi sunt, suppleri potest per contritionem perfectam, in qua votum ejus includitur.

Jam vero dogma catholicum est omnibus infantibus æque ac adultis, Baptismum esse necessarium necessitate medii, et insuper necessarium necessitate præcepti adultis quibus innotescit Evangelium. At Catholici etiam docent Baptismum, quamvis omnibus necessarius sit necessitate medii, duplici modo suppleri posse, nempe per contritionem aut caritatem perfectam cum voto Baptismi suscipiendi, et per martyrium, seu mortem pro Christo toleratam. Hinc tria baptismata distinguunt, scilicet : — Baptismum *fluminis* seu aquæ, quod ex Christi institutione aquæ ablutione efficitur, et primum est sacramentum Novæ Legis; — Baptismum *flaminis* seu *desiderii*, quo nomine exprimitur illa contritio aut perfecta cari-

tas, quæ, movente Spiritus sancti flatu, in animo concepta, virtualiter saltem baptismi fluminis desiderium continet : — Baptismum *sanguinis*, seu *martyrium*, a sanguine ordinarie effuso in morte pro Christo perpessa ita nuncupatum, juxta hæc verba Christi propriam mortem prænuntiantis (*Marc.*, 10, 38) : « Potestis... baptismo, quo ego baptizor, baptizari ? »

Sedulo tamen notandum est non ita distingui tria baptismata quasi essent tria sacramenta : solus enim fluminis seu aquæ Baptismus rationem habet veri sacramenti; sed ideo caritas et martyrium baptismatis nomine donantur, quia ex Dei misericordia ad Baptismum sacramentalem ordinem dicunt, illiusque vices gerunt quoad primam gratiam conferendam. Inconcussa igitur manent verba Apostoli dicentis : « Unus Dominus, » una fides, *unum Baptisma* » (Eph., 4, 5), et hæc symboli Nicæni : « *Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum.* »

Quibus prænotatis, expendemus : — 1° An et qua ratione Baptismus aquæ sit necessarius; — 2° An et quatenus baptismus flaminis Baptismi, sacramentum suppleat; — 3° An et quatenus ejusdem vices gerat martyrium, seu baptismus sanguinis.

§ I. An et qua ratione Baptismus aquæ sit necessarius?

55. Errores. 1. Necessitatem Baptismi omnino negaverunt : — Pelagiani, qui, peccatum originale negantes, asserebant Baptismum nec esse necessarium ad salutem, nec ad vitam æternam consequendam, sed duntaxat ad ingressum regni cœlestis, quod a vita æterna distinguebant; — Waldenses et Wiclefitæ; — Calviniani, qui Baptismum quidem necessitate præcepti necessarium esse asserebant, sed medii necessitatem inficiabantur;— Sociniani, qui, cum Baptismum habeant ut merum symbolum, quo fideles ab infidelibus discernuntur, ejus necessitatem prorsus e medio tollunt.

2. Hanc vero necessitatem aliquatenus labefactaverunt : — Gerson, Gabriel et alii nonnulli, quibus visum est infantes vitæ sine suscepto Baptismo ereptos, *interdum* misericordia Dei specialique dispensatione salvari; — Cajetanus, qui docuit parvulos, si per Baptismum eis subveniri non possit, non jam

ex privilegio Dei singulari, sed ex tacita legi Baptismi apposita conditione seu exceptione, salvari posse per fidem parentum eis signo externo applicatam.

56. Assertio : *Excepto casu martyrii, Baptismus aquæ est omnibus ad salutem necessarius necessitate medii : adultis quidem in re, vel in voto ; infantibus vero in re.*

Est de fide quoad adultos et etiam quoad infantes, *de lege Dei ordinaria*. Concilium enim Trid. (sess. 7, can. 5, *de Bapt.*) ait : « Si quis dixerit Baptismum *liberum* esse, hoc est, non necessarium ad salutem : anathema sit. » — (Sess. 7, can. 4, *de Sacr.*) : « Si quis dixerit, sacramenta novæ Legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua : et *sine eis, aut eorum voto*, per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint : anathema sit. » — Et (sess. 6, cap. 4) dixerat : « Quæ quidem translatio (a peccato ad justitiam) post evangelium promulgatum, *sine lavacro regenerationis, aut ejus voto* fieri non potest. » Porro hæc saltem de adultis intelligenda esse evidens est.

Quoad parvulos autem hoc expresse habet concilium Tridentinum (sess. 5, can. 4) : « Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint a baptizatis parentibus orti, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adamo trahere originalis peccati, quod *regenerationis lavacro necesse sit expiari* ad vitam æternam consequendam : anathema sit. »

Cujus quidem decreti rationem tradit sacrosancta synodus, subdens : « Quoniam non aliter intelligendum est id quod dixit Apostolus : « Per unum hominem peccatum intravit in » hunc mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes ho- » mines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt, » nisi quemadmodum Ecclesia Catholica ubique diffusa intellexit ; propter hanc enim regulam, ex traditione Apostolorum, etiam parvuli qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur quod generatione contraxerunt : « Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, etc. »

Ex his manifeste videtur, illæsa fide, negari non posse Baptismum in re susceptum infantibus necessarium esse saltem de lege Dei ordinaria. Imo cum concilium Tridentinum absolute et sine exceptione loquatur, argumentumque sumat ex regenerationis necessitate quæ omnibus ex Adamo natis incumbit, vix sine aliquo veritatis catholicæ detrimento jam asseri potest infantes, sive ex speciali Dei providentia, sive ex apposita legi Baptismi exceptione, unquam regenerari posse.

His præfinitis, assertio

PROB. 1. *Scrip. S.* (*Joan.*, III, 5) : « Nisi quis renatus fuerit » ex aqua et Spiritu S., non potest introire in regnum Dei : » porro in hoc textu agitur : — 1. *De Baptismo*, cum sermo sit de nativitate spirituali per aquam conferenda ; quæ profecto aliter ac de Baptismo intelligi nequeunt. Ita insuper illum textum intellexere Patres omnes, imo et ipsi Pelagiani quorum valde intererat illa verba ad alium sensum detorquere. — 2. De Baptismo, *quatenus est medium ad justificationem et salutem consequendam*, siquidem expresse Christus asserit nonnisi per eum fieri posse regenerationem, quæ januam cœli aperit. — 3. De Baptismo necessario *omnibus, etiam infantibus*. Textus enim omnino generalis est, nec ulla adest ratio cur in sensu genuino non intelligatur. Ergo Baptismus necessarius est omnibus necessitate medii. Jam vero infantes Baptismum tantum *in re* suscipere queunt ; adulti autem contritionis aut caritatis actum elicere non possunt, quin medio ordinario justificationis a Christo instituto se submittere velint. Ergo Baptismus necessarius est adultis in re vel in voto, infantibus vero in re.

PROB. 2. *Traditione*. S. Augustinus (lib. 3, *de Origine animæ*, cap. 9, n. 12) dicit : « Noli credere, nec dicere, nec docere infantes, antequam baptizentur morte præventos, posse pervenire ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse catholicus. » — S. Cyrillus Hierosolymitanus (*Catech.* 5, n. 10) ait : « Si quis non baptizatur salutem non habet, solis martyribus exceptis, qui etiam sine aqua regno cœlesti potiuntur. » — S. Fulgentius (lib. *de Fide, ad Petrum*, cap. 27) : « Firmis-

sime tene, et nullatenus dubites, non solum homines jam ratione utentes, verum etiam parvulos, qui... sine sacramento sancti Baptismatis... de hoc sæculo transeunt, ignis æterni sempiterno supplicio puniendos. »

Consonat praxis *Ecclesiæ;* constat enim in Ecclesia semper omni modo sollicitos fuisse, sive parentes, sive parochos ipsos, ut infantibus, iis præsertim quibus mors instaret, Baptisma quamprimum conferretur, secundum id S. Augustini (epist. 100, alias 28, *ad Hieron.*, c. 7, n. 21) : « Cur baptizandis pueris festinatur et curritur, quia sine dubio creditur aliter eos in Christo vivificari omnino non posse. »

Prob. 3. *Ratione.* Nam, ut ait D. Thomas (3, q. 68, art. 4), « nullus potest salutem consequi nisi per Christum. » Unde et Apostolus dicit (*Rom.*, v) : « Sicut per unius delictum in » omnes homines in condemnationem, sic et per unius justi- » tiam in omnes homines in justificationem vitæ : » ad hoc autem datur Baptismus, ut aliquis per ipsum regeneratus, incorporetur Christo, factus membrum ipsius : unde dicitur (*Gal.*, III) : « Quicumque in Christo baptizati estis, Christum » induistis; » unde manifestum est quod omnes ad Baptismum tenentur, et sine eo non potest esse salus hominibus. »

Nec dicatur ex his verbis Christi (*Joan.*, III, 5) : « Nisi » quis renatus fuerit... » non magis inferri posse absolutam Baptismi necessitatem quam ex istis (*Joan.*, VI, 53) : « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis... non habebitis » vitam in vobis, » inferri potest absoluta Eucharistiæ necessitas. — Neganda est enim paritas, ut patet — 1. *ex tenore verborum;* priora verba *nisi quis* ad omnes pertinent sine ulla exceptione; posteriora vero : *nisi manducaveritis*, utpote in secunda persona, ac consequenter ad eos qui Christum audiebant restricta, ad solos adultos diriguntur ac referuntur; — 2. *ex rei natura;* ad cœlum recipiendum omnino necessaria est regeneratio spiritualis, cum omnes peccati conscii nascamur et nihil pollutum in cœlos ingredi possit; dum Eucharistia per modum alimenti supponit vitam, et non confertur nisi ad vitam servandam; unde qui sua culpa Eucharistiam non sumerent, vitam amitterent; — 3. *ex traditione perpetua*,

quæ priora verba de omnibus hominibus, posteriora vero de solis adultis intellexit.

57. Corollarium. Ex assertione præcedenti concludendum est a fortiori, ut patet, Baptismum esse necessarium necessitate præcepti — sive *naturalis*, cum quilibet ex præcepto naturali caritatis erga seipsum teneatur adhibere media ad salutem necessaria; — sive *divini*, cum omne id, quod ex divina ordinatione est medium necessarium, etiam hoc ipso, si est in potestate nostra, ex præcepto divino sit necessarium : nihil enim magis a Deo imperari potest, quam illud sine quo justificationem salutemque nobis denegandam esse decrevit; sive etiam *ecclesiastici*, quod ex traditione praxique constanti Ecclesiæ colligitur.

Sed et ipse Christus præceptum dedit speciale de Baptismo ab omnibus suscipiendo. Apostolos enim ultimo alloquens eis expresse mandavit ut baptizarent omnes gentes (*Matth.*, XXVIII, 19) : « Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos; » porro obligationi baptizandi omnes apostolis impositæ, correlativa est obligatio Baptismum suscipiendi omnibus incumbens : ergo Baptismus necessarius est omnibus necessitate præcepti.

Quin etiam tenent auctores B. Virginem a lege Baptismi non fuisse immunem. Licet enim expers fuerit omnis culpæ tum actualis, tum originalis, imo præ omnibus simul angelis et beatis cœlestibus charismatibus a primo conceptionis instanti cumulata, nec proinde gratia prima indigens, ad quam ordinatur Baptismus, gratiæ tamen augmentum suscipere poterat atque charactere baptismali decorari, cujus præcellens natura eximiique effectus vix exprimi possunt. Non immerito igitur Christus voluit illam baptizari, ut magis sibi assimilaretur, et familiæ suæ adscripta membrumque Ecclesiæ constituta, perfectius christianorum mater Ecclesiæque Regina fieret.

58. Scholium. Argumenta quæ in assertione de Baptismi necessitate ad salutem adducta sunt, valent quidem non tantum ad debellandos hæreticos, sed etiam ad confutandam tum Gersonii, Gabrielis, et aliorum sententiam de providentia Dei

speciali erga infantes, tum Cajetani opinionem a lege Baptismi excipientem parvulos, quibus in extremo periculo parentes fidem suam externe applicant.

Attamen observandum ducimus hæreseos notam iis doctoribus non esse inurendam. Quamvis enim falsa sit utraque sententia, et iisdem argumentis confutetur, quibus necessitas ipsa Baptismi adstruitur, ab Ecclesia tamen *conceptis verbis ut hæretica* nunquam fuit damnata, sed tantum a congregatione theologorum in concilio Tridentino improbata est Cajetani opinio ut censura digna, et jussu Pii V ab operibus ejus expuncta.

Nec etiam damnata est, imo libere adhuc defendi potest plurium theologorum opinio, qui censuerunt sub lege Baptismi non cadere infideles negativos et eorum infantes, quia, cum eis non innotuerit evangelium, lex illa debita promulgatione caret (Cf. Perrone, *de Baptismo*).

De hac opinione unum adnotabimus, nempe parvi momenti esse controversiam, si practice spectetur. Vix enim ullum apud infideles negativos reperire esset, qui veritates necessarias necessitate medii retinuerit, et de aliquo remedio parvulis suis applicando etiam in necessitate extrema recordetur. Nullum hujusmodi remedium commemorant missionnarii, qui diuturno tempore inter illos infideles conversati sunt.

§ II. An et quatenus baptismus flaminis Baptismi sacramentum suppleat in adultis.

59. Baptismus flaminis, ut jam diximus, ipsa est caritas aut contritio caritate perfecta, quæ Spiritus sancti flatu concepta, virtualiter saltem Baptismi aquæ votum seu desiderium includit. Tota igitur quæstio est utrum et quatenus ad justificationem assequendam valeant perfectæ contritionis aut caritatis actus ab adulto supernaturalis gratiæ ope eliciti; quæ ut solvatur, sit sequens

60. Assertio : *Baptismus flaminis, seu caritas aut contritio perfecta, supplet in adultis vices Baptismi aquæ, quoad justificationem consequendam.*

Prob. 1. *Scrip. S.* (*Ps.* v, 19) : « Cor *contritum* et humilia-

» tum Deus non despicies. » — (*Ezech.*, XVIII, 21) : « Si impius » egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis... *vita vivet* et » non morietur. » — (*Ezech.*, XVIII, 30) : « Convertimini et » agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non » erit vobis *in ruinam* iniquitas. » — (*Joan.*, XIV, 21) : « Qui » diligit me, *diligetur* a Patre meo : et ego *diligam eum*.... et » *mansionem apud eum faciemus.* » Unde sic : Qui habet caritatem vel contritionem perfectam cum voto Baptismi, cujus susceptio impossibilis est, habet cor contritum et humiliatum, agit pœnitentiam, convertitur ad Deum, diligitque Dominum; ergo a Deo non despicietur, vita vivet et non morietur, non erit ei in ruinam iniquitas, diligetur a Deo, et Deus apud eum mansionem faciet : porro hæc omnino falsa essent, si in illo casu salus absque Baptismo aquæ obtineri non posset; ergo baptismo flaminis suppleri potest Baptismus aquæ.

PROB. 2. *Traditione,* nempe — 1. Ex SS. Patribus. S. Ambrosius (in *Oratione de obitu Valentiniani*, n. 53), sic loquitur de hoc imperatore non baptizato : « Quod si martyres suo abluuntur sanguine, et hunc sua *pietas abluit et voluntas.* » — S. Augustinus (lib. 4, *de Bapt.*, c. 22, vel n. 29) ait : « Invenio non tantum passionem pro nomine Christi id, quod ex Baptismo deerat, posse supplere, sed etiam *fidem contritionemque cordis*, si forte ad celebrandum mysterium Baptismi in angustiis temporum succurri non potest. » — S. Bernardus (epist. 77, c. 2, n. 8) ait : « Ab his duabus columnis (Augustinum loquor et Ambrosium), crede mihi, difficile avellor; cum his, inquam, me aut errare, aut sapere fateor, credens et ipse *sola fide* hominem posse *salvari* cum desiderio percipiendi sacramentum : si tamen pio adimplendo desiderio mors anticipans, seu alia quæcumque vis invincibilis obviaret. »

2. *Ex SS. Pontificibus.* Innocentius IV (c. 4, *de Baptismo et ejus effectu*) assertionem nostram aperte profitetur; et S. Pius V sequentem Baii damnavit propositionem, n. 31 ; « Caritas perfecta et sincera, quæ est ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta, *tam in catechumenis* quam in pœnitentibus, potest esse *sine remissione peccatorum.* »

3. EX. *Conc. Trid.* quod (sess. 6, c. 4) ait : « Sine lavacro re-

generationis, aut *ejus voto*, fieri non potest justificatio. » — (Sess. 7, can. 4) : « Si quis dixerit sacramenta novæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua ; et sine eis, aut *eorum voto*, per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci ; licet omnia singulis necessaria non sint : anathema sit. » Ergo sine Baptismo aquæ potest quandoque obtineri justificatio.

Prob. 3. *Ratione*. Deus enim potentiam suam sanctificandi non alligavit sacramentis visibilibus, nec voluit caritati perfectæ vim adimere, qua ante Christum pollebat. Præterea ille qui desiderat per Baptismum regenerari ex aqua et Spiritu Sancto, corde regeneratus est, licet non corpore : porro Deus intuetur cor hominis. Ergo (Cf. S. Thomas, 3, q. 68, art. 2).

Diximus, *quoad justificationem consequendam*. Nam baptismus flaminis non supplet Baptismum aquæ, nisi quatenus necessitate medii seu ad justificationem necessarius est. Quamprimum igitur ad Baptismum aquæ recurrendum est, ut obtineantur cæteri ejus effectus, nempe character et remissio totius pœnæ temporalis peccato debitæ, quam contritio caritate perfecta obtinere nequit, nisi summum gradum attigerit.

61. Quæritur *quale votum Baptismi aquæ includere debeat caritas aut contritio perfecta, ut illum quoad justificationem suppleat.*

Resp. 1. Si invincibiliter ignoratur Baptismus, sufficit illius votum implicitum. Sic, v. g., qui audita Evangelii prædicatione, de Baptismo tamen nihil audivisset, et fidem in Christum ex caritate perfecta formatam haberet, salvaretur. Ita communiter. — 2. Si habita fuit cognitio Baptismi, plures auctores simpliciter asserunt requiri votum explicitum Baptismi, quia, si sufficeret votum implicitum, inutilia viderentur verba concilii Tridentini *cum voto* sacramenti, nec videretur quomodo pariter non dicendum esset requiri votum adimplendi præcepta, quod tamen nullibi expostulatur, quamvis necessario adesse debeat ; alioquin salvari posset quis sine voto, saltem implicito, observandi præcepta, quod absurdum est.

Verum non videtur qua ratione damnatus putaretur catechumenus, qui morte subita correptus, actum caritatis perfectæ efficeret, de Baptismo minime cogitando. Dicendum est itaque Tridentinum concilium de voto Baptismi et pœnitentiæ mentionem fecisse; — tum quia gravius præcipitur, et inculpabilis ejus absentia difficile supponitur; — tum quia qui vult justificationem vult necessario media illam assequendi, scilicet Baptismi vel pœnitentiæ sacramenti susceptionem. At præceptorum adimpletio non est medium consequendæ justificationis, sed se habet tantum ut impediens peccatum. Unde, cum Christus stabilierit duplicem esse tantum viam ordinariam recuperandæ gratiæ, Baptismum scilicet et Pœnitentiam (excepto tamen martyrio), actus caritatis illa sacramenta supplere non potest, nisi ab iis aliquatenus dependeat, quod fit voto illorum etiam implicito. Nec aliud requirere videntur auctores citati ac votum explicitum prius habitum nec retractatum, proindeque in voto implicito moraliter perseverans.

§ III. An et quatenus baptismus sanguinis tam in infantibus quam in adultis Baptismum aquæ suppleat?

62. Martyrii notio. Baptismus sanguinis qui, ut diximus, est ipsum martyrium, seu testimonium Christo perhibitum, ut innuit hoc nomen, communiter definitur : *Mors inflicta in odium Christi et propter ipsum voluntarie tolerata* (Vide Benedict. XIV, *de Beat. et can. Sanct.*, lib. 5, c. 11, 12).

Dicitur 1. *Mors*, quia mors est de ratione martyrii; non tamen requiritur ut martyr in cruciatibus statim moriatur, sed sufficit ut in carcere inclusus vel in exilium missus, moriatur ex carceris vel exilii ærumnis. Ita S. Martinus Papa ut martyr habetur. Imo sufficit ut pœnam ex genere suo mortalem patiatur, quamvis a morte miraculo liberetur; sic S. Joannes ut martyr honoratur, ob tormenta ante portam Latinam perpessa.

Dicitur 2. *Inflicta;* quia necesse est ut interveniat persecutor; alioquin non dicerentur martyres nisi per similitudinem; ita quidam vocati sunt martyres obedientiæ claustralis, patientiæ, castitatis.

Dicitur 3. *In odium Christi.* Quæ verba exhibent causam martyrii *ex parte tyranni.* Hæc autem causa debet esse ex parte persecutoris odium vel in fidem, vel in opus bonum prout a fide Christi præscriptum est. Ita S. Thomas Cantuariensis ob defensa Ecclesiæ suæ jura, S. Joannes Nepomucenus ob sigillum confessionis, tot virgines ob resistentiam impuræ libidini, ut martyres honorantur. Nec obstaret, si persecutor alia afferret motiva, contenderetque se in odium religionis non agere.

Dicitur 4. *Propter ipsum tolerata*, id est, ob catholicam fidem, vel ob alicujus virtutis christianæ exercitium, ut indicetur causa martyrii *ex parte ipsiusmet martyris*, nempe unica et vera causa martyrii est fides credendorum vel agendorum, quia juxta celeberrimum S. Augustini effatum (Serm. 2, *in Psal.* XXXIV, n. 13) : *Martyres non facit pœna, sed causa.* Unde sequitur martyres esse qui mortem perferunt pro servanda aliqua virtute christiana, quia testimonium Christo perhibent, quatenus legem ejus et doctrinam ab eo de virtutibus traditam, suo obsignant sanguine.

Dicitur 5. *Voluntarie tolerata*; non enim sufficit omnis mors in odium Christi perpessa, sed necesse est ut voluntarie subeatur, id est, cum adhæsione voluntatis; attamen non requiritur libertas, id est, optio martyri data inter mortem et vitam cum apostasia. Hinc, ut docet Benedictus XIV contra quosdam (lib. 3, c. 16, n. 4, et seq.), martyr non esset qui dormiens in odium Christi occideretur, nisi antea martyrium exoptasset et formalem habuisset voluntatem illud subeundi, vel propter minas ipsi intentatas ab alicujus virtutis exercitio desistere noluisset. In infantibus hæc conditio non exigitur, quia in eis tantum attenditur martyrium, ut est pœna in odium Christi inflicta, seu aliquatenus opus operatum, dum in adultis spectatur, ut est actus heroicus fortitudinis et caritatis, ac proinde etiam opus operantis.

Ex quibus patet duo ad martyrii rationem requiri, *pœnam* scilicet et *causam.* Efficaciam autem ejus declarabunt sequentes assertiones.

63. Assertio 1ª : *Baptismus sanguinis, seu martyrium, sup-*

plet vices Baptismi aquæ in infantibus et adultis, quoad remissionem omnis culpæ et pœnæ.

Prob. 1. *Script. S.* (*Matth.*, x. 39) : « Qui *perdiderit* animam » suam propter me, *inveniet eam.* » — (*Matth.*, x. 32) : « Omnis qui *confitebitur* me coram hominibus, *confitebor et* » *ego eum* coram Patre me qui in cœlis est ; » atqui martyres, etiam infantes, perdunt animam suam propter Deum et confitentur Christum coram hominibus, non quidem ore, sed opere. Unde S. Augustinus hæc verba explanans et doctrinam Ecclesiæ tradens (*de civit. Dei*, l. 13, c. 7) dicit : « Quicumque, etiam non recepto regenerationis lavacro, pro Christi confessione moriuntur, tantum in eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur fonte Baptismatis. Qui enim dicit : *Nisi quis renatus fuerit...* non minus generaliter dixit : *Qui me confessus fuerit... qui perdiderit...*»

Prob. 2. *Auctoritate SS. Patrum.* Præter S. Augustinum mox citatum, sequentia afferri possunt testimonia : Tertullianus (*de Bapt.*, c. 16) : « Est nobis etiam *secundum lavacrum*, unum et ipsum *sanguinis* scilicet..., hic est *baptismus* qui lavacrum (nempe aquæ) et non acceptum repræsentat, et perditum reddit. » — S. Cyprianus (*Præfatione in librum de exhortatione martyrii*) : « In aquæ Baptismo accipitur peccatorum remissio ; *in sanguinis*, corona virtutum. » S. Cyrillus Hierosolymitanus(*Cathechesi* 3, n. 10) : « Si quis non baptizatur, salutem non habet, præter solos *martyres*, qui etiam *sine aqua* regno cœlesti potiuntur. »

Quod vero magis ad infantes attinet, S. Augustinus (lib. 3, *de Symbolo*, c. 4) loquens de SS. Innocentibus, ait : « Præstitit eis Christus ut pro Christo morerentur : præstitit ut *suo sanguine ab originali peccato diluerentur :* nati sunt ad mortem ; sed continuo eos mors reddidit vitæ. » — S. Leo (serm. 1, *de Epiphania*, c. 3) addit : « Quos rex impius exemit mundo, Christus *inserit cœlo* ; et quibus nondum sanguinis sui impendit redemptionem, jam martyrii tribuit dignitatem. »

Prob. 3. *Praxi Ecclesiæ.* Nam eos cultu publico prosequitur, qui, antequam baptizarentur, martyrium pro Christi nomine passi sunt : inter adultos citare est S. Emerentianam

virginem S. Agnetis sociam; inter infantes vero, præter SS. Innocentes, qui, ut ipsa canit Ecclesia, *Christum non loquendo, sed moriendo confessi sunt*, et primitiæ martyrum prædicantur, plures alii coluntur, v. g., B. Simon, sex menses natus, a Judæis sævissime trucidatus, qui multis postea coruscavit miraculis (Vide Breviarum Rom., die 23 januarii, et Martyrologium die 24 martii).

Confirmat *ratio* — tum quia martyrium est opus fortitudinis omnino arduum; — tum quia maximum est signum amoris erga Deum, et odii in peccatum; — tum demum quia per illud homo non in signo aliquo, sed re Christo configuratur; quod de ipsis infantibus verum est.

Diximus *quoad remissionem omnis culpæ et pœnæ*. Si enim per martyrium pœna non tolleretur, jam pro martyre esset orandum; posset enim in purgatorio detineri, sicut et alii justi innumeri : porro ex traditione et usu Ecclesiæ perpetuo, pro martyribus non est orandum. « Injuria est pro martyre orare, inquit S. Augustinus (serm. 17, *de Verbis apost.*), cujus nos debemus orationibus commendari : certavit enim contra peccatum usque ad sanguinem. » — Innocentius III ait pariter : « Injuriam facit martyri, qui orat pro martyre. » Ratio etiam suadet : martyrium enim hominem perfectius configurat Christo patienti quam Baptismus aquæ, et ideo non minorem habere debet efficaciam.

64. Assertio 2ª : *Martyrium, positis quibusdam conditionibus, tam in adultis quam in infantibus, per modum operis operati effectus suos sortitur.*

Assertio quantum ad parvulos nulli subjacet difficultati; hi enim, cum incapaces sint omnis meriti et dispositionis propriæ, per martyrium aliter justificari nequeunt.

Quoad vero adultos, nonnulli equidem contendunt martyrium non conferre justificationem vi propria, sed propter caritatem perfectam, quæ ipsi annexa est. Attamen theologi communius et probabilius sententiam, quam propugnamus, tenent. Et revera assertio nostra

Prob. 1. *Scriptura Sacra*. Textus enim supra citati non distinguunt inter parvulos et adultos; et ipse Augustinus eosdem

explanans asserere non dubitat, ut jam dictum fuit, *tantum valere* martyrium ad dimittenda peccata quam ipse Baptismus : atqui martyrium vim habet infantes ex propria virtute et efficacia justificandi; Baptisma autem non minus in adultis quam infantibus effectus suos *ex opere operato* producit. Ergo martyrii efficacia non ex caritate, quæ ipsi annectitur, sed *per modum operis operati* obtinetur etiam in adultis.

Prob. 2. *Ex SS. Patribus.* In præcedenti assertione jam adducta fuerunt plurima testimonia, quæ nunc etiam afferri possent; sed insuper S. Cyprianus (epist. 73, *ad Jub.*) ait : « Numquid potest vis Baptismi major esse aut potior quam *passio*, ut quis coram hominibus Christum confiteatur et sanguine suo baptizetur? » Unde sic : SS. Patres vim justificandi martyrio sicut Baptismo tribuunt : atqui si non justificaret per modum *operis operati*, sed ex opere operantis, non ipsi martyrio, sed contritioni et perfectæ caritati tribuenda esset. Ergo.

Prob. 3. *Praxi Ecclesiæ.* Ecclesia enim non orat pro martyribus; imo omnes, quos constat pro Christo occisos esse, inter sanctos annumerat et invocat, quin examinet an mortem ex affectu perfectæ caritatis acceptaverint : atqui, si martyrium ex perfecta contritione efficax esset, Ecclesia pro martyribus oraret, cum contritio perfecta non semper totam pœnam peccato debitam remittat, nec posset eos absque ullo examine inter sanctos annumerare et invocare; forsan enim quibusdam defuit contritio perfecta.

Prob. 4. *Ratione.* Etenim sedulo distinguunt theologi et Patres inter baptismum flaminis et sanguinis : atqui prorsus vana esset ac illusoria hæc distinctio, si martyrium *ex opere operantis* tantum justificaret : in adultis enim nonnisi per baptismum flaminis suppleretur Baptismus aquæ. — Præterea martyrium, ex probatis, non tantum ab omni culpa, sed etiam a tota pœna liberat : atqui, ut ait D. Thomas (In. 4, d. 4, q. 3, a. 3, q. 3), « non habet hoc tantum ex opere operantis; neque quantum ad pœnam, qua aliquis martyrium explet, quam contingit non esse sufficientem ad satisfaciendum pro peccato; neque quantum ad devotionem justæ voluntatis, qua contingit quod voluntate majori caritate informata aliquis sine mar-

tyrio non potest ab omni pœna liberari; sed hoc habet *ex imitatione passionis Christi.* » — Demum idem Angelicus (art. 12, seq.) dicit quod passio Christi operatur in baptismo flaminis per quamdam affectionem, in baptismo vero sanguinis *per imitationem* : aqui si baptismus sanguinis non justificaret *per modum operis operati*, sed ex opere operantis tantum, non aliter operaretur quam per piam affectionem. Ergo.

Dicitur 1. *Positis quibusdam conditionibus* : indubium enim est dispositiones quasdam in adultis requiri ad obtinendum martyrii effectum; quæ quidem consistunt :

1. In *acceptatione mortis* pro Christo, saltem habitualiter *voluntaria* ex motivo supernaturali, absque voluntate se defendendi, ut eruitur ex definitione martyrii.

2. In *pœnitentia*, quæ sit saltem attritio, includens detestationem omnium peccatorum et propositum servandi omnia mandata Dei, quia adultus justificari a proprio peccato non potest, nisi a creaturis se avertat et ad Deum convertatur; imo, *ex præcepto divino* tenetur homo qui est in peccato mortali, instante occasione pro Christo moriendi, præmittere, quantum in se est, actum contritionis perfectæ, quem tamen si involuntarie et inculpabiliter omittat, et sit attritus, per martyrium nihilominus justificabitur. Necessitas hujusce contritionis ex eo provenit, quod occasio martyrii non tollit obligationem adhibendi media aliunde necessaria ad salutem.

3. In *voto*, saltem *implicito*, Baptismi; cum enim martyrium illius tantum vices gerat, ad eum, utpote medium justificationis a Christo regulariter institutum, referri debet. Idcirco, si in ejus potestate sit, antequam mortem pro Christo patiatur, Baptismum aquæ accipere tenetur; quin etiam, semel baptizatus, ob præceptum divinum communionis, Eucharistia refici deberet. — Quæ tamen, cum non sint absolute necessaria, si de illis præstandis inculpabiliter non cogitaret martyr, nihil obstaret, quin sanctificantem gratiam acciperet.

At, si contingeret adultum aliquem jam per caritatem perfectam aut per Baptismum aquæ justificari, et postea mortem pro Christo subire, non ideo martyrium singularem efficaciam

suam amitteret. Sed, juxta sententiam communiter apud theologos receptam, hujuscemodi martyr novum gratiæ incrementum acciperet, et quidem non tantum juxta præsentes, quas habet dispositiones, verum etiam in gradu intensiori, id est, ultra ejus meritum, ex ipsa vi martyrii *per modum operis operati* agentis (Cf. Suarez, *de Bapt.*, disp. 29, sect. 3).

Dicitur 2. *per modum operis operati*, et sic efficacia martyrii distinguitur ab efficacia seu modo operandi Baptismi aquæ. Martyrium enim gratiam non confert *active*, id est per virtutem instrumentalem sibi transeunter communicatam, uti contingit in Baptismo, sed *passive*, seu quatenus, posita morte pro Christo in debitis conditionibus, Deus ipse gratiam confert independenter a merito martyris, tanquam a causa efficiente, licet non tanquam a dispositione, pro iis qui sunt dispositionum capaces.

ARTICULUS III.

Quænam dispositiones in adultis requirantur ad Baptismum suscipiendum?

Hujus quæstionis solutio jam apparet ex iis quæ in præcedenti Tractatu dicta fuerunt, ubi de dispositionibus requisitis in subjecto sacramentorum fuse disputavimus. Attamen ad majorem rei elucidationem, nonnulla Baptismo magis propria addere juvat. Igitur

65. Assertio 1ª : *Ad validam susceptionem Baptismi, non requiritur in adulto, neque fides neque pœnitentia, sed requiritur et sufficit intentio illum suscipiendi, quæ aliquando fuit et moraliter perseverat.*

1. *Non requiritur fides nec pœnitentia.*

Ratio est quia sacramentum non perficitur per justitiam hominis dantis vel suscipientis, sed per virtutem Dei. Unde S. Augustinus (lib. 3, *de Bapt.*, cap. 14) : « Non interest, inquit, cum de sacramenti integritate vel sanctitate tractatur, *quid credat* et *quali fide* sit imbutus ille qui accepit sacramentum; interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad sacramenti quæstionem nihil interest. »

2. *Requiritur et sufficit intentio Baptismum recipiendi, quæ aliquando fuit et moraliter perseverat.*

Illud sat probatum manet, ex dictis de intentione in suscipiente sacramenta requisita (Tract. *de Sacr. in genere*) et huc præsertim veniunt verba Innocentii III (*Decret.*, l. 3, tit. 42, cap. 3) de ipso Baptismo adultorum dicentis : « Ille qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem nec characterem suscipit sacramenti. »

Hinc furiosi et amentes a *nativitate, sine ullo lucido intervallo,* habendi sunt sicut pueri et iisdem regulis subjiciuntur quoad Baptismum.

Si vero rationis usum habuerunt, et postea in amentiam aut in phrenesim lapsi sunt, — vel, dum ratione uterentur, Baptismi suscipiendi voluntatem manifestarunt, quam non retractaverint, et tunc, urgente necessitate, in amentia baptizandi sunt, quia voluntas prius habita moraliter perseverat ; — vel nullum Baptismi desiderium habuerunt, et in hac hypothesi, defectu intentionis omnino in adultis requisitæ, baptizari *probabilius* valide non possunt. In praxi tamen ii sub conditione essent baptizandi, tum quia non plane constat eos Baptismum non postulasse, tum etiam quia juxta plures satis est, si quis habuerit voluntatem suscipiendi omnia ad salutem necessaria.

66. Assertio 2ª : *Ad licitam et fructuosam sacramenti susceptionem, præter intentionem, requiruntur in adultis recta fides et attritio supernaturalis.*

1. *Requiritur fides.* Id quippe patet — tum ex ipsius Christi verbis (*Marc.*, XVI, 16) : « Qui *crediderit* et baptizatus fuerit, » salvus erit ; » — tum ex responsione diaconi Philippi ad eunuchum Baptismum ab eo petentem, qui cum diceret (*Act.*, VIII, 36) : « Ecce aqua, quid prohibet me baptizare ? » Dixit Philippus : *Si credis* in toto corde, licet ; » — tum denique ex textu generali B. Pauli (*Hebr.*, IX, 16) : « Sine *fide* » impossibile est placere Deo. »

2. *Requiritur attritio.* Homo enim in Baptismo, sicut et in sacramento Pœnitentiæ, justificari nequit, quin a creaturis se avertat, ut ad Deum supernaturaliter convertatur. Unde

B. Petrus (*Act.*, II, 38), ad Judæos petentes quid facere deberent : « *Pœnitentiam agite*, inquit, et baptizetur unus- » quisque vestrum. » Qualis autem esse debeat hujusmodi attritio ut sufficiat, dicitur in Tractatu de *Sacramento Pœnitentiæ*.

67. Scholium. Itaque sicut peccatores præparandi et probandi sunt, antequam absolvantur, sic et adulti, priusquam baptizentur. « Si quis adultus sit baptizandus, inquit Rituale Romanum, debet prius secundum apostolicam regulam in christiana fide ac sanctis moribus diligenter institui, et per aliquot dies in operibus caritatis exerceri, ejusque voluntas et propositum sæpius explorari, et non nisi sciens et volens probeque instructus baptizari. » — Attamen

1. Minime necesse est, ut adulti ad Baptismum accedentes, confessionem sacramentalem præmittant; nam confessio sacramentalis ordinatur ad absolutionem, qua non indigent qui baptizantur, cum per Baptismum omnia peccata dimittantur, imo cujus sunt incapaces, cum Baptismus sit janua sacramentorum, et Ecclesia nullam in non baptizatum jurisdictionem habeat, ut in eum judicium exercere et sententiam ferre valeat. Utilissime vero adultus baptizandus conscientiam suam confessario aperiet, ut ab eo monita salutis accipiat, et cum majori fiducia ad Baptismatis sacramentum accedat. Illud suadent plurima Ritualia.

2. Nec confessarius adulto baptizando ipsum adeunti opera pœnalia imponat in *satisfactionem*, siquidem per Baptismum peccata remittuntur non solum quoad culpam, sed etiam quoad totam pœnam; sed in *emendationem*, quibus scilicet vitia facilius eradicentur, et ad acquisitionem virtutum perveniatur.

3. Cæterum in praxi maxima adhibeatur prudentia in adultis ad Baptismum admittendis, præsertim ubi agitur de vagis et extraneis. « Sacerdos, addit Rituale Rom., diligenter curet, ut certior fiat de statu et conditione eorum qui baptizari petunt, præsertim exterorum. De quibus facta diligenti inquisitione, num alias ac recte sint baptizati, caveat ne quis jam baptizatus, imperitia, vel errore, aut ob quæstum vel ob aliam

causam, fraude, dolove iterum baptizari velit. » — In his casibus consulatur episcopus.

Rituale Romanum alia etiam sedulo notanda habet, — tum circa *tempus* Baptismi : « Decet hujusmodi Baptismum ex apostolico instituto, in sabbato S. Paschatis, vel Pentecostes, solemniter celebrari. Quare si circa hæc tempora catechumeni sint baptizandi, in ipsos dies, si nihil impediat, Baptismum differri convenit. Verum si circa, seu post tempus Pentecostes aliqui conversi fuerint, qui ægre ferant suum Baptisma in longum tempus differri, et ad illud festinent, instructique ac rite parati esse noscantur, citius baptizari possunt; » — tum circa *jejunium* pro ministro et suscipiente : « Pro hujus veneratione sacramenti, tam sacerdotem qui adultos baptizabit, quam ipsos adultos qui sani sunt, convenit esse jejunos; » — tum denique circa *horam* Baptismi : « Quare, pergit idem Rituale, non post epulas, aut prandia, sed ante meridiem (nisi ex rationabili causa aliter faciendum esset) eorum Baptisma celebretur. »

CAPUT VI.

DE CÆREMONIIS BAPTISMI.

Quæ de Baptismi cæremoniis dicenda veniunt, referuntur— vel ad patrinos in Baptismo solemni adhibendos; — vel ad tempus ad locum Baptismatis collationi assignatum; — vel denique ad ipsos ritus in Baptismi administratione observandos.

ARTICULUS I.

De Patrinis.

68. — I. Patrinorum notio. Patrinorum nomine designantur illi qui baptizatum de sacro fonte levant, et in se ejus curam, defectu parentum, suscipiunt. *Sponsores* appellantur, quia spondent filiolos religionem professuros; eadem ratione

fidejussores dicuntur; *susceptores*, quia baptizatos e fontibus levant; *compatres* et *patrini*, eo quod sunt veluti patres respectu filiorum.

Ut vero aliquis vere sit patrinus, necesse est: 1. ut rationis usum habeat, et ipse sit baptizatus; 2. ut a parentibus vel a parocho designatus fuerit; 3. ut baptizatum per se vel per alium tangat; 4. ut verum animum patrini munus gerendi habeat.

Consuetudo admittendi patrinos a primis Ecclesiæ sæculis obtinuit, nec de ipsius origine aliquid certum legere est apud auctores ecclesiasticos.

69. — II. Patrinorum necessitas. In Baptismo solemni patrinus est admittendus, et quidem *sub gravi*, tum ex antiquitate ac præstantia illius praxis, tum ex concilio Tridentino simpliciter loquente de illius admissione (Sess. 24, cap. 2). Ita theologi.

Rationem vero hujus institutionis a Christo vel ab apostolis venientis sic explicat S. Thom. (3. q. 67, a. 7) : « Spiritualis generatio, quæ fit per Baptismum, assimilatur quodam modo generationi carnali, unde dicitur (I Pet., II) : « Sicut modo ge- » niti infantes, rationabiles sine dolo lac concupiscite : » in generatione autem naturali parvulus nuper natus indiget nutrice et pedagogo; unde et in spirituali generatione Baptismi requiritur aliquis, qui fungatur vice nutricis et pædagogi, informando et instruendo eum quasi novitium in fide. »

Dicitur, *in Baptismo solemni*, quia in Baptismo privato licet non adhibere patrinum; nullibi enim præcipitur; insuper infans privatim baptizatus vel proxime morietur, et tunc sponsore non eget; vel vivet, tuncque in cæremoniarum suppletione patrinus adhiberi debet.

Ante concilium Tridentinum plures adesse poterant patrini; illud prohibuit concilium præfatum, statuendo « ut unus tantum, sive vir, sive mulier, juxta sacrorum canonum instituta, vel ad summum unus et una baptizatum de Baptismo suscipiant » (Sess. 24, cap. 2).

70. — III. Patrinorum electio. Hæc in rituali Romano legun-

tur : « Patrinos saltem, in ætate puberbatis, sacramento confirmationis consignatos esse maxime convenit. Sciant præterea parochi, ad hoc munus non esse admittendos infideles, aut hæreticos, non publice excommunicatos, aut interdictos, non publice criminosos aut infames, nec præterea qui sana mente non sunt, nec qui ignorant rudimenta fidei : hæc enim patrini spirituales filios suos, quos de Baptismi fonte susceperint, ubi opus fuerit, opportune docere tenentur. Præterea ad hoc etiam admitti non debent monachi vel sanctimoniales, neque alii cujusvis ordinis regulares a sæculo segregati. »

Sedulo etiam perlegantur ritualia particularia vel statuta diœcesana, in quibus sæpe plura hac de re præscribuntur; in pluribus, v. g., diœcesibus munus patrini clericis in sacris ordinibus constitutis competere nequit.

Circa patrini admissionem quædam sunt notanda :

1. Munus patrinum admittendi ad parentes pertinet, non ad parochum. Neque potest parochus patrinum competentem a parentibus designatum rejicere.

2. Plures auctores sentiunt ad officium patrini admitti hodie posse illos qui, licet symbolum fidei recitare nequeant aut nollent, quædam tamen religionis signa dant, v. g., quandoque missæ assistunt, panem benedictum offerunt, curant ut morientes parentes sepulturam accipiant ecclesiasticam et alia hujusmodi faciunt; quia ex benignitate plures sequuntur utilitates, dum ex severitate haud modica oriuntur incommoda; ita DD. Bouvier.

3. Juxta DD. Gousset (n. 115), ut patrini admitti possunt civiliter tantum conjugati, dummodo coram duobus saltem testibus promittant se benedictionem nuptialem esse quamprimum postulaturos; qua indulgentia, inquit præfatus auctor, matrimonia tantum civilia haud raro coram Ecclesia celebrata fuerunt.

4. Si quandoque parochus patrinum designatum ob illius indignitatem repellere teneatur, abstineat ab omni rationum expositione, et dicat fidenter talem patrinum legibus Ecclesiæ arceri, nihil addendo, ut dictum fuit in Tract. *de Sacrament. in genere.*

In praxi, si patrinus aut matrina admitti queat, admittatur et procedatur ad Baptismum, recusata parte indigna; sufficit enim ex concilio Tridentino patrinus aut matrina. Si neuter sit dignus, eos rejiciat, et paratum se ostendat ad Baptismum conferendum, statim ac erit conveniens patrinus aut matrina.

71. — IV. Patrinorum officia. Tenentur patrini baptizatum diligere, tanquam filium spiritualem; Deum pro illo deprecari; curare ut in fide et vita christiana recte instituatur, non tantum ob caritatem et pietatem, sed etiam tum ob solemnem factam in eo munere suscipiendo promissionem, tum ob præceptum Ecclesiæ ipsis impositum. Non quidem facile judicandi sunt parentes obligationi prolis suæ christiane instituendæ deficere; at si constaret illos officio suo non satisfacere, omni via deberent baptizato subvenire, et quidem sub gravi, si id facile præstare possent. — Insuper susceptores abstinere debent a matrimonio contrahendo cum baptizato, baptizatique patre ac matre, ut dicetur in Tractatu *de Matrimonio*, ob impedimentum cognationis spiritualis.

ARTICULUS II.

De tempore et loco Baptismi.

72 — I. In primis Ecclesiæ sæculis soli dies Paschæ et Pentecostes deputati sunt solemni administrationi Baptismatis; in sæculo sexto addita est dies sacra Natalis Domini et S. Joannis Baptistæ; postea solemniter collatum fuit Baptisma in Epiphaniæ, apostolorum et martyrum festivitatibus. Varia tamen fuit in variis regionibus Ecclesiæ praxis; at versus sæculum duodecimum, consuetudo baptizandi in omni tempore communis evasit. In Ecclesia Orientali, dies solemnes Baptismi erant Pascha, Pentecostes et Epiphania Domini. Verum quolibet die et hora valide posse Baptismum conferri observat Tertullianus (lib. *de Bapt.*, c. 19) : « Cæterum, inquit, omnis dies Domini est, omnis hora, omne tempus habile Baptismo : si de solemnitate interest, de gratia nihil refert. »

73. — II. Circa tempus et locum administrandi Baptismum hæc in Rituali Romano leguntur : « Quamvis Baptismus quo-

vis tempore, etiam interdicti et cessationis a divinis, præsertim si urgeat necessitas, conferri possit, tamen duo potissimum ex antiquissimo Ecclesiæ ritu sacri sunt dies, in quibus solemni cæremonia hoc sacramentum administrari maxime convenit, nempe sabbatum sanctum Paschæ, et sabbatum Pentecostes, quibus diebus baptismalis fontis aqua rite consecratur. Quem ritum, quatenus fieri commode potest, in adultis baptizandis, nisi vitæ periculum immineat, retineri decet, aut certe non omnino prætermitti, præcipue in metropolitanis aut cathedralibus ecclesiis.

» At licet urgente necessitate ubique baptizare nihil impediat, tamen proprius Baptismi administrandi locus est ecclesia, in qua sit fons baptismalis, vel certe baptisterium prope ecclesiam.

» Itaque necessitate excepta, in privatis locis nemo baptizari debet, nisi forte sint regum aut magnorum principum filii, id ipsis ita deposcentibus; dummodo id fiat in eorum capellis, seu oratoriis, et in aqua baptismali de more benedicta.

» Baptisterium sit decenti loco, et forma, materiaque solida et quæ aquam bene contineat, decenter ornatum, et cancellis circumseptum, sera et clave munitum, atque ita obseratum, ut pulvis vel aliæ sordes intro non penetrent : in eoque, ubi commode fieri potest, depingatur imago S. Joannis Christum baptizantis. »

ARTICULUS III.

De ritibus in Baptismi administratione observandis.

Quæ in solemni Baptismatis administratione a ministro servari debent, in Rituali Romano ab omnibus legi possunt. Hic tria tantum investigabimus, videlicet : — 1. Quænam sint præcipuæ Ecclesiæ prescriptiones circa ritus in Baptismi administratione servandos; — 2. an et quandonam cæremoniæ Baptismi supplendæ vel iterandæ sint; — 3. quænam sit significatio variorum rituum in solemni Baptismatis administratione usurpatorum.

§ I. Quænam sint præcipuæ Ecclesiæ præscriptiones circa ritus in Baptismi administratione servandos?

74. — I. De nominis impositione. Circa nominis impositionem hæc notanda sunt : — 1. In primitiva Ecclesia nullum novum nomen imponebatur; hæc praxis sæculo quinto incepisse videtur, nec communis evasit nisi duodecimo sæculo, quando mos infantes statim baptizandi ubique invaluit. — 2. Nullum datur præceptum, sed tantum monitum, alicujus Sancti nomen imponendi. — 3. Dari potest nomen sancti veteris Testamenti, cui nomen Sancti novi Testamenti addere convenit. — 4. Curare debet parochus, « ne obscæna, fabulosa, aut ridicula, vel inanium deorum, vel impiorum, ethnicorum hominum nomina imponantur; sed potius, quatenus fieri potest, Sanctorum, quorum exemplis fideles ad pie vivendum excitentur, et patrociniis protegantur. » Ita Rit. Rom. — 5. In praxi curet parochus, ut unum e nominibus saltem sit alicujus Sancti nomen, et circa alia se facilem exhibeat. — Licitum est propria auctoritate nomina in Baptismo accepta immutare; nulla quippe existit hac de re prohibitio.

75. — II. De interrogationibus. Quæsitum fuerat, « utrum in collatione Baptismi interrogationes possint fieri vernacule, vel saltem vernacule iterari, postquam latine factæ fuerint. » S. Cong. respondit (12 sept. 1857) : « Quoad interrogationes quæ Baptismi ordinem præcedunt vel sequuntur (v. g., an sit suæ parochiæ, masculus an fœmina), ac pro quibus rituale nullam exhibet formam : *affirmative*. Quoad interrogationes quæ in ipso Baptismi ordine occurrunt, ac pro quibus formulæ in rituali exstant : *negative*, quoad utramque partem » (*Anal.*, 13 liv., p. 342).

76. — III. De sacris oleis. Circa sacra olea hæc in Rituali Romano continentur : « Chrisma et Oleum S. sint in suis vasculis argenteis, aut saltem stanneis bene obturatis : quæ vascula sint inter se distincta, et propriam unumquodque inscrpitionem habeat majusculis litteris incisam, ne quis error committatur. — Ad usum vero quotidianum minora habeantur vascula ex argento, si fieri potest, aut stanno; sive separata,

sive etiam conjuncta; apte tamen distincta et bene cooperta, et cum suis inscriptionibus, ut supra; ne parochus aberret, et unum pro altero sumat, quod cavere debet diligenter. — In ea igitur ex majoribus vasculis Chrismatis et Olei quod sufficiat, infundatur; atque, ut effusionis periculum caveatur, commodum erit in his vasculis bombacium seu quid simile habere, oleo sacro et chrismate perfusum : in quæ pollex, cum opus est, ad inungendum immittatur. — Hæc vascula ita parata, in loco proprio, honesto ac mundo, sub clave ac tuta custodia decenter asserventur : ne ab aliquo, nisi a sacerdote, temere tangantur, aut eis sacrilege quisquam abuti possit. — Parochus, quantum fieri potest, curet, ne per laicos, sed per se, vel alium sacerdotem, vel saltem per alium Ecclesiæ ministrum hæc Olea deferantur : caveat item ne de iis quidquam ulli unquam tribuat, cujusvis rei prætextu. »

Si vero quæratur an et quatenus prohibeatur usus oleorum alterius anni hæc dicenda sunt :

1. Illud stricte et rigorose prohibetur, quando olea nova habentur. Peccaret ergo graviter sacerdos qui, posthabitis recentibus oleis, veteribus uteretur.

2. Attamen licet adhibere olea anni præcedentis usquedum olea recens consecrata habeantur. Igitur non debet omitti chrismatis et olei unctio, eo quod olea recens benedicta haberi nondum potuerunt, nec ea de causa Baptismus ad aliud tempus differri debet. Ita declaravit S. Rit. Congr. (19 sept. 1859).

3. Benedictio autem fontis baptismalis in Sabbato Sancto fieri debet cum oleis alterius anni, nisi parochus olea recentia sibi comparare potuerit : nec debet differri infusio usquedum olea recens benedicta accipiantur. — At in vigilia Pentecostes, fieri debet fontis benedictio cum oleis præsentis anni, quæ ex præcepto adhibenda sunt. Unde si ea nondum accepisset, aquam baptismalem nihilominus benedicere deberet, cum cæremoniis consuetis, excepta infusione chrismatis et olei, quæ peragetur privatim, iis acceptis. — Idem fieri deberet in Sabbato Sancto, si olea prioris anni deficerent. Curet vero parochus ut aquæ jam benedictæ quantitatem sufficientem pro bapti-

zandis iis, quos afferendos præsumere potest, sibi reservet. Ita in variis decisionibus ipsa Sac. Congr. Rituum.

77. — IV. De libro baptismali. « Antequam infans ex Ecclesia asportetur, aut susceptores discedant, inquit Rituale Romanum, eorum nomina et alia de administrato Baptismo ad præscriptam formam in baptismali libro parochus accurate describat. » Tenent auctores hanc obligationem esse sub gravi; gravissima enim sunt motiva quibus præscribitur, scilicet : — 1. ut constet Baptismi existentia, et ideo ut vitetur iterationis periculum; — 2. ut cognoscatur inter quos existat cognatio spiritualis ex legitimo Baptismo orta.

Attamen caute procedere debet parochus in conficiendis hujusmodi actis, quando baptizandi exhibentur filii naturales, vel adulterini, vel ex matrimonio civiliter tantum contracto nati : *in primo casu*, dicat : ex patre incognito, nisi vir aliquis præsens coram testibus agnoscat se parvuli esse patrem, et nomen suum in registro subscribat, si possit; nec matrem nominet, nisi publice noscatur, vel duo saltem testes affirment eam talem agnoscere infantem ut suum. — *In secundo casu*, is solus agnoscendus est pater, qui mulieris est maritus, juxta vetus axioma in legibus nostris quoad substantiam insertum : Ille est pater, quem nuptiæ demonstrant. — *In tertio casu*, dici non potest ex legitimo matrimonio natum esse : nec tamen prudenter diceretur eum ex matrimonio illicito ortum esse : dicendum ergo est eum natum esse ex..., civiliter conjugatis. Ita DD. Bouvier.

§ II. An et quandonam cæremoniæ Baptismi supplendæ vel iterandæ sint?

78. — I. « Cum urgente mortis periculo, inquit Rituale Romanum, vel alia cogente necessitate, sive parvulus, sive adultus, sacris precibus, ac cæremoniis prætermissis, fuerit baptizatus, ubi convaluerit, vel cessaverit periculum, et ad Ecclesiam delatus fuerit, omissa omnia supplentur. » Quod ut rite fiat, idem ordo ac ritus servetur, qui in Baptismo parvulorum (si fuerit parvulus), seu adultorum (si fuerit adultus) præscriptus est; excepto quod interrogatio : An velit baptizari, formaque

Baptismi et ablutio prætermittuntur, et quædam orationes ac exorcismi immutantur, ut videre est in Rituali. — Controvertitur inter auctores an obligatio supplendi omissas cæremonias sit sub gravi, an sub levi tantum.

79. — **II.** Si agatur de hæreticis conversis, et in secta sua valide baptizatis, sed absque consuetis Ecclesiæ cæremoniis, non videntur cogendi ad has supplendas cæremonias ; si illud postulent, suppleri utiliter poterunt. — Attamen nil inconsulto episcopo faciendum est.

80. — **III.** Si, Baptismo solemniter celebrato, postea deprehendatur illum nulliter fuisse collatum, probabilius dicitur totum sacramentum cum cæremoniis esse iterandum, nisi aliqua ratio scandali aut infamiæ pro baptizante aut baptizato aliter suadeat. Ratio est quia accidentale sequitur principale, et quia illæ cæremoniæ in honorem Baptismi institutæ fuerunt, a quo proinde separari non debent.

§ III. Quænam sit Baptismi cæremoniarum significatio?

81. — **I. Cæremoniæ ad fores ecclesiæ usurpatæ.** Supposita aquæ benedictione,

1. Baptizandus affertur aut adducitur ad fores Ecclesiæ, et ab ejus introitu arcetur, quia non est dignus, qui domum Dei ingrediatur, antequam jugum diaboli excusserit, et se Christi imperio subjecerit.

2. Baptizando nomen imponitur, ut agnoscat se militiæ Christi adscribi; debet autem esse nomen alicujus sancti, ut habeat exemplar virtutum quod imitetur, patronum et advocatum quem colat. Præferenda sunt nomina sanctorum novi Testamenti veteribus, non in horum contemptum, sed in exsecrationem hæreticorum, qui affectant nomina veteris Testamenti, quia sanctos non honorant, vel Ecclesiam Romanam veteri synagogæ postponunt.

3. Adhibentur exorcismi cum precibus et insufflationibus, ad expellendum diabolum ejusque vires frangendas ac debilitandas, ne impediat Baptismi susceptionem ejusque effectum.

4. Baptizandus obsignatur signo crucis, — *in fronte*, ut

crucem nunquam erubescat, sed palam verbis et operibus confiteatur; — *in pectore*, ut fidem non profiteatur ore tenus, sed corde credat; — *in oculis*, ut a spirituali cæcitate liberatus sic deinceps invigilet, ut non videat vanitatem; — *in auribus*, ut illæ pronæ sint ad audiendas fidei veritates; — *in humeris*, ut jam ab adolescentia Christi jugum et crucem ferre assuescat.

5. Sal ori ejus apponitur, — tum ad manifestandam sapientiam quæ in omnibus verbis ex ore procedentibus elucere debet, — tum etiam ad significandum quod baptizandus cum fidei doctrina et gratiæ dono consecuturus est, ut a peccatorum putredine liberetur, saporem bonorum operum percipiat, et divinæ sapientiæ pabulo delectetur.

6. Nares et aures saliva liniuntur cum his verbis : *Ephpheta*, quod est, adaperire, et statim baptizandus ad fontem mittitur, ut sicut cæcus ille evangelicus, quem Dominus jusserat oculos luto illitos Siloes aqua abluere, lumen recuperavit, ita etiam intelligamus eam vim esse sacræ ablutionis, ut menti ad cœlestem veritatem perspiciendam lumen afferat.

82. — II. Cæremoniæ ad fontem baptismalem adhibitæ. His peractis, affertur aut deducitur baptizandus ad fontem baptismalem, et

1. Sacerdos ter ipsum interrogat : « *Abrenuntias Satanæ, et omnibus operibus ejus, et omnibus pompis ejus?* » Cui ille, vel ejus nomine patrinus, ad singulas interrogationes respondet : « *Abrenuntio.* » Pollicetur ergo baptizandus se diabolum et mundum deserere, ac nullum unquam tempus fore, in quo utrumque veluti hostem teterrimum non detestetur.

2. Baptizandus ungitur oleo sacro catechumenorum dicto in pectore et scapulis, quasi athleta; — *in pectore*, ut per Spiritus Sancti donum abjiciat errorem et ignorantiam, et suscipiat fidem rectam, quia justus ex fide vivit; — *in scapulis*, ut per Spiritus Sancti gratiam excutiat negligentiam et torporem, et bonam operationem exerceat, quia fides sine operibus mortua est; vel etiam, *in pectore*, ut per fidei sacramentum sit munditia cogitationum; *in scapulis*, ut per operis exercitium sit fortitudo laborum, quatenus fides per dilectionem operetur.

3. Interrogatus a sacerdote : « *Credis in Deum?* » respondet : « *Credo,* » et ita deinceps de reliquis symboli articulis, ut fidem suam solemniter profiteatur juxta illud Christi (Marc., XVI, 16) : « *Qui crediderit* et baptizatus fuerit, salvus » erit. »

4. Cum jam Baptismum administrare oportet, quærit sacerdos ab eo qui baptizandus est, num baptizari velit; quo quidem per se, vel ejus nomine, si infans sit, patrino annuente, statim baptizatur; quemadmodum enim homo sua voluntate serpenti obediens, merito damnatus est, ita Dominus neminem suæ militiæ vult adscribi nisi volentem, ut divinam legem sponte amplectens vitam consequatur æternam.

83. — III. Cæremoniæ post baptismum peractæ. Postquam Baptismus absolutus est,

1. Sacerdos baptizati verticem chrismate inungit, ut intelligat, se ab eo die Christo capiti tanquam membrum conjunctum esse, et ob eam rem Christianum a Christo, Christum vero a chrismate appellari.

2. Induit postea sacerdos baptizatum veste alba, vel si baptizatus sit infans, capiti ejus linteolum candidum imponit, dicens : « *Accipe vestem candidam, quam immaculatam perferas ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, ut habeas vitam æternam.* » Quo significari docent sancti Patres tum resurrectionis gloriam, ad quam per Baptismum nascitur; tum nitorem et pulchritudinem, qua, deleta peccati macula, jam ornatur baptizati anima; tum denique innocentiam atque integritatem, quam in omni vita baptizatus servare debet.

3. Deinde in manu baptizati traditur cereus accensus, qui ostendit fidem caritate inflammatam, quam in Baptismo accepit, studio bonorum operum alendam esse et augendam.

4. Olim admittebatur baptizatus ad osculum pacis in signum unionis vel fraternitatis. Item adulti vestem albam, qua induti fuerant in Sabbato Sancto, deferebant usque ad octavam Paschæ, quæ inde dicta est Dominica *in albis*, ab albedine vestis hac die depositæ. Tandem porrigebatur baptizatis lac et mel gustandum in signum novæ infantiæ. Unde in eadem Domi-

nica *in albis* in introitu missæ decantatur : « Quasi modo geniti infantes lac concupiscite. »

Has cæremonias pro majori parte damnant Lutherani et Calvinistæ, sed immerito; habent enim, ut dictum est, suas significationes et effectus, reverentiam conciliant sacramento, erudiunt imperitos, et mentes ad cœlestia erigunt. Insuper sunt antiquissimæ.

Hæc de Baptismi sacramento sufficiant; quæ « ob eam præcipue causam docenda esse Pastores meminerint, ut fideles in hac cura et cogitatione perpetuo versentur : ut in iis, quæ adeo sancte et religiose spoponderunt, cum Baptismo initiati sunt, fidem servent atque eam vitam instituant, quæ sanctissimæ Christiani nominis professioni respondeat » (*Catech. Rom., de Bapt.*, n. 62).

TRACTATUS

DE CONFIRMATIONE

SUMMA DOCTRINÆ CATHOLICÆ

DE CONFIRMATIONE

Ex Conciliis Florentino et Tridentino

DECRETUM CONCILII FLORENTINI SUB EUGENIO IV PRO INSTRUCTIONE ARMENORUM.

Secundum sacramentum est Confirmatio, cujus materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, et balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per episcopum benedicto. Forma autem est : *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.*

Ordinarius minister est episcopus. Et cum cæteras unctiones simplex sacerdos valeat exhibere, hanc non nisi episcopus debet conferre; quia de solis Apostolis legitur, quorum vicem tenent episcopi, quod per manus impositionem Spiritum Sanctum dabant, quemadmodum actuum Apostolorum lectio manifestat : « Cum enim audissent, inquit, Apostoli qui erant Hierosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt » ad eos Petrum et Joannem. Qui cum venissent, oraverunt » pro eis, ut acciperent Spiritum Sanctum; nondum enim in » quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in » nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos » et accipiebant Spiritum Sanctum. »

Loco autem illius manus impositionis datur in Ecclesia Confirmatio. Legitur tamen, aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem, ex rationabili et urgente admodum causa, simplicem sacerdotem chrismate per episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis sacramentum. Effectus autem hujus sacramenti est, quia in eo datur Spiritus Sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes; ut videlicet christianus audacter Christi confiteatur nomen. Ideoque in fronte, ubi verecundiæ sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, et præcipue crucem ejus qui « Judæis quidem est scandalum, gentibus autem stultitia, » secundum Apostolum; propter quod signo crucis signatur.

CANONES CONCILII TRIDENTINI DE CONFIRMATIONE.

I. Si quis dixerit Confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse, et non potius verum et proprium sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse quam catechesim quamdam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant : anathema sit.

II. Si quis dixerit injurios esse Spiritui Sancto eos qui sacro Confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt : anathema sit.

III. Si quis dixerit sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem ; anathema sit.

NOTIONES PRÆVIÆ.

1. Tractatus objectum et utilitas. — Christus Dominus non tantum voluit nos regenerari lavacro *aquæ in verbo vitæ*, sed etiam semel renatos per novum sacramentum confirmari ac roborari, ut perfecti ejus milites effecti tentationibus contra fidem irruentibus viriliter resistamus, eamque, spretis sæculi minis ac blanditiis, strenue profiteamur. Convenienter igitur post baptismum de hoc Confirmationis sacramento nunc disseremus.

Quanti autem sit momenti ille tractatus, ex solo fine, quem Christus intendit, nec non ex miris, quos producit, effectibus, statim colligere est. Unde Catechismus Romanus pastores hortatur ut illius naturam, vim et dignitatem, cum id commode fieri posse judicaverint, fideles doceant, illisque persuadeant illud non solum non negligendum esse, sed summa cum pietate et religione suscipiendum.

2. Confirmationis definitio et varia nomina. — Confirmatio, prout nomen ipsum innuit, definiri potest : *Sacramentum novæ Legis, quo baptizatis confertur gratia firmans et roborans ad firmiter credendum, fidemque ipsam firmiter profitendam.*

Ex hac definitione, cujus sensum et legitimitatem magis declarabunt quæ infra dicenda sunt, jam apparet Confirmationem id commune habere cum reliquis sacramentis vivorum, quod gratiam sanctificantem augeat; ab his autem distingui in eo quod per eam speciale Spiritus Sancti robur conferatur ad Christi fidem intrepide profitendam, et ad vitam sanctam, non obstantibus innumeris periculis et tentationibus, constanter agendam.

At præter illud Confirmationis nomen, quod ex suo principali fine et effectu habet, variis etiam aliis nominibus hoc sacramentum insignitur. Scilicet — *A materia* nuncupatum est *manus impositio, unguenti mysterium*, sacramentum *chris-*

matis et unctionis, Chrisma salutis. — A forma vero, *sigillum, signaculum spiritale, signaculum dominicum, signaculum regium.* — Denique ab effectu, *perfectio, consummatio, sacramentum plenitudinis;* quæ quidem nomina illius sacramenti excellentiam luculentius commonstrant.

3. Tractatus divisio. Ad doctrinam catholicam de hoc sacramento exponendam, dicemus: — 1° de existentia; — 2° de materia et forma; — 3° de effectibus; — 4° de ministro; — 5° de subjecto; — 6° de cæremoniis Confirmationis.

CAPUT I.

DE EXISTENTIA SACRAMENTI CONFIRMATIONIS.

4. Errores. Sacramenti Confirmationis existentiam negarunt Lutherus, Calvinus et eorum asseclæ; qui, cum negare non possent Confirmationis ritum a remotissima ætate in Ecclesia viguisse, dixerunt illum fuisse meram cæremoniam qua adolescentes solemniter coram episcopo rationem fidei suæ reddebant, et deinde, benedictione ab episcopo accepta, dimittebantur. Hi omnes volunt hujus sacramenti existentiam pariter negatam fuisse a Novatianis, Albigensibus, Waldensibus, Wiclefo et Joanne Huss; quod quidem parvi interest; attamen, si forsan Albigenses excipias, alii hæretici ab hoc errore communiter eximuntur. Nos vero dogma catholicum de existentia sacramenti Confirmationis, sequenti assertione vindicabimus :

5. Assertio : *Confirmatio est verum et proprium sacramentum.*

Est de fide. Concilium Tridentinum (sess. 7, c. 1), ait : « Si quis dixerit Confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse, et non potius *verum et proprium sacramentum;* aut olim nihil aliud fuisse quam catechesim quamdam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant : anathema sit. »

PROB. 1. *Scrip. S.* (Act., VIII, 14) : « Cum audissent Apos-» toli qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum » Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem. Qui cum venissent, » oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum S. : nondum » enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum » erant in nomine Domini Jesu. Tunc *imponebant manus super* » *illos et accipiebant Spiritum Sanctum.* »—(Act., XIX, 5) : « Bap-» tizati sunt in nomine Domini Jesu. Et cum *imposuisset illis* » *manus Paulus, venit Spiritus Sanctus* super eos et loquebantur » linguis, et prophetabant. » Ex quibus sic conficitur argu-mentum :

Constat Confirmationem esse sacramentum, modo probetur ritum de quo agitur in citatis textibus esse Confirmationem et omnibus sacramenti dotibus pollere : atqui hæc duo certa sunt :

1. *Ritus de quo agitur est Confirmatio.* — Etenim vel est Confirmatio, vel ordo, vel pœnitentia, vel approbatio baptizatis data, vel potestatis miraculorum collatio : porro — *non est ordo* : nam ille ritus adhibitus est erga omnes qui Samariæ receperant verbum Dei, ac proinde super infantes et mulieres; jam vero de ordine hæc dici non possunt. — *Non est pœnitentia*, quæ statim post baptisma conferri non debet, ut factum fuisse dicitur. — *Non approbatio* quædam, vel examen baptizatorum, tum quia fieri non debuisset statim post baptismum, et dicitur tamen : *Baptizati sunt... et cum imposuisset illis manus;* tum quia illo ritu conferebatur Spiritus Sanctus; unde postulabat Simon magus ut talis sibi concederetur potestas. — *Non est collatio potestatis miraculorum;* nam Apostoli im-ponunt manus indiscriminatim super Samaritanos; sed non ita confertur potestas miraculorum. Hæc insuper cæremonia usque ad nos perseveravit, quamvis amplius non detur mira-culorum potestas. Ergo superest ut dicatur hujusmodi ritum esse Confirmationem.

2. Idem ille ritus omnes sacramenti dotes habet : — Est signum *sensibile*, scilicet, oratio et impositio manuum, quibus aptissime figuratur gratia roboris specialiter animæ data; — signum *gratiæ productivum*, et quidem *ex opere operato;*

nam illud signum dicitur gratiæ productivum *ex opere operato*, vi cujus confertur gratia; atqui ex his textibus, per manuum impositionem conferebatur Spiritus Sanctus, seu gratia : ergo; — *a Christo institutum*; solus quippe Deus gratiam alicui signo sensibili annectere potest; — *permanenter*; id eruitur tum ex eo quod videtur simpliciter adhibitum in Apostolorum ætate sine ulla temporum restrictione; tum ex eo quod in usu quotidiano permansit; tum ex fine illius jugiter permanente, scilicet fidelium corroboratione.

Prob. 2. *Traditione.* Nam præter argumentum præscriptionis, quod eodem modo ac in Tractatu de *Sacramentis in genere* fieri potest, plurima et luculenta adduci possunt testimonia, ex quibus invicte probatur

1. SS. Patres non habuisse Confirmationem *ut baptismi ritum secundarium et meram cæremoniam.* Nam diversum baptismo et Confirmationi ministrum concedunt. Innocentius I (in epist. *ad Decentium Eugubium*, n. 3) scribit : « Presbyteris... chrismate baptizatos ungere licet; ..... non tamen *frontem ex eodem oleo signare*, quod solis debetur episcopis, cum *tradunt Spiritum Paracletum.* » — Imo supponunt adesse magnum intervallum inter baptismum et Confirmationem; concil. Eliberitanum, initio an. 305, ait (can. 77) : « Si quis diaconus regens plebem, sine episcopo vel presbytero aliquos baptizaverit, episcopus eos per benedictionem *perficere* debebit. »

2. SS. Patres non reposuisse Confirmationem *in catechesi, vel in aliqua fidei professione;* nam horum incapaces sunt infantes, quibus tamen potest conferri Confirmatio : sic Innocentius I, loco citato : « De *consignandis vero* infantibus, manifestum est non ab alio quam ab episcopo fieri licere. » — In antiquo ordine Romano legitur : « Pontifex veniens ad infantes... tincto pollice in chrismate, *faciat crucem* in frontibus singulorum, ita dicendo : *Confirmo te in nomine Patris, et Filii et Spiritus S. Amen.* »

3. SS. Patres habere Confirmationem ut *sacramentum proprie dictum haud secus ac ipsum baptismum.* Tertullianus (lib. *de Bapt.*, c. 7) : « In nobis carnaliter *currit unctio*, sed spirituа-

liter proficit; quomodo et ipsius baptismatis carnalis actus quod in aqua mergimur, spiritualis effectus, quod delictis liberamur. » Et (*libro de Resurectione carnis*, cap. 8) : « Caro abluitur ut anima emundetur; caro *ungitur*, ut *anima consecretur;* caro *signatur*, ut anima *muniatur*; caro manus impositione adumbratur, ut et anima Spiritu *illuminetur*. » S. Augustinus (lib. 2, *contra litt. Petil.*, c. 104, vel n. 239) : « Sacramentum Chrismatis... in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus. »

4. SS. Patres Confirmationi gratiæ collationem tribuere. S. Pacianus (in serm. *de Bapt.*) : « Lavacro peccata purgantur : *Chrismate Sanctus Spiritus superfunditur*. S. Cyprianus (in epist. 73, alias 70, *ad Jubaianum*) : « Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, per præpositos Ecclesiæ offerantur, et per nostram *orationem ac manuum impositionem Spiritum Sanctum consequantur*, et signaculo dominico consummentur. » Ergo.

Prob. 3. *Variis congruentiis.* Quemadmodum enim ad vitæ corporalis perfectionem non sufficit ut homo in lucem edatur, sed insuper necesse est ut ad virilem ætatem perveniat, similiter vitæ supernaturalis perfectioni non satis est, quod per baptismum in novam vitam gignamur, nisi adsit speciale sacramentum, quo, qui jam geniti sunt, viri evadant, *evacuatis quæ erant parvuli.*

Et vero ibi novum atque distinctum sacramenti genus constituendum est, ubi animus in novam aliquam difficultatem incurrit : porro sicut baptismi gratia ad mentem fide reformandam indigemus, ita etiam maxime conducit fidelium animos alia gratia confirmari, ut nullo pœnarum, suppliciorum, mortis periculo aut metu a veræ fidei confessione deterreantur.

Denique, sicut ad imperatorem spectat non solum signare militem, sed etiam armis competentibus eum instruere, ita Christus Dominus, postquam per Baptismum nos militiæ suæ adscripsit, militiæ adjumentum per Confirmationem nobis dare voluit. Vel etiam, sicut parens magnam pupillo relinquens facultatem, ei statim providet tutorem, ita in Confirmatione datur regeneratis Paracletus, ut sit eis custos, tutor

et consolator (Cf. Catech., Rom., pars 2, *de Confirm.*, n. 4; Suarez, de conf., disp. XXXII, sect. 1).

6. OBJ. Non datur sacramentum sine materia et forma certis : atqui in Confirmatione non existunt materia et forma certæ; de illis quippe acriter disputant theologi; ergo. — RESP. *dist. maj.* In sacramentis debent esse materia et forma certæ, id est, certum esse debet, adhibitis quibusdam rebus et verbis, esse sacramentum, *conc.;* certum esse debet, adhibita præcise hac materia in specie determinata, esse sacramentum, *neg.* Porro in confirmatione certum est dari istud sacramentum quando adfuerunt chrismatio et impositio manuum, sed dubitatur an illi ambo actus sint necessarii, an vero unus sufficiat et qualis. Hac data distinctione, evanescit difficultas, ut patet.

Plura quoque ex SS. Patribus objiciuntur quæ seorsim expendi nequeunt. Sufficiat adnotare Confirmationem dici : — Traditam juxta *ecclesiasticam regulam*, relative ad cæremonias, non autem ad substantiam sacramenti, quæ ab Ecclesia non pendet, utpote a Christo instituta. — *Perfectionem baptismi*, ratione effectus, non vero ratione sacramenti. — *Complementum veri Christiani*, eo nempe sensu quod Confirmatione christianus fiat fortis et adultus, non autem hoc sensu, quod sine Confirmatione non sit vere Christianus. — *Manuum impositionem*, sed non *quamlibet* manuum impositionem; multiplex enim erat primis in temporibus manuum impositio; quidquid igitur de manuum impositione dicitur, perperam de Confirmatione intelligeretur.

7. **Scholium.** Quoad tempus, quo Christus Confirmationem instituit, nihil certo constat, et variæ hac de re dantur sententiæ. Plures arbitrantur institutum fuisse hoc sacramentum eo temporis intervallo, quo Christus post resurrectionem usque ad ascensionem cum apostolis conversatus est, *loquens de regno Dei.* Tunc enim illis contulit plenitudinem potestatis episcopalis in Ecclesiam, eis promisit Spiritum Sanctum et gratiam, quam confert in Confirmatione; ac tandem iisdem diebus, ut inquit S. Leo (serm. 1 *de Ascens.*, c. 2) : « Magna sunt confirmata sacramenta, magna sunt revelata mysteria. »

Nec obstat quod dicit D. Thomas (3 p. q. 72, art. 7, ad 1), nempe « Christum instituisse hoc sacramentum, *non exhibendo*, sed *promittendo*. » Christus enim dicitur instituisse hoc sacramentum non *exhibendo*, hoc est, illud alicui administrando, sicut instituit ordinem et Eucharistiam, sed *promittendo*, scilicet ejus effectum, Spiritum sanctum, et gratiæ plenitudinem, non vero ipsum sacramentum.

CAPUT II.

DE MATERIA ET FORMA CONFIRMATIONIS.

Duplex articulus erit : 1[us] de materia; 2[us] de forma Confirmationis.

ARTICULUS I.

De materia Confirmationis.

Cum duplex sit sacramentorum materia, remota scilicet et proxima, seorsim investigandum habemus : — 1° quænam sit materia remota sacramenti Confirmationis; — 2° quænam materia proxima.

§ I. Quænam sit materia remota sacramenti Confirmationis?

8. Theologi plures adæquatam Confirmationis materiam in impositione manuum reponentes, nullam proprie materiam remotam huic sacramento adscribunt. Communis vero ac certa sententia tenet materiam remotam Confirmationis esse chrisma ex oleo et balsamo ab episcopo benedictum. Sit igitur sequens

9. Assertio : *Materia remota sacramenti Confirmationis est chrisma ex oleo olivarum confectum.*

Prob. **1.** *Concilio Florentino* in decreto ad Armenos, quod ita se habet : « Secundum sacramentorum est Confirmatio; cujus materia est *chrisma confectum ex oleo*, quod nitorem significat conscientiæ, et balsamo, quod odorem significat bonæ famæ. »

PROB. 2. *SS. Patribus.* Præter citatos Patres ad sacramenti Confirmationis demonstrandam veritatem, ex quibus plures chrisma commemorant veluti ejus materiam, afferri possunt cum Catechismo Romano hæc S. Dionysii Areopagitæ (*de Eccles. Hierarch.*, cap. 2), qui, cum diceret qua ratione hoc sacrum unguentum conficere eoque uti oporteret, ita inquit : « Baptizatum sacerdotes induunt veste congruæ munditiæ ut ad Pontificem ducant; ille vero *sacro* ac prorsus *divino unguento* baptizatum signans, sacratissimæ communionis participem efficit. » — Eusebius quoque Cæsariensis (lib. 6, *Hist.*, c. 43) dicere non dubitavit : « Novatum hæreticum Spiritum sanctum promereri non potuisse, quia, cum baptizatus esset in gravi ægritudine, *signaculo chrismatis* non est signatus. »

PROB. 3. *Praxi universali et perpetua Ecclesiæ.* — Quod quidem multis retro sæculis chrisma in universa Ecclesia ad Confirmationis collationem adhibitum fuerit, in dubium revocari nequit, nec probatione indiget. Sed et luculenta præsto sunt testimonia quæ chrismatis usum veluti hujusce sacramenti materiam ad ipsos apostolos referunt : « Utebantur Apostoli communiter *chrismate* in exhibitione sacramenti » (Confirmationis), inquit D. Thomas (3. q. 72, art. 2, ad 2). Dicit enim Dionysius (*Eccl. Hierarch.*, cap. 4) : « Est quædam perfectiva operatio, quam duces nostri (id est apostoli) *chrismatis* hostiam nominant. » — Idem asserit Catechismus Romanus (p. 2, *de Conf.*, n. 6) : « Quod autem *chrisma* sit hujus sacramenti materia, cum sancta Ecclesia et concilia perpetuo docuerunt, tum a S. Dyonisio et compluribus aliis gravissimis Patribus traditum est, imprimisque a Fabiano Pontifice, qui apostolos chrismatis confectionem a Domino accepisse, nobisque reliquisse testatus est » (Ep. 3 *ad Episc. Orient.*).

Hanc autem rationem convenientiæ affert Catechismus Romanus (2. p. *de Conf.*, n. 6) : « Neque vero ulla alia materia quam chrismatis aptior videri potest ad illud declarandum quod hoc sacramento efficitur. Oleum enim quod pingue sit, et natura sua manet, ac diffluat, gratiæ plenitudinem exprimit : quæ per Spiritum sanctum a Christo capite in alios re-

dundat, atque effunditur, sicut unguentum quod descendit in barbam Aaron usque ad oram vestimenti ejus. Unxit enim eum Deus oleo lætitiæ præ consortibus suis, ac de plenitudine ejus nos omnes accepimus. »

Dictum fuit chrisma *oleo olivarum confectum*, quia oleum simpliciter dictum juxta vim nominis ab olivis provenit; nec erat aliud oleum in Judæa Christi Domini tempore. Ita fert praxis universalis Ecclesiæ, nec unquam ea de re concessa fuit dispensatio in his etiam regionibus, in quibus non est oleum olivarum.

10. Quæritur 1. *An de necessitate sacramenti requiritur balsamum adhiberi in confectione chrismatis, et quale balsamum sit adhibendum.*

Resp. 1. *Balsamum in confectione chrismatis de necessitate sacramenti adhibendum est.* Ita communius, et constat

1. *Concilio Florentino*, in decreto ad Armenos, supra citato; expresse enim asserit balsamum ad chrismatis illius confectionem, quod Confirmationis materia est, æque ac oleum adhiberi, propriamque habere significationem sacramentalem.

2. *Praxi Ecclesiæ*, quæ a pluribus sæculis universalis est, et cujus initium assignari nequit. Balsamum enim usitatum esse suo tempore, id est, in sexto sæculo, testatur S. Gregorius Magnus in suo *Sacramentario*, ubi legimus : « Præparantur ampullæ duæ cum oleo, quarum melior defertur Pontifici, ut, accepto balsamo et commixto cum oleo, manu sua impleat eam. » Legere est etiam apud Bellarminum (*de Conf.*, cap. 8, prop.) hæc S. Cypriani verba : « Hodie in Ecclesia sacrum chrisma conficitur, in quo mixtum oleo balsamum. » Idem refert S. Clementem mentionem fecisse fragrantiæ odoris chrismatis. Ad apostolos igitur ascendit balsami permixtio cum oleo ad chrisma conficiendum : ergo sicut et chrisma de necessitate est sacramenti. — Nec parum roboris huic inductioni superaddit ipsum chrismatis nomen, quale ab auctoribus ecclesiasticis intelligitur : « Hoc enim nomine, inquit Catechismus Romanus (*loc. cit.*), etsi profani scriptores quodlibet unguenti genus significant, illud tamen, qui res divinas tradunt, communi loquendi consuetudine ad illud tantummodo

unguentum accommodarunt, quod ex *oleo* et *balsamo*, solemni Episcopi *consecratione* conficitur. »

Diximus de *necessitate sacramenti*, quia de necessitate præcepti nulla difficultas; omnes eam admittunt.

Etsi vero præcedens assertio communius admittatur et multo probabilior nobis videatur, nihil tamen ab Ecclesia definitum est. Hinc in articulo mortis bene poterit conferri Confirmatio sub conditione ex solo oleo, si nequeat haberi chrisma ex balsamo quoque confectum. Magna enim utilitas hujus sacramenti justa esset causa illud sub conditione ministrandi.

Resp. 2. Sufficit autem *balsamum cujuscumque regionis*, nec absolute requiritur *balsamum proprie dictum;* nam Benedictus XIV (const. *Ex quo*, 1756, § 52) testatur Pontifices Romanos non semel indulsisse pro regionibus in quibus vera balsami species non reperitur, « ut ad conficiendum chrisma liceret uti certo quodam fragranti succo liquore, qui communiter pro vero balsamo accipitur. » Ex quo constat ad validam confirmationis materiam non tam requiri balsamum proprie dictum quam aliquam aromatum commixturam. Id insuper eruitur ex praxi Græcorum, qui quamplurima aromata adhibent.

11. Quæritur. 2. *An etiam de necessitate sacramenti requiratur ut chrisma ab episcopo benedicatur.*

Resp. *Affirmative*, cum sententia communissima, quæ quidem firmatur.

1. *Verbis* Eugenii IV in decreto ad Armenos, qui cum asserat simpliciter Confirmationis materiam esse *chrisma* confectum ex oleo et balsamo *ab Episcopo benedictum*, aperte declarare videtur benedictionem episcopalem ad rationem materiæ omnino pertinere.

2. *Traditione*, quam Catechismus Romanus invocat his verbis : « Consecratur autem chrisma solemnibus cæremoniis ab episcopo. Ita enim Salvatorem nostrum docuisse in extrema Cœna, cum chrismatis conficiendi rationem apostolis commendaret, Fabianus Pontifex, sanctitate et martyrii gloria clarissimus, tradidit. » Huc etiam venit textus *Sacramentarii* S. Gregorii supra citatus. — Consonat praxis *Ecclesiæ*, quæ nunquam chrisma episcopi benedictione carens, in difficillimis

etiam temporibus, ad conferendum Confirmationis sacramentum usurpari permisit. Etsi enim haud semel SS. Pontifices presbyteris hujus sacramenti ministrandi potestatem fecerint, nunquam tamen eis facultatem chrisma benedicendi concedere voluerunt.

Ratio autem cur de necessitate sacramenti chrisma benedici debeat, ex eo repetenda est, quod Confirmationis sacramenti materiam Christus usu suo non consecraverit, sicut et baptismi aquam contactu corporis sui consecravit, dum a S. Joanne in Jordane baptizaretur, ac proinde convenientissimum sit, ut sanctis ac religiosis precationibus chrisma consecretur; neque ad alium ea confectio nisi ad episcopum pertinere potuit, qui ordinarius Confirmationis minister institutus est (Cf. Cat. Rom., 2. p. *de Conf.*, n. 8).

§ II. Quænam sit materia proxima sacramenti Confirmationis?

12. Opiniones theologorum. Quatuor sunt potissimum theologorum sententiæ circa materiam proximam Confirmationis. Prima docet materiam Confirmationis in sola manuum impositione esse positam; unctionem vero chrismatis institutam esse ad majorem effectus expressionem, eamque nonnisi ex præcepto Ecclesiæ necessariam esse. Ita Lherminier, Sambovius, Sirmundus.

Secunda docet chrismatis unctionem solam esse illius sacramenti materiam, impositionem vero manuum, ab illa unctione distinctam, ritum esse duntaxat ecclesiasticum. Ita Bellarminus, Maldonat, P. Antonius.

Tertia sententia, quæ paucorum fuit, docet duplicem esse in hoc sacramento materiam, videlicet impositionem manuum et chrismatis unctionem, ita ut, una e duabus adhibita, validum sit sacramentum : id profiteri videntur Morinus, Estius, præsertim synodus Moguntina, anno 1549. At communiter rejicitur hæc opinio, quia nulla fundatur stabili ratione, et adversatur naturæ aliorum sacramentorum, in quibus unica datur materia.

Quarta sententia, quæ multo communior est, tum manus impositionem, tum unctionem chrismatis velut materiam

Confirmationis agnoscit, ideoque tenet invalidum esse sacramentum nisi utraque adhibeatur. Ita Witasse, Billuart et alii. Attamen inter eos qui huic sententiæ favent dissidium occurrit. Quidam enim primam manus impositionem, quæ a chrismatione distincta est, ad sacramenti valorem necessariam esse censent; alii vero solam impositionem manus, chrismationi adjunctam, ad validitatem requiri volunt. Quod ut luculentius appareat, animadvertatur ex pontificali episcopum, quando ritum Confirmationis peragit, summitate pollicis dexteræ manus chrismate inuncta, inungere frontem confirmandi in modum crucis; hæc autem unctio est vera manus impositio; et, juxta sententiam, de qua nunc sermo est, ea est manus impositio, quæ una cum chrismatis unctione adæquatam Confirmationis sacramenti materiam constituit.

Huic sententiæ et nos subscribimus; sit igitur sequens

13. Assertio : *Materia essentialis et adæquata sacramenti Confirmationis est chrismatio, et manus impositio quæ chrismatis unctionem comitatur.*

PROB. 1ª PARS, scilicet, *chrismationem pertinere ad materiam essentialem Confirmationis*

1. *Scriptura sacra*, quæ saltem innuit Confirmationis sacramentum *unctione perfici*. Nam (II *Cor.*, I, 21) dicit B. Paulus : « Qui confirmat nos et qui *unxit nos* Deus, qui et *signavit* » nos et dedit *pignus Spiritus* in cordibus nostris » : porro hujusmodi verba de Confirmatione intelligenda esse, testantur S. Ambrosius, S. Augustinus, S. Cyrillus Hier.

2. *Auctoritate SS. Patrum*. Nam Tertullianus (*de Bapt.*, c. 7) : « Egressi de lavacro *perungimur benedicta unctione*... sic et in nobis carnaliter *currit unctio*, sed spiritualiter proficit; quomodo et ipsius baptismi carnalis actus, quod in aqua mergimur, spiritualis effectus, quod delictis liberamur. » — S. Pacianus (serm. *de Bapt.*) : « Lavacro peccata purgantur, *chrismate Spiritus S. superfunditur*. » — S. Cyrillus Hieros. (*Catech.* 21, n. 1) : « Vobis datum est *chrisma*, illius antetypum quo unctus est Christus : quod est nimirum Spiritus Sanctus. »

3. *Conciliis*. Etenim præter Concil. Flor., quod expresse de-

clarat materiam remotam Confirmationis esse *chrisma*, ac proinde unctionem, quæ chrismate perficitur, habendam esse velut materiam proximam, Concilium Trid. (sess. 7, can. 2) definivit : « Si quis dixerit injurios esse Spiritui Sancto, eos qui sacro Confirmationis *chrismati virtutem* aliquam tribuunt, anathema sit. » His autem verbis, Concilium Trid. sat clare indicat chrismatis unctionem esse materiam essentialem Confirmationis; nullibi enim reperies *vim gratiam conferendi* ritui mere accidentali aliquando tribui. Ergo.

Prob. 2ª pars, nempe *manus impositionem esse pariter essentialem Confirmationis materiam*. Illud enim constat :

1. *Scriptura sacra*. Nam (*Act.*, viii, 17) : « Tunc *imponebant* » *manus* super illos et *accipiebant Spiritum S.* » — (*Act.*, xix, 6) : « *Et cum imposuisset illis manus* Paulus, *venit Spiri-* » *tus S.* super eos. » His verbis patet non tantum apostolos manus impositionem adhibuisse, dum sacramentum Confirmationis conferebant, sed etiam huic manus impositioni tribui virtutem gratiam conferendi. Ergo.

2. *Testimoniis SS. Patrum*. S. Cyprianus (epist. 73, *alias* 70, *ad Jubaianum*) ita se habet : « Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, per præpositos Ecclesiæ offerantur, et per nostram orationem ac *manuum impositionem Spiritum S. consequantur.* » — S. Gregorius Magnus (*in Evang.*) : « Per *impositionem manuum nostrarum* a Deo *Spiritum S. percipiunt.* » Nihil sane clarius his textibus desiderari potest. Ergo.

Nec dicatur verum existere sacramentum Confirmationis apud Græcos, quamvis impositio manuum in eorum Euchologiis non reperiatur. — Nam — 1. perperam concluditur manuum impositionem apud Græcos non existere, ex eo quod in ritualibus non reperiatur, cum multa alia dentur testimonia eorum praxim manifestantia. — 2. Falsum est in euchologiis græcorum manuum impositionem omnino sileri; Renaudotius (*Perpet. fidei*, lib. 2, c. 12) clare ostendit eam in non paucis euchologiis inveniri, et sic concludit : « Impositio manuum in plerisque græcorum ritualibus præscripta reperitur, quanquam pro præcipua Confirmationis parte non habeatur. Quod

non ideo fit quasi Græci et Orientales magnam in impositione manuum non agnoscant efficaciam; sed quia cum in omnibus pene sacramentis fiat, unctionem quæ paucorum propria est, principalis materiæ locum tenere existimant, ac idcirco de illa frequentius loquuntur. » — 3. Demum chrismatis unctio fieri nequit in fronte sine aliqua manus impositione : porro ex statim probandis non alia manus impositio requiritur, quam quæ fit per ipsam chrismationem; ergo.

PROB. 3ª PARS, nimirum *manus impositionem, quæ ad sacramenti Confirmationis validitatem necessaria est, illam esse quæ chrismationem comitatur,*

1. *Auctoritate summorum Pontificum.* — Innocentius III (cap. *Cum venisset*, § 7, *de Sacra Unctione*) dicit : « Per frontis chrismationem *manus impositio designatur :* quæ alio nomine dicitur Confirmatio. » — Innocentius IV (epistola X, cap. 4) : « Soli Apostoli, quorum vices gerunt episcopi, per manus impositionem, quam Confirmatio vel *frontis chrismatio repræsentat*, Spiritum Sanctum tribuisse leguntur. — Benedictus XIV (epist. *Ex quo primum tempore*) : « Quod itaque extra controversiam est, hoc dicatur : nimirum in Ecclesia Latina Confirmationis sacramentum conferri, adhibito sacro chrismate, seu oleo olivarum balsamo commixto, et ab episcopo benedicto, ductoque signo crucis per sacramenti ministrum in fronte suscipientis, dum idem minister formæ verba pronuntiat. » Idem Pontifex dicit (*ibidem*, § 50) : « Apud Græcos nihil præscriptum legitur de impositione manuum in administrando chrismatis sacramento. »

2. *Pontificali romano,* quod, post primam manuum impositionem, suscipientes confirmationem vocat adhuc *confirmandos*, et addit : « Pontifex stans cum mitra illos confirmat per ordinem genuflexos. » Jam vero si post primam manus impositionem, hi qui ad sacramentum Confirmationis accedunt, nondum ut *confirmati* habentur, ergo essentialis non est hæc prima manus impositio, ac proinde non alia requiritur præter eam quæ fit per chrismationem.

3. *Rat. theol.* Nam ex dictis manus impositio est materia essentialis confirmationis; atqui hæc impositio non alia esse

potest, quam ea quæ fit in chrismatione, siquidem impositio manuum, quæ fit initio sacramenti administrandi, apud græcos et orientales non existit, nec a theologis existimatur necessaria. Ergo manus impositio requisita et sufficiens illa est quæ chrismationem comitatur.

14. Corollaria. Ex his inferes — **1.** solam manus impositionem, quæ fit in chrismatione, reputandam esse necessariam ad sacramenti valorem. Res tam certa a S. Ligorio et pluribus aliis judicatur, ut indubitanter dicant, quod, si quidam confirmandi primæ impositioni præsentes non fuerint, non ideo sint inquietandi, nec supplendi ritus.

In praxi satagant sacerdotes ut confirmandi sint omnibus ritibus præsentes : si autem quis absens fuerit, statim adeant episcopum, ad quem pertinet judicare an opportunum sit supplere ritum prætermissum.

15. Inferes — **2.** Unctionem chrismatis non mediante instrumento, sed immediate ab episcopo faciendam esse. Ratio est quia, si adhiberetur instrumentum, deficeret immediata manus impositio, quæ ex dictis omnino requiritur ad sacramenti validitatem. Nec dicatur extremam-unctionem valide ministrari medio instrumento ; nam in hoc sacramento impositio manus non requiritur tanquam materia, sicut in Confirmatione.

Quod vero attinet ad modum unctionem peragendi, hæc notanda ducimus :

1. Fieri debet *pollice dextero* episcopi. Ita pontificale. Valida tamen foret unctio, si alio digito episcopi fieret, quia vere fieret per impositionem manus.

2. Fieri debet *in fronte*, et hoc probabilius de *necessitate sacramenti*, ut eruitur : — tum ex perpetua praxi Ecclesiæ; — tum ex doctrina SS. Patrum; S. Cyrillus Hier. (*Catech.* 21, n. 3) dicit : « *Fronte* illinitur chrisma » ; — tum denique ex decreto Eugenii IV ad Armenos : « Ideo in *fronte*, ubi verecundiæ sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, et præcipue crucem ejus..., propter quod signo crucis signatur. »

3. Fieri debet *in modum crucis*, et hoc crucis signum vide-

tur pariter necessarium de necessitate sacramenti, — tum quia illud expostulatur praxi generali Ecclesiæ; — tum quia alioquin non vera essent formæ verba : *Signo te signo crucis.* — Rationem vero hujusmodi ritus ita tradit D. Thomas (3. q. 72, art. 9). Ait quippe : « In Confirmatione christianus ungitur ut miles Christi ad portandam et confitendam ejus crucem coram regibus et tyrannis. »

4. Ea chrismatis necessaria est et sufficit quantitas, ut ex illa crux in fronte reipsa signetur : attendere igitur debet episcopus ne chrisma in pollice deficiat, quod facile accidere potest.

5. Græci plures alias addunt unctiones, nempe in fronte, in oculis, in naribus, in utraque aure, et in pedibus; sed illæ unctiones mere sunt cæremoniæ; sola necessaria unctio est unctio capitis in fronte.

ARTICULUS II.

De forma Confirmationis.

16. Opiniones theologorum. Cum forma materiæ respondeat necesse sit, totidem sunt sententiæ circa formam, quot fuere circa materiam. Unde :

1. Qui contendunt Confirmationis materiam in sola manuum impositione sitam esse, illamque ab ea quæ fit in chrismatione esse distinctam, pro forma habent orationem quam episcopus, extendendo manus super omnes confirmandos, fundit, dicens : « *Omnipotens sempiterne Deus...* »

2. Qui volunt Confirmationis materiam repositam esse in sola chrismatione, hæc verba proferunt tanquam formam : « *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S.* »

3. Qui autem existimant Confirmationis materiam esse sive solam manus impositionem, sive solam chrismatis unctionem, pro varia locorum consuetudine, dicunt proinde validam esse Confirmationem, sive per solam manus impositionem cum oratione : « *Omnipotens*, etc. », sive per solam chrismationem sub his verbis : « *Signo te*, etc. »

4. Qui demum in materia Confirmationis admittunt chris-

mationem et manuum impositionem, pro forma essentiali habent, — vel simul orationem *Omnipotens sempiterne Deus*, etc., et verba : *Signo te*, etc., si materiam reponunt in prima manuum impositione et chrismatis unctione ; — vel sola verba : *Signo te signo crucis*, etc., si admittunt sufficere manus impositionem, quæ chrismationem comitatur.

Apud Græcos forma usitata hæc est : « *Signaculum doni*, seu donationis *Spiritus sancti.* » Subintelligitur juxta morem linguæ græcæ : *Ecce* vel *tibi datur*.

His prænotatis, sequentes assertiones statuendæ veniunt :

17. Assertio 1ª : *Oratio, quæ primæ manus impositioni super confirmandos respondet, ad essentiam formæ sacramenti Confirmationis nullo modo pertinet.*

Etenim 1. si præfata oratio ad essentiam formæ Confirmationis pertineret, id esset, quia prævia manus impositio, cui respondet, habenda esset velut materia essentialis : atqui illud falsum est, ex probatis supra. Ergo.

2. In Ecclesia Græca, oratio ad invocandum Spiritum sanctum, in administrando hoc sacramento, nulla occurrit, nec alia impositio manus habetur, præter illam quæ fit in chrismatione. Ergo forma nonnisi huic impositioni respondere potest.

18. Assertio 2ª : *Forma legitima sacramenti Confirmationis apud Latinos est hæc* : « *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* »

Prob. 1. *Concilio Flor.*, quod in decreto sæpe jam citato expresse dicit : « Forma autem (Confirmationis) est : *Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* »

Prob. 2. *Auctoritate Catechismi Romani* dicentis (p. 2 *de Conf.*, n. 9) : « His verbis Confirmationis forma absolvitur : « *Signo te signo crucis*, etc. » Paulo post addit : « Quanquam si etiam ratione aliqua probari non possit hanc esse hujus sacramenti veram et absolutam formam, Ecclesiæ catholicæ auctoritas, cujus magisterio ita semper edocti sumus, non patitur nos ea de re quidquam dubitare. »

Prob. 3. *Ratione.* Nam illa forma velut legitima censeri debet, quæ materiam determinat ad significandum et producendum effectum sacramenti, ejusque causam principalem exprimit : porro id faciunt verba citata; effectus enim Confirmationis est fidelem insignire signo militiæ Christi, illumque roborare ut strenue nomen Christi portet, et ejus fidem profiteatur : quorum primum per hæc verba : *Signo te signo crucis;* alterum vero sequentibus vocibus: *Confirmo te chrismate salutis*, sat significatur. Principalis autem causa horum effectuum exprimitur, cum additur : *In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (Cf. S. Thomas, 3. q. 72, art. 2; Catech. Rom., pars 2, *de Conf.*, n. 9).

Ex his vero patet verba hujus formæ essentialia esse : — verbum *confirmo*, nisi alio verbo synonymo suppleatur; — pronomen *te*, quo subjectum sacramenti designatur; — verba *signo te signo crucis*, necnon verba *chrismate salutis*, ut exprimatur tota confirmandi actio. Dicere autem *corroboro* pro *confirmo*, vel *sanctificationis* pro *salutis*, esset mutatio tantum accidentalis (S. Lig., n. 68).

19. Assertio 3ª : *Forma Confirmationis apud Græcos usurpata est legitima.*

Prob. 1. *Praxi Ecclesiæ Græcæ.* Græci enim etiam orthodoxi non solum in Oriente, sed etiam Romæ sub oculis Summi Pontificis non aliam adhibent formam; ergo vel est legitima, vel non est sacramentum Confirmationis apud Græcos, quod dici non potest.

Prob. 2. *Consensu Ecclesiæ Latinæ.* Nam, quoties actum est de unione Græcorum cum Latinis, et de materiis inter ipsos controversis, nunquam Latini objecerunt Græcis nullitatem suæ formæ, etsi in conc. Flor. expositum fuerit Græcos sub ea forma Confirmationem administrare. Imo Cardinalium congregatio ad examen ritualis Græcorum ab Urbano VIII deputata, circa materiam et formam Confirmationis nihil innovandum censuit.

Prob, 3. *Ratione.* In hac enim Græcorum forma exprimuntur — tum *effectus* sacramenti, nempe illa vox *signaculum* characterem, verba autem *doni Spiritus sancti* gratiam robo-

rantem ad fidem viriliter profitendam significant; — tum etiam, si non explicite, saltem tacite seu practice *actio confirmandi*, id est, persona confirmata et confirmans : nam, cum dicitur *signaculum doni*, idem est ac *ecce donum*, quod significat *do tibi* vel *datur tibi per meum ministerium donum*.

20. Scholium. Contra prædictam formam Confirmationis sive in Ecclesia Latina, sive apud Græcos adhibitam, objiciunt adversarii illam ante sæculum octavum prorsus inauditam fuisse, essentialiterque differre a forma deprecatoria, quæ olim in usu erat, uti colligere est ex his verbis *Actuum* (VIII, 15) : « *Oraverunt* pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum. » At respondere licet : — 1. formam *signo te signo crucis*, etc., quamvis non reperiatur integre in S. Scriptura vel antiquioribus Patribus, aliquatenus tamen innui in variis locis; Apostolus enim de chrismatione mentionem facit, ut jam dictum fuit, ubi de materia Confirmationis : porro hæc chrismatio non sine verbis adhibebatur. Cæterum Scriptura, sive brevitatis, sive arcani servandi causa, non omnia refert. Quoad vero antiquos Patres, non omnino silent de hac forma, et facile explicatur eos multa prætermisisse de ritibus sacramentalibus, quæ, cum in continuo usu essent, a nemine ignorabantur. — 2. Effectum confirmationis seu Spiritum sanctum aliquando tribui *orationi*, quia per orationem homo præparatur ad accipiendum Spiritum sanctum. Præterea in omni forma, etiam indicativa, involvitur tacita oratio, qua minister opem divinam invocat.

CAPUT III.

DE EFFECTIBUS SACRAMENTI CONFIRMATIONIS.

21. Prænotanda. Certum est — 1. *per Confirmationem in anima imprimi characterem, ideoque hoc sacramentum iterari non posse.* Illud sat probatum fuit in Tractatu *de Sacramentis in genere*. Ob hunc effectum SS. Patres Confirmationem

appellant *signaculum*, *sigillum*, *characterem dominicum*. Nec dicatur Confirmationem quandoque olim iteratam fuisse; etsi enim mos exstiterit eos qui in hæresi baptizati et confirmati convertebantur, per manus impositionem in Ecclesia Latina, vel per chrismatis unctionem in Ecclesia Græca recipiendi, constat hunc ritum non fuisse ritum Confirmationis, sed ritum mere reconciliativum.

22. Certum est — 2. *Sacramentum Confirmationis producere gratiam sanctificantem ex opere operato.*

Id definivit conc. Tridentinum anathemate damnando eos omnes qui contendebant sacramentis non conferri gratiam sanctificantem ex opere operato, vel Confirmationem non esse verum et proprie dictum novæ Legis sacramentum.

Huc autem veniunt omnes probationes quibus demonstratum est septem esse sacramenta novæ Legis, Confirmationem esse sacramentum, et omnia sacramenta novæ Legis conferre gratiam sanctificantem ex opere operato.

23. Certum est — 3. *Confirmationem ex primaria sua institutione non primam, sed secundam gratiam conferre.* Hoc etiam constat ex dictis in Tractatu *de Sacram. in genere*, et confirmabitur ex mox dicendis.

Cum vero omnia novæ Legis sacramenta gratiæ communiter dictæ aliquid addant, fusius declarandum est in quo consistat specialis ille sacramenti Confirmationis effectus, seu quænam sit sacramentalis ejus gratia. Ad hanc quæstionem solvendam sit sequens

24. Assertio : *Proprius Confirmationis effectus in hoc reponendus est, quod vitam supernaturalem in baptismo incœptam per verum incrementum perficiat, animamque roboret ad fidem intrepide et fortiter propugnandam.*

Prob. 1. *Scriptura Sacra* (*Luc.*, xxiv, 49) : « Ego mitto » promissum Patris mei in vos; vos autem sedete in civitate » quoadusque induamini *virtute* ex alto. » (*Act.*, i, 8) « Acci- » pietis *virtutem* supervenientis Spiritus sancti in vos, et eritis » mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa et Samaria, et » usque ad ultimum terræ. » Unde sic argumentari licet : Gratia propria Confirmationis eadem est, ex omnium confesso,

ac ea quam Apostoli juxta Christi promissiones in cœnaculo receperunt : atqui hæc fuit gratia *perficiens* et *roborans*, qua testes dominicæ resurrectionis ipsi fuerunt coram Judæis et Gentibus. Ergo eadem gratia perficiens et roborans proprius est Confirmationis effectus.

PROB. 2. *Traditione*, quæ sive in scriptis SS. Patrum, sive in declarationibus Summorum Pontificum, sive in decisionibus conciliorum, gratiam in sacramento Confirmationis collatam exhibet velut gratiam *perficientem*, *consummantem*, *roborantem*.

S. Cyprianus (epist. 73 *ad Jubaïn.* dixit) : « Nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, et per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur, et signaculo Dominico *consummentur*. » S. Ambrosius (lib. 3. *de Sacram.*, c. 2, n. 8) ait : « Sequitur spirituale signaculum, quod audistis hodie legi; quia post fontem superest, ut *perfectio* fiat, quando ad invocationem Spiritus sanctus infunditur. » S. Cyrillus Alex. (*in Joel*, II, 23) scribit : « Data est nobis ceu in pluvia aqua vivens sacri baptismatis..... Accessit item usus *olei*, qui per S. Baptisma in Christo justificatis *ad consummationem conferret*. »

Quoad vero *Summos Pontifices*, Clemens Papa (lib. 3 *Constitutionum*, cap. 17) dicit : « Nisi regeneratus fuerit ab Episcopo confirmatus, *perfectus esse christianus* nequaquam potest. » — Urbanus I (ep. 1, c. 7) : « Omnes fideles per manuum impositionem episcoporum Spiritum sanctum post baptisma accipere debent, ut *pleni christiani* inveniantur; » Innocentius vero III (in cap. unico *de Sacra unctione*) : « Per frontis chrismationem, manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio; quia per eam Spiritus sanctus ad *augmentum* datur *et robur*.

Ex conciliis duplex testimonium adduci potest. In conc. Eliberitano, initio sæculi IV, statuitur catechumenum a laico in casu necessitatis baptizatum, si supervixerit, ad Episcopum perducendum esse, « ut per *manus impositionem perfici* possit. » Concilium vero Florentinum in decreto ad Armenos sic se

habet : « Effectus hujus sacramenti (Confirmationis) est, quia in eo datur Spiritus Sanctus *ad robur*, sicut datus est Apostolis, in die Pentecostes, ut videlicet Christianus audacter Christi nomen confiteatur. »

Totam hanc SS. Patrum, Summorum Pontificum et conciliorum doctrinam præclare exponit Catechismus Rom. (pars II, *de Confirm.*, n. 17); ait quippe : « Illud proprie Confirmationi tribuitur, quod baptismi gratiam *perficit* : qui enim per baptismum christiani effecti sunt, quasi infantes modo geniti teneritatem adhuc et mollitiem quamdam habent, ac deinde Chrismatis sacramento adversus omnes carnis, mundi et diaboli impetus *robustiores fiunt*; et eorum animus in fide omnino *confirmatur* ad confitendum et glorificandum nomen Domini nostri Jesu Christi : ex quo etiam nomen ipsius inventum esse nemo dubitavit... »

Nec vero confirmat solum, sed *auget* etiam : de quo Melchiades ita testatur : Spiritus Sanctus qui super aquas baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam : in Confirmatione *augmentum* præstat ad gratiam : deinde non auget modo, sed *admirabili quadam ratione* auget. Hoc autem pulcherrime *indumenti* translatione Scriptura significavit atque expressit. Inquit enim Dominus Salvator, cum de hoc sacramento loqueretur : « Sedete in civi- » tate quoadusque *induamini* virtute ex alto. »

Prob. 3. *Ratione*, quam affert S. Thomas (3. q. 72, a. 5) : « Sicut baptismus, inquit, est quædam spiritualis regeneratio in vitam christianam, ita etiam Confirmatio est *quoddam spirituale augmentum promovens hominem in spiritualem ætatem perfectam.* Manifestum est autem ex similitudine corporalis vitæ, quod alia est actio hominis statim nati, et alia actio, quæ competit ei, cum ad perfectam ætatem venerit. Et ideo per sacramentum Confirmationis datur homini potestas spiritualis ad quasdam alias actiones sacras præter illas, ad quas datur ei potestas in baptismo. Nam in baptismo accipit homo potestatem ad ea agenda, quæ ad propriam pertinent salutem, prout scilicet secundum seipsum vivit. Sed in Confirmatione accipit homo potestatem ad agendum ea, quæ pertinent ad pugnam

spiritualem contra hostes fidei. » Et (*ibid.*, ad 1) : « Pugna spiritualis contra hostes invisibiles omnibus competit; sed contra hostes visibiles, id est, contra persecutores fidei pugnare, nomen Christi publice confitendo, est *confirmatorum*, qui jam sunt *perducti spiritualiter ad virilem ætatem.* »

Nec dicatur — 1. multos, confirmatione suscepta, christiane non vivere, imo et Christum erubescere ac fidem negare; ex his enim illud unum colligi potest, scilicet, vel indigne sacramentum susceptum fuisse, vel sacramento rite suscepto cooperationem ac fidelitatem defuisse. — 2. Multos solum baptizatos, nec confirmatos, strenuos ac fortes fuisse in profitenda fide; nam Deus impossibilia non jubet, ac proinde sufficientes omnibus baptizatis confert gratias ad fidem confitendam; quibus si bene utantur, victoriam in prælio obtinebunt; sed nihil impedit quin uberiores adhuc gratiæ iis, qui Confirmationem susceperunt, conferantur.

Ex his vero patet gratiam sacramentalem Confirmationis esse ipsammet gratiam sanctificantem, prout vitam spiritualem jam in baptismo acceptam auget et perficit, animæque speciale robur ad pugnam spiritualem confert, cum jure ad recipienda tempore opportuno auxilia specialia, quorum ope christianus audacter Christi nomen confiteatur, ac tentationes, quæ ex parte diaboli vel mundi contra fidem insurgunt, fortiter superet.

25. Quæritur 1. *An et quo sensu detur in Confirmatione ipse Spiritus Sanctus.*

Resp. 1. Fatentur omnes *per Confirmationem dari plenitudinem Spiritus Sancti, ejusque dona abundantiori modo in animam infundi;* et constat — tum ex innumeris Patrum et conciliorum testimoniis, in quibus expressis verbis asseritur Spiritum Sanctum per Confirmationem ad fidem fortiter profitendam dari; — tum ex Pontificali, in quo septem dona Spiritus Sancti apud Isaiam (xi, 2, 3) relata, super confirmandos ab Episcopo invocantur.

Unde datur quidem in baptismo Spiritus Sanctus cum ipsius donis, sed non in tanta plenitudine, nec in ordine ad eosdem fines.

Resp. 2. At dici nequit, nisi per antonomasim, Spiritum Sanctum *speciatim, et alio titulo ac Patrem et Filium, in Confirmatione dari.* Talis enim communicatio Spiritus Sancti aliter concipi nequit nisi per unionem hypostaticam animam inter et Spiritum Sanctum : porro in Confirmatione, omnibus fatentibus, non datur unio hypostatica animæ cum Spiritu Sancto. Igitur, si quandoque in Confirmationis definitione asseritur per hoc sacramentum Spiritum Sanctum conferri, hæc verba id tantum significant, nempe in Confirmatione hominem effici perfectum Christianum et Spiritum Sanctum illi modo perfectiori quam in baptismo dari.

Exinde vero fit *quod per antonomasim recte dicatur Spiritum Sanctum dari in Confirmatione.* Neminem enim fugit animarum sanctificationem et gratiam per appropriationem Spiritui Sancto tribui; imo gratiam sanctificantem haud raro in Scripturis et Traditione simpliciter appellari Spiritum Sanctum : porro ex hoc facile intelligitur Spiritus Sancti communicationem Confirmationi tribui, cum proprius ejus effectus in eo consistat, ut per eam baptizati perfecti christiani evadant, abundantiori et sublimiori modo gratiam et Spiritus Sancti dona recipiendo.

Nec dicatur idem fieri in sacramento ordinis; etsi enim gratia et Spiritus Sancti dona excellentissimo gradu in illo conferantur, attamen non in eo sistit proprius ejus sacramenti effectus, sed ordinatur ad conferendam suscipientibus potestatem et gratiam quibus sacra munia digne obire valeant, proindeque ordo dici nequit, per antonomasim, sicut Confirmatio, sacramentum Spiritus Sancti.

26. Quæritur 2. *Utrum major gratia in Confirmatione quam in baptismo conferatur?*

Resp. Id quidem nonnulli negant, et est ratio dubitandi, tum quia gratia baptismalis, cum sit regenerativa et perfecte remissiva omnis culpæ, videtur esse maxima, et revera maximis encomiis a SS. Patribus commendatur; tum quia, cum illud sacramentum sit majoris necessitatis, verisimile videtur majorem gratiam in eo esse a Christo promissam.

Communius tamen et verius affirmatur. Nam SS. Patres

dicunt hoc sacramentum conferre perfectionem homini christiano, qui post Confirmationem comparatur ad seipsum tantum baptizatum, sicut vir ad puerum. Unde Melchiades Papa interrogatus quod sit majus sacramentum, baptismus an confirmatio, absolute videtur Confirmationem præferre, dicens : « Scitote utrumque magnum esse sacramentum ; et sicut unum a majoribus fit, id est, a summis Pontificibus, quod a minoribus perfici non potest, ita et majori veneratione venerandum et tenendum est. » Nec aliter sentit D. Thomas, quippe qui (q. 72, art. 11, ad. 3) dicit chrismatis unctionem episcopis reservari propter *potiorem effectum* hujus sacramenti, in quo datur septiformis gratia Spiritus Sancti cum omni plenitudine sanctitatis, scientiæ et virtutis.

CAPUT IV.

DE MINISTRO SACRAMENTI CONFIRMATIONIS.

27. Duplex est, ut jam diximus, minister sacramenti : *ordinarius* unus, *extraordinarius* alter. Minister *ordinarius* ille est qui, ex ordinatione sua, completam habet sacramenti administrandi potestatem, saltem valide. — Minister *extraordinarius* ille est qui speciali superiorum concessione vel delegatione indiget, licet virtute ordinis sui aliquam, saltem inchoatam, habeat potestatem conferendi sacramentum. — Disserendum est igitur : — 1° de ministro Confirmationis ordinario ; — 2° de ministro ejusdem extraordinario.

ARTICULUS I.

De ministro Confirmationis ordinario.

28. Errores. Photius, nefandi schismatis Græcorum parens et sedis Constantinopolitanæ invasor, voluit episcopis et presbyteris parem esse confirmandi potestatem. Photii doctrinam admittunt Græci schismatici perplures.

Assertio : *Solus episcopus, ex sua ordinatione, minister est ordinarius sacramenti Confirmationis.*

Est de fide. Conc. Trid. (sess. 7, can. 3) ait : « Si quis » dixerit Sanctæ Confirmationis *ordinarium ministrum*, non » esse *solum episcopum*, sed quemvis simplicem sacerdotem : » anathema sit. »

Prob. 1. *Ex SS. Patr.* S. Cyprianus (epist. 73, *alias* 70, *ad Jubaianum*) : « Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, *præpositis Ecclesiæ* offerantur, ut per nostram orationem, et manus impositionem Spiritum S. consequantur et signaculo dominico consummentur. » — S. Autinus (lib. 15, *de Trin.*, c. 26, n. 46) : « Neque enim *aliquis discipulorum* Christi dedit Spiritum S. Orabant quippe ut veniret in eos quibus manum imponebant, non *ipsi dabant*. Quem morem in *suis præpositis* etiam nunc servat Ecclesia. » — S. Innocentius I (*epist. ad Decentium*, c. 3) : « Hæc autem *solis pontificibus* deberi, ut vel consignent, vel Spiritum S. tradant, non solum consuetudo Ecclesiarum demonstrat, verum et illa lectio Apostolorum quæ asserit Petrum et Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum S. » — S. Leo (epist. 88) ait : « Chorepiscopis non licere chrismate baptizatorum frontes signare, quia hoc *solis episcopis* convenit. »

Prob. 2. *Conciliis.* Conc. Hispalense (sess. 7, can. 7) : « Non licet *presbyteris* per manus impositionem fidelibus baptizatis Spiritum Paracletum dare. » — Conc. Eliberatense (can. 77) : « *Epicopus* baptizatos per benedictionem perficere debet. » — Conc. Florentinum : « Confirmationis ordinarius minister est *episcopus*. »

Prob. 3. *Praxi perpetua Ecclesiæ ;* illa praxis innotescit omnibus ritualibus, præsertim Latinis, quibus constat perpetuam fuisse consuetudinem Ecclesiæ, imprimis Occidentalis, ut soli episcopi, nunquam presbyteri, ex officio confirmarent.

Rationem convenientiæ affert Angelicus (3, q. 72, a. 11) ex hoc depromptam quod « per sacramentum Confirmationis quasi domus ædificata dedicatur in templum Spiritus Sancti, et quasi epistola conscripta signatur signo crucis. Et ideo col-

latio hujus sacramenti episcopis reservatur, qui obtinent summam potestatem in Ecclesia. »

Et vero ad ducem et principem pertinet cives militiæ adscribere, consignare et instruere ad pugnam : atqui homo per baptismum fit Ecclesiæ civis, per Confirmationem autem militiæ christianæ adscribitur, consignatur et ad pugnam instruitur. Ergo ad episcopos, qui munere ducis ac principis in Ecclesia funguntur, confirmare spectat.

Dicitur *ex ordinatione sua.* Eo enim tendunt téxtus invocati et argumenta proposita, ut stabiliant potestatem confirmandi episcopis competere ratione characteris per ordinationem episcopalem impressi. Unde sequitur hanc potestatem ordinis esse, non jurisdictionis, ac proinde quamlibet episcopum rite consecratum, sacramentum Confirmationis ubique posse valide conferre.

29. Quæritur 1. *An et quatenus jurisdictio necessaria sit ut potestas confirmandi ab Episcopo legitime exerceatur.*

Resp. 1. Potestas confirmandi legitima penes est solum episcopum canonice institutum pro sua diœcesi, vel ab eo delegatum, aut a S. Pontifice deputatum. — 2. Episcopus in aliena diœcesi, sine Ordinarii licentia confirmans, graviter peccat, et suspensionem a conc. Trid. latam (sess. 6, can. 3, *de Ref.*) incurrit, ut declaravit S. Congregatio concilii interpres. — 3. Episcopus in propria diœcesi alienos diocesanos confirmat ex legitime præsumpto consensu proprii ordinarii, qui velle suas oves non privari hoc sacramento, cum nullum incommodum ex eo ipsi proveniat, præsumitur.

30. Quæritur 2. *An et quatenus Episcopi confirmationem administrare teneantur.*

Resp. 1. Docent omnes adesse pro episcopo præceptum ministrandi sacramentum Confirmationis subditis, illumque non legitime impeditum lethaliter peccare, si hujus sacramenti administrationem nimis protrahat, et præcipua saltem diœcesis suæ loca eo fine visitare negligat, ob bona spritualia quibus subditos suos privat. Sufficit, juxta DD. Gousset (n. 143), ut hæc visitatio fiat intra octo vel etiam decem annos.

Resp. 2. Quidam affirmant episcopum teneri sub mortali ad

Confirmationem ministrandam infirmo eam petenti; alii vero negant cum S. Lig. (n. 175) ob praxim communem et incommodum. DD. Bouvier levem obligationem in eo casu pro episcopo agnoscit.

ARTICULUS II.

De ministro Confirmationis extraordinario.

31. Plures antiqui auctores tenuerunt Confirmationis sacramentum a presbyteris nullatenus conferri posse. Contra illos sit sequens

Assertio : *Simplex sacerdos, ex speciali S. Pontificis delegatione, sacramentum Confirmationis valide et licite conferre potest.*

Prob. 1. *Praxi universali Ecclesiæ*, Latinæ scilicet et Græcæ.

Et quidem 1. *praxi Ecclesiæ Latinæ.* S. Gregorius (epist. 26 ad Januarium, Calaritanum episcopum) ait : « Ubi desunt episcopi, ut *presbyteri* etiam in frontibus baptizatos *chrismate tangere* debeant, concedimus. » Eamdem potestatem concesserunt Nicolaus IV, Urbanus V, et alii quamplurimi; ipse Benedictus XIV testatur se hanc concessisse facultatem simplicibus presbyteris (*de Syn.*, lib. VII, c. 7, n. 6). Hæc est hodierna S. Pontificis praxis erga missionarios in longinquis regionibus degentes.

Item 2. *praxi Ecclesiæ Græcæ.* Certum est enim in Ecclesia Græca ritu antiquissimo receptum esse, ut presbyteri Confirmationis sacramentum ministrarent. « Longe ante Photianum schisma, inquit Benedictus XIV (*de Syn. diœc.*, lib. 7, c. 9, n. 1) fuisse Græcorum moribus receptum, ut *simplices sacerdotes* baptizatos infantes statim sacro chrismate inungerent, demonstrant Morinus et alii. » Porro certum est valere Confirmationem a Græcis presbyteris collatam, quia, cum Græcos in conciliis Lugdunensi et Florentino Ecclesia Latina in suam communionem admisit, Confirmationem ab eorum presbyteris collatam ut invalidam non rejecit; imo « ex concilio Florentino certo conjicimus, ait Benedictus XIV (*loc. cit.*), Confirma-

tionem, etsi a simplici sacerdote administratam, a Latinis Patribus ratam habitam fuisse. » Ergo:

PROB. 2. *Conciliis.* Conc. Flor. et Trid. vocant episcopum Confirmationis *ordinarium* ministrum; ergo extraordinarius esse debet, scilicet, presbyter, qui post episcopum primas tenet partes. Addit Florentinum conc. : « Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationali et urgente admodum causa, simplicem sacerdotem chrismate per episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis sacramentum. »

Dictum fuit — 1. *Simplex sacerdos;* unde qui charactere sacerdotali non esset insignitus delegationis incapax esset; requiritur enim juxta doctores ordo sacerdotalis ad validam Confirmationis administrationem. — 2. *Ex speciali delegatione*, quæ delegatio requiritur non tantum ad licitam, sed et ad validam administrationem sacramenti, juxta sententiam ab omnibus receptam. Dicendum igitur est confirmandi potestatem, inchoatam, incompletam, extraordinariam, et dependentem a superiore, esse ordinis sacerdotalis, inesseque presbyteris per characterem sacerdotalem. — 3. *Summi pontificis*; juxta multos quidem, attenta rerum natura, confirmare possent presbyteri ex concessione episcopi cujuslibet pro sua diœcesi; sed certum est saltem hanc potentiam delegationis esse nunc S. Pontifici reservatam; et ideo declarat Benedictus XIV (*de Syn.*, lib. 7, c. 8, n. 7) irritam nunc fore Confirmationem a simplici presbytero Latino ex sola episcopi delegatione collatam. Quoad Græcos presbyteros, alteriusve ritus Orientalis sacerdotes, Confirmatio irrita reputanda est, si in diœcesibus episcoporum Latinorum, vel iis in locis Orientalis Ecclesiæ collata fuerit, in quibus confirmandi facultas eis a S. Sede expresse fuerit adempta. Sed in locis in quibus Confirmatio data a sacerdotibus Græcis non est a Sede Apostolica expresse improbata, ea pro valida habenda est, ob tacitum saltem privilegium ab eadem S. Sede illis concessum, nec revocatum.

Nec proinde mirum videatur, si Nicolaus I jusserit ut hoc sacramentum apud Bulgaros a presbyteris Græcis administratum iteraretur. Bulgaria enim pertinebat ad patriarchatum

occidentalem, nec ideo legitima delegatione potiebantur Græci illi presbyteri, qui aliunde missionem a Photio intruso acceperant. Ita etiam Benedictus XIV (*de Syn.*, lib. 7, c. 9, n. 3, 4, 5).

CAPUT V.

DE CONFIRMATIONIS SUBJECTO.

32. Subjectum Confirmationis ille est qui hujus sacramenti effectus percipere potest. De eo tria nobis inquirenda veniunt, nempe : — 1° quinam Confirmationis capaces sint; — 2° quænam hujus sacramenti suscipiendi necessitas detur; — 3° quæ requirantur dispositiones in suscipiente.

§ I. Quinam Confirmationis capaces sunt?

33. Certum est solum baptizatum esse Confirmationis suscipiendæ capacem. Nam, ex dictis in Tractatu *de Sacramentis in genere*, baptismus est omnium aliorum sacramentorum janua. Unde S. Thomas (3 p., q. 72, art. 6) : « Si quis non baptizatus confirmaretur, nihil acciperet; sed oporteret iterato ipsum confirmari post baptismum. »

Quæstio igitur est tantum an et qua ætate baptizatus quilibet sacro debeat chrismate inungi. Quæ ut solvatur, sit sequens

34. Assertio : *Omnis homo baptizatus, sive infans, sive adultus, est capax Confirmationis; nullus tamen hodie regulariter confirmandus est, in Ecclesia Latina, nisi adepta rationis ætate.*

CONSTAT 1ª PARS, scilicet *omnem baptizatum esse capacem Confirmationis,*

1. *Agendi ratione Apostolorum*, qui, ut legere est in eorum Actibus, baptizatis omnibus manus indiscriminatim imponebant.

2. *Antiqua Ecclesiæ praxi*, apud Græcos adhuc vigente, juxta quam statim post baptisma, absque ullo ætatis discrimine, Confirmatio cuilibet conferebatur.

3. *Ratione*, quæ suadet omnem baptizatum esse capacem

hujus vitæ supernaturalis incrementi ac roboris, quod est proprius Confirmationis effectus.

CONSTAT 2ª PARS, nimirum *neminem confirmandum esse in Ecclesia Latina ante adeptam rationis ætatem*, praxi a pluribus sæculis in Ecclesia latina vigente. Pontificale enim Romanum præscribit ut *nullus christianæ fidei rudimentis non edoctus* ingerat se ad percipiendum hoc sacramentum. Catechismus vero conc. Trid. ait (*de Confirm.*, n. 15) : « Illud observandum est, omnibus quidem, post baptismum, Confirmationis sacramentum posse administrari, sed minus tamen expedire hoc fieri *antequam rationis usum habuerint*. Quare, si duodecimus annus non exspectandus videatur, usque ad septennium certo hoc sacramentum differri maxime convenit. » — Demum Benedictus XIV (in constitut. 129 *Eo quamvis*, § 6) ait : « Nihilominus abrogato prorsus a Romana Ecclesia... ejusmodi more, consultissimis Pontificum decretis provide cautum est, ut renatis fonte baptismatis conferretur sacramentum Confirmationis *in ea solum ætate, in qua fideles... intelligerent* tantum inter se differre baptismum et Confirmationem, quantum in naturali vita distat generatio ab incremento. »

Unde concludunt S. Lig. (lib. 6, n. 178), et DD. Bouvier hanc praxim hodiernam immutari non posse absque peccato mortali. Illius autem praxis rationes sunt : — 1. Ut cum majori reverentia et fructu uberiori, propter dispositiones actuales, suscipiatur sacramentum. — 2. Ut secunda fidei professio, quæ in Confirmatione reperitur, fiat libere et deliberate ab iis qui in baptismate, mediantibus sponsoribus, fidem ac vitam Evangelio conformem promiserunt.

Infantulis tamen morituris licite datur confirmatio. Idem dicendum est de perpetuo amentibus, quibus, ubi est commoditas, conferendum est hoc sacramentum, quia in eis non exspectatur usus rationis et capaces sunt majoris gratiæ et gloriæ, qua alioquin privarentur.

§ II. Quænam sit necessitas Confirmationis recipiendæ?

35. Opiniones. Veteres quidam theologi docuisse videntur Confirmationis sacramentum necessarium esse necessitate me-

dii. Inter recentiores autem pluribus placuit Confirmationem ne præcepti quidem necessitate, nisi forsan per accidens, necessarium esse, tum quia nullibi legere est illud præceptum; tum quia non desunt media, quibus suppleri potest Confirmatio, ad debellandos salutis hostes; tum quia demum nullum assignari potest tempus quo illud præceptum urgeat. Sed quam immerito propugnatæ fuerunt hæc opiniones, sequens demonstrabit

36. Assertio. *Confirmationis sacramentum non est quidem necessarium necessitate medii, sed tamen adultis necessarium est necessitate præcepti, quod graviter obligat.*

PROB. 1ª PARS, scilicet *Confirmationem non esse necessariam necessitate medii.*

1. *Scriptura Sacra* (Marc., XVI, 16) dicente : « Qui *crediderit* » et *baptizatus fuerit*, salvus erit. » Item Joan. (XX, 23) : « Quorum remiseritis peccata, *remittuntur eis*, et quorum re- » tinueritis, retenta sunt. » Ex quibus patet sufficere baptismi aut pœnitentiæ sacramentum, pro suscipientium conditione, ut peccata deleantur, et jus acquiratur ad cœlestem beatitudinem.

2. *Concilio Trident.* declarante (sess. 5, c. 5) « nihil damnationis inesse iis qui vere consepulti sunt cum Christo per baptismum in mortem; » et (sess. 14, c. 1) « pœnitentiæ sacramentum fideles Deo reconciliare, quoties post baptismum in peccata labuntur. »

3. *Praxi Ecclesiæ*, non præcipientis Confirmationem dari pueris rationis usu destitutis, nec media adhibentis, ut omnes baptizati illud sacramentum suscipere queant. Desunt enim evidenter ministri, qui illud ministrare valeant. Imo Catechismus Romanus vult imprimis docendos esse fideles hoc sacramentum ejusmodi necessitatem non habere, ut sine eo salvus quis esse non possit.

4. *Ratione.* Hic est enim Confirmationis effectus, ut gratiam baptismalem compleat, hominemque promoveat in ætatem perfectam. Unde, juxta Angelicum Doctorem, *datur ad quamdam excellentiam :* porro quæ ad *complementum*, ad *excellentiam* conferuntur, necessaria non sunt, immeritoque a cœlo excluderetur, qui gratia regenerationis donatus est.

PROB. 2ª PARS, nempe *Confirmationem esse necessariam necessitate præcepti*

1. *Conciliis.* Sic enim se habet concilium Laodicenum (cap. 48) : « *Oportet* eos qui illuminantur post baptisma inungi super cœlesti chrismate. « Item concilium Eliberitanum (can. 77) ait : « Baptizatos a diaconis Episcopus per benedictionem perficere *debet.* « Tandem concilium Mediolanense IV decernit : « Moneant parochi sacramentum Confirmationis *non debere* a veris christianis *negligi.* »

2. *Auctoritate pontificia* Nam Catechismus Romanus a tot Summis Pontificibus approbatus explicite docet (pars 2 *de Conf.*, n. 14) : « Quanquam (hoc sacramentum) necessarium non est, a nemine tamen *prætermitti debet.* » — Ipse Benedictus XIV, agens de iis qui a simplici sacerdote Italo-Græco nulliter confirmati erant, ait (constit. 57, *Etsi postoralis*, § 3, n. 4) : « Monendi sunt ab ordinariis locorum eos *gravis peccati reatu* teneri, si, cum possint, ad confirmationem accedere renuunt ac negligunt. »

3. *Rat. theol.* Illud enim præceptum deducitur — 1. *Ex jure naturali*, quia quisque ex jure naturali tenetur impedire ne grave damnum, præsertim spirituale, patiatur : atqui grave damnum spirituale ex omissione Confirmationis sequitur. « Maxime cavendum est, inquit citatus catechismus, ne in re sanctitatis plena, per quam nobis divina munera tam large impertiuntur, aliqua negligentia committatur : quod enim omnibus communiter ad sanctificationem Deus proposuit, ab omnibus etiam summo studio expetendum est. » — 2. *Ex jure divino.* Credibile enim non est a Christo fuisse institutum medium salutis tam eximium ac sacramentum, ut illud hominum libertati permitteretur, et nullum esset illud suscipiendi impositum præceptum. — 3. *Ex jure ecclesiastico.* Urbanus II (dist. 5, can. 1, *de Consecratione*) ait : « Omnes fideles, per manus impositionem episcoporum Spiritum S. post baptismum accipere debent, ut pleni christiani inveniantur. » Ex quibus verbis plures ecclesiasticum præceptum eruunt. Ergo.

His momentis permotus, et imprimis auctoritate Bene-

dicti XIV, S. Ligorius (lib. 6, n. 182) ait sententiam negantem præceptum non videri hodie satis probabilem. Ita P. Gury, DD. Bouvier et alii.

Hoc autem præceptum præsertim urget — 1. *In casu periculi* pro fide aut caritate, si nempe sine Confirmationis susceptione adesset grave periculum amittendi fidem aut caritatem. — 2. *In casu scandali*, si grave daretur scandalum, puta, si vera existeret suspicio circa fidem, scilicet suspicio contemnendi Confirmationem, vel illam non habendi ut sacramentum.

37. Corollaria. Hinc 1. Graviter peccat qui ex negligentia, et a fortiori ex contemptu, data occasione, sacramentum Confirmationis non recipit, nisi prævideat aliud tempus opportunum fore illud suscipiendi. — 2. Graviter etiam peccant parentes, tutores, heri aliique similes, qui suos nondum confirmatos ad susceptionem hujus sacramenti non præparant, aut tempus ad præparationem necessarium concedere nolunt. Ita Bened. XIV (inst. 6, n. 10).

§ III. Quænam dispositiones requirantur ad Confirmationem suscipiendam?

38. — I. Ex parte corporis. — 1. Qui confirmandus est, *jejunus*, si fieri possit, accedat. « Confirmandi deberent esse jejuni, » inquit Pontific. Romanum. Quæ jejunii consuetudo tam stricte olim servabatur, ut pueri lactentes ad vesperam usque jejunarent, ut, post baptismum, Confirmationis donum acciperent. — 2. *Frontem mundam et nitidam* habere debet. — 3. Cum *vestitu simplici et modesto*, vir armis depositis, mulier sine immoderato ornatu, accedere debet.

39. — II. Ex parte animæ. — 1. Requiritur *scientia competens*, id est, cognitio rudimentorum fidei christianæ, ut loquitur Pontificale; ideo confirmandus cognoscere debet res necessarias necessitate tum medii, tum præcepti, et ea quæ sacramenti Confirmationis excellentiam spectant. — 2. *Status gratiæ*, quia sacramentum Confirmationis est vivorum, non mortuorum sacramentum. « Adulti, inquit Pontificale, deberent prius peccata confiteri, et postea confirmari, vel saltem de

mortalibus, si in ea inciderunt, conterantur. » Ex quibus sequitur actum contritionis perfectæ esse peccatoribus Confirmationem suscepturis omnino necessarium, si confiteri nolint; pœnitentiæ autem sacramentum esse valde consulendum ante Confirmationem. Confessarii uti debent prudentia, quando de pœnitentibus confirmandis, præsertim viris, agitur.

Insuper, ut merito adnotant auctores, ad uberiores fructus ex hoc sacramento percipiendos, æquum omnino est fideles pietatis operibus ad illud disponi, præsertim vero oratione. Unde maxime convenit ut parochi parochianos suos Confirmationem suscepturos per sex hebdomadas, aut duos menses, sollicite præparent, eos frequenter erudiendo, in confessione audiendo, et totis viribus satagendo ut solemnitas Confirmationis sit in parochia renovationis spiritualis occasio.

CAPUT VI.

DE CÆREMONIIS CONFIRMATIONIS.

40. Cæremoniarum Confirmationis nomine veniunt non tantum ritus eximiam significationem præ se ferentes, qui in ejus administratione usurpantur, sed etiam nonnullæ circumstantiæ quæ ad illius collationem proxime spectant. Itaque, ut opus nostrum compleamus, dicemus — 1° de circumstantiis ad sacramenti Confirmationis administrationem attinentibus; — 2° de ritibus in ejus collatione ab episcopo adhibitis; — 3° de significatione cæremoniarum Confirmationis.

§ I De quibusdam circumstantiis ad administrationem sacramenti Confirmationis attinentibus.

41. — **I. De loco et tempore.** Confirmatio generatim in ecclesia conferri debet. — Probabilius est tamen illam administrari posse, saltem sine gravi peccato, in loco decenti extra ecclesiam. Ideo nullum peccatum admitteret episcopus Confirmationem conferendo extra ecclesiam, ob nimiam confirmando-

rum multitudinem, vel propter aliam rationabilem causam. Ita S. Lig. (lib. 6, n. 174).

Quoad tempus, quidquid sit de antiqua consuetudine, jam usus obtinuit quod Confirmatio administrari possit quocumque die, festivo aut feriali, et quacumque hora, matutina vel vespertina (S. Lig., ibid.).

42. — II. De situ confirmandorum. Mares ab una parte, ab altera feminæ in ecclesia sistere debent; et quod vetus ritus est, primum mares, deinde feminæ, genibus flexis confirmentur, nisi aliquando aliter episcopus censuerit. Confirmandis sedulo præscribendum est ut manus junctas ante pectus teneant, illasque ad frontem nulla ratione admoveant tempore Confirmationis, ne sanctum chrisma tangant. In manibus intra pollicem et indicem habeant confirmandi schedam in qua horum nomina inscribuntur; non necesse est ut nomina in baptismate data servent, sed alia eligere illis liberum est.

43. — III. De patrino et matrina. Antiquitus aderant in Confirmatione patrini et matrinæ; deinde unicus datus fuit omnibus maribus confirmandis patrinus, et feminis matrina unica. Imo in multis regionibus, saltem in Galliis, usus prævaluerat Confirmationem ministrandi sine patrino vel matrina. Sed Sancta Sedes reclamavit, et jussit ut præscriptiones canonicæ de patrino vel patrina in Confirmatione adhibendis deinceps observarentur. Episcopi tamen obtinuerunt, ut, ratione habita circumstantiarum, unicus patrinus confirmandis maribus, et feminis unica matrina assignaretur.

Ut vero ad praxim rite deducatur antiqua illa disciplina, cujus instaurationem promovet S. Sedes, non abs re erit hoc in loco ea referre, quæ S. Congregatio de Propaganda fide sacerdotibus commendat, qui, ex sedis Apostolicæ delegatione, Confirmationem administrant :

« Quamquam de necessitate hujus sacramenti non sit, ut in eo recipiendo patrinus vel matrina adhibeatur, id tamen laudabilis Ecclesiæ consuetudo suadet sacrique canones præscribunt.

» Ab hoc vero munere excluduntur tum minores annis quatuordecim, tum qui sacramentum Confirmationis nondum re-

ceperunt. Verum quia contingere potest, ut in locis missionum nullus adsit qui antea confirmatus fuerit, permittitur in hoc casu, ut aliqui sine patrino confirmentur, qui postea patrini cæterorum esse poterunt.

» Ad patrinos hujusmodi quod attinet, hæ insuper regulæ erunt observandæ : — 1. Ut non plures, sed unus tantum, sive vir, sive mulier, in patrinum aut matrinam adhibeatur; — 2. Ut nec feminis mares, nec maribus feminæ patrini officium præstent, sed suo quisque sexui patrinus adhibeatur; — 3. Ut, nisi necessitas cogat, idem non sit, sed diversus Confirmationis patrinus a patrino baptismi; — 4. Ut a patrini munere arceantur excommunicati, interdicti, publici peccatores, aut qui præceptum paschale omiserint.

» Circa cognationem spiritualem quæ in hoc sacramento contrahitur, hæc statuit Tridentina synodus (sess. 24, *de Reform.*) : « Ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem et confirmatum, illiusque patrem et matrem, ac tenentem non egrediatur. » (*Inst. Congr. de prop. fide.*)

Controversia est inter auctores utrum patrinus non confirmatus contrahat cognationem spiritualem. Sententia communior et probabilior negat, eamque auctoritate sua confirmare videtur Sacra Congregatio Concilii responsione data 13 junii 1654 (Cf. S. Lig., l. 6, *de Conf.*, n. 186).

Patrinus autem vel matrina sic munere suo funguntur : si forte confirmandus sit infans, patrinus vel matrina dextera eum suscipit, ac tenens Episcopo offert ungendum : si vero confirmandus adultæ ætatis est, pedem suum ponit super dexterum pedem patrini vel matrinæ ipsum episcopo præsentantis. Mos tamen hodie invaluit ut patrinus manum dexteram super humerum dexterum confirmandi ponat, et hanc consuetudinem testatur Concina approbatam fuisse a S. Congregatione Rituum, die 20 septemb. 1749. Ita S. Ligorius (*loco cit.*, n. 187).

44. — IV. De registro. Valde convenit ut sit register in quo confirmatorum describantur nomina, tum ut impediatur reiteratio sacramenti, tum ut cognoscantur illius susceptionem negligentes, et excitentur. Major esset hujus registri necessi-

tas si existerent plures patrini et matrinæ, ne postea quædam fierent invalida matrimonia. In pluribus diœcesibus præscribitur.

§ II. De ritibus in administratione sacramenti Confirmationis ab Episcopo adhibitis.

45. — I. De manuum impositione. Ineunte Confirmationis administratione, episcopus extensis versus confirmandos manibus orat; hæc impositio manuum videtur quidem Confirmationi omnino accidentalis, ut superius dictum est; sed tamen non est omittenda. Manus impositio essentialis fit in chrismatione.

46. — II. De chrismatione et levi alapa. Post orationem, pontifex summitate pollicis dexteræ manus chrismate inuncta confirmandorum frontem inungit, dicens : *Signo te...* Hæc est cæremonia Confirmationis omnino necessaria, et sine illa non conficitur sacramentum. — Deinde vero leviter eum in maxilla cædit, dicens : *Pax tecum.*

47. — III. De nomine confirmandi. Pontifex, antequam confirmandum chrismate inungat, inquirit de illius nomine; nomen istud est ordinarie nomen baptismi; sed aliud eligi potest. Si vero cuipiam in baptismo nomen aliquod profanum, turpe vel superstitiosum impositum fuerit, hoc immutandum erit in Confirmatione.

48. — IV. De vitta linea. « Confirmato, inquit Pontificale, debet ligari frons, et sic manere quousque chrisma desiccetur, vel extergatur. Proinde unusquisque confirmandus portet lineam vittam mundam, cum qua ligetur caput. » Hæc cæremonia hodie non viget; frons confirmati statim post unctionem cum lanugine vel lino abstergitur.

49. — V. De Benedictione Pontificis. « Nullus confirmatus discedat, inquit Pontificale, nisi benedictione accepta, quam Pontifex post omnium confirmationem dabit. » Hanc igitur cum pia reverentia omnes suscipere debent confirmati.

§ III. De significatione cæremoniarum Confirmationis.

50. — I. Circumstantiæ quæ ad Confirmationem proxime at-

tinent, ad hujus sacramenti decus et reverentiam præsertim ordinantur. Una est tamen, munus scilicet quod præstat patrinus vel matrina, quæ non fit sine mysterii significatione. Nam, ait Catechismus Romanus (p. 2, c. 3, n. 12): « Si qui gladiatoriam dimicationem subeunt, alicujus indigent, cujus arte et consilio doceantur quibus ictibus et petitionibus, salvis ipsis, conficere adversarium possint; quanto magis fideles, cum sacramento Confirmationis quasi firmissimis armis tecti et muniti, in spirituale certamen, cui æterna salus proposita est, descendunt, ducis ac monitoris indigebunt? Recte igitur ad hujus quoque sacramenti administrationem patrini advocandi sunt. » — « Similiter etiam, inquit S. Thomas (3 p., q. 72, a. 10), quia per hoc sacramentum confertur homini perfectio spiritualis ætatis, ideo ille, qui ad hoc sacramentum accedit, sustentatur, quasi adhuc spiritualiter imbecillis et puer. » — Quantum igitur optandum erat, ut nostris temporibus, quæ pueritiæ ac juventuti tot tantisque periculis plena sunt, protectores et defensores, imo et patres Confirmatis denuo suppeditarentur!

51. — II. At vero mira, præsertim in ritibus ipsis ab episcopo confirmante adhibitis, elucet significatio quam facile quisque perspiciet, si singulos expendere velit. Et vero

Manuum impositio, quæ exordio functionis sacræ ab episcopo peragitur, una cum oratione *Omnipotens sempiterne Deus*, non habenda est tantum ut humilis professio humanæ fragilitatis, quæ sine divina virtute nihil efficere potest, sed etiam clare significat copiosam Spiritus Sancti gratiam, quæ in Confirmatione tribuitur.

Unctione autem *Chrismatis*, quæ fit in fronte ad modum seu figuram crucis, quibus virtutibus confirmatus pollere debeat, haud obscure innuitur. Audiatur Angelicus doctor (3 p., q. 72, a. 4): « In sacramento (Confirmationis) homo accipit Spiritum Sanctum ad robur spiritualis pugnæ, ut fortiter etiam inter adversarios fidei Christi fidem confiteatur. Unde convenienter signatur chrismate signo crucis in fronte propter duo : *Primo* quidem, quia insignitur signo crucis sicut miles signo ducis, quod quidem debet esse evidens et manifestum. Inter omnia

autem loca corporis humani maxime frons manifesta est, quæ quasi nunquam obtegitur, et ideo linitur confirmatus chrismate in fronte, ut manifeste demonstret se esse christianum; sicut et Apostoli post Spiritum Sanctum acceptum se manifestaverunt, qui prius in cœnaculo latebant. — *Secundo*, quia aliquis impeditur a libera confessione nominis Christi propter duo, scilicet propter timorem et propter verecundiam; utriusque autem horum signum maxime manifestatur in fronte propter duo, scilicet propter propinquitatem imaginationis, et propter hoc quod spiritus a corde directe ad frontem ascendunt, unde verecundati erubescunt, timentes autem pallescunt. Et ideo in fronte signatur chrismate, ut neque propter timorem, neque propter erubescentiam, nomen Christi confiteri prætermittat. »

Immutatur nomen confirmandi, si turpe vel profanum aut superstitiosum habuerit, *ut ille novo ac sancto suscepto nomine* virilem in sancte agendo constantiam perpetuo deinceps præstet. (Ita S. Carolus Borrom. in Concilio Mediolanensi x).

Alapa levis confirmato infligitur, « ut meminerit se tanquam fortem athletam paratum esse oportere ad omnia adversa invicto animo pro Christi nomine ferenda. » Hæc sunt Catechismi Romani verba (*loc. cit.*). Quæ quidem explanans S. Carolus Borromæus, in instructione de sacramento Confirmationis, aiebat : « Hunc ritum parochus ita docebit, ut sciat homo christianus se jam militem esse, cujus pugna et victoria elucent in patiendis injuriis, non in illis inferendis; deinde se in christiana militia constitutum esse, in qua non hujus vitæ jucunditates et commoda quærat, sed incommoda potius, atque adeo mala multa patienter ferat; ac præterea intelligat officii sui esse in acie stare, telaque unde veniant observare, ita ut, quamvis illis telorum ictibus corpus, honor opesque lædantur, anima tamen nullo pacto offendatur. »

Vitta linea ac munda, qua olim frons cingebatur, signum erat gratiam acceptam ita diligenter ab eo conservandam esse, ut ne particula quidem boni dati eum unquam præteriret. Quod sane utiliter in memoriam confirmatorum revocabit parochus, etsi usus obsoleverit.

Pax tandem ab episcopo datur confirmato, « ut intelligat, ait Catechismus Romanus (*loc. cit.*), se gratiæ cœlestis plenitudinem, et pacem, quæ exsuperat omnem sensum, consecutum esse.

« Atque hæc summa eorum sit, quæ de chrismatis sacramento a pastoribus, non tam quidem nudis verbis et oratione, quam inflammato pietatis studio explicanda sunt, ut ea in animis intimisque fidelium cogitationibus inferre videantur. »

TRACTATUS

DE SS. EUCHARISTIA

SUMMA DOCTRINÆ CATHOLICÆ

DE SS. EUCHARISTIA

Ex Conciliis Florentino et Tridentino

DECRETUM CONCILII FLORENTINI SUB EUGENIO IV PRO INSTRUCTIONE ARMENORUM.

Tertium est Eucharistiæ sacramentum, cujus materia est panis triticeus et vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet. Aqua autem ideo admiscetur, quoniam, juxta testimonia sanctorum Patrum ac doctorum Ecclesiæ pridem in disputatione exhibita, creditur ipsum Dominum in vino aqua permixto hoc instituisse sacramentum. Deinde quia hoc convenit dominicæ passionis repræsentationi. Inquit enim beatus Alexander papa quintus a beato Petro : in sacramentorum oblationibus, quæ intra missarum solemnia Domino offeruntur, panis tantum et vinum aqua permixtum in sacrificium offerantur. Non enim debet in calicem Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum; quia utrumque, id est, sanguis et aqua ex latere Christi profluxisse legitur; tum etiam, quod convenit ad significandum hujus sacramenti effectum, qui est unio populi christiani ad Christum. Aqua enim populum significat, secundum illud Apocalypsis : *Aquæ multæ, populi multi.* Et Julius papa secundus post beatum Sylvestrum ait : Calix dominicus

juxta canonum præceptum, vino et aqua permixtus debet offerri; quia videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi. Ergo cum in calice vinum et aqua miscentur, Christo populus adunatur, et fidelium plebs ei, in quem credidit, copulatur et jungitur. Cum ergo tam sancta Romana Ecclesia, a beatissimis Petro et Paulo edocta, quam reliquæ omnes Latinorum Græcorumque Ecclesiæ, in quibus omnis sanctitatis et doctrinæ lumina claruerunt, ab initio nascentis Ecclesiæ sic servaverint et modo servent, inconveniens admodum videtur, ut alia quævis regio ab hac universali et rationali discrepet observantia. Decernimus igitur, ut etiam ipsi Armeni se cum universo orbe christiano conforment, eorumque sacerdotes in calicis oblatione paululum aquæ, prout dictum est, admisceant vino. Forma hujus sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit sacramentum. Sacerdos enim in persona Christi loquens, hoc conficit sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi, et substantia vini in sanguinem convertuntur : ita tamen quod totus Christus continetur sub specie panis et totus sub specie vini : sub qualibet quoque parte hostiæ consecratæ et vini consecrati, separatione facta, totus est Christus. Hujus sacramenti effectus, quem in anima operatur digne sumentis, est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur et membris ejus unitur, consequens est quod per hoc sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur, omnemque effectum, quem materialis cibus et potus quoad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando et delectando, sacramentum hoc quoad vitam operatur spiritualem : in quo, ut inquit Urbanus papa, gratam Salvatoris nostri recensemus memoriam, a malo retrahimur, confortamur in bono, et ad virtutum et gratiarum proficimus incrementum.

DECLARATIONES ET CANONES

CONCILII TRIDENTINI

DECRETUM DE SANCTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO (*Sessio* XIII).

Caput I. De reali præsentia Domini nostri Jesu Christi in sanctissimo Eucharistiæ sacramento.

Principio docet sancta Synodus, et aperte ac simpliciter profitetur, in almo sanctæ Eucharistiæ sacramento, post panis et vini consecrationem, Dominum nostrum Jesum Christum verum Deum, atque hominem, vere, realiter ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri. Neque enim hæc inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in cœlis assideat, juxta modum existendi naturalem, et ut multis nihilominus aliis in locis sacramentaliter præsens sua substantia nobis adsit, ea existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustrata, assequi possumus, et constantissime credere debemus; ita enim majores omnes nostri, quotquot in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui de sanctissimo hoc sacramento disseruerunt, apertissime professi sunt, hoc tam admirabile sacramentum in ultima cœna Redemptorem nostrum instituisse, cum post panis vinique benedictionem, se suum ipsius corpus illis præbere, ac suum sanguinem, disertis ac perspicuis verbis testatus est : quæ verba a sanctis Evangelistis commemorata, et a divo Paulo postea repetita, cum propriam illam et apertissimam significationem præ se ferant secundum quam a Patribus intellecta sunt, indignissimum sane flagitium est, ea a quibusdam contentiosis et pravis hominibus ad fictitios et imaginarios tropos, quibus veritas carnis et sanguinis Christi negatur, contra universum Ecclesiæ sensum detorqueri, quæ tanquam columna et firma-

mentum veritatis, hæc ab impiis hominibus excogitata commenta, velut satanica, detestata est, grato semper et memore animo præstantissimum hoc Christi beneficium agnoscens.

Caput II. De ratione institutionis sanctissimi hujus sacramenti.

Ergo Salvator noster, discessurus ex hoc mundo ad Patrem, sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum; et in illius sumptione colere nos sui memoriam præcepit suamque annuntiare mortem, donec ipse ad judicandum mundum veniat. Sumi autem voluit sacramentum hoc, tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vita illius qui dixit : Qui manducat me, et ipse vivet propter me : et tanquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus præservemur. Pignus præterea id esse voluit futuræ nostræ gloriæ, et perpetuæ felicitatis, adeoque symbolum unius illius corporis cujus ipse caput existit, cuique nos tanquam membra, arctissima fidei, spei et caritatis connexione adstrictos esse voluit, ut idipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata.

Caput III. De excellentia sanctissimæ Eucharistiæ super reliqua Sacramenta.

Commune hoc quidem est sanctissimæ Eucharistiæ cum cæteris sacramentis, symbolum esse rei sacræ, et invisibilis gratiæ formam visibilem : verum illud in ea excellens et singulare reperitur, quod reliqua sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur; at in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est. Nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cum vere tamen ipse affirmaret corpus suum esse quod præbebat. Et semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem, sub panis et vini specie una cum ipsius anima et divinitate existere : sed corpus quidem sub specie panis, et sanguinem sub vini specie, ex vi verborum; ipsum autem corpus sub specie vini, et sanguinem sub specie panis, ani-

mamque sub utraque vi naturalis illius connexionis et concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur : divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore et anima hypostaticam unionem. Quapropter verissimum est tantumdem sub alterutra specie atque sub utraque contineri; totus enim et integer Christus sub panis specie et sub quavis ipsius speciei parte : totus item sub vini specie et sub ejus partibus existit.

Caput IV. De transsubstantiatione.

Quoniam autem Christus Redemptor noster, corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit : ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis et vini conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini nostri; et totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus. Quæ conversio convenienter et proprie a sancta catholica Ecclesia transsubstantiatio est appellata.

Caput V. De cultu et veneratione huic sanctissimo Sacramento exhibenda.

Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles, pro more in catholica Ecclesia semper recepto, latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo sacramento in veneratione exhibeant. Neque enim ideo minus est adorandum, quod fuerit a Christo Domino, ut sumatur institutum : nam illum eumdem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum, dicit : Et adorent eum omnes Angeli Dei; quem Magi procidentes adoraverunt : quem denique in Galilæa ab Apostolis adoratum fuisse Scriptura testatur.

Declarat præterea sancta Synodus, pie et religiose admodum in Dei Ecclesiam inductum fuisse hunc morem, ut singulis annis peculiari quodam et festo die præcelsum hoc et venerabile sacramentum singulari veneratione ac solemnitate celebraretur, utque in processionibus reverenter et honorifice

illud per vias et loca publica circumferretur. Æquissimum est enim sacros aliquos statutos esse dies, cum Christiani omnes singulari ac rara quadam significatione gratos et memores testentur animos erga communem Dominum et Redemptorem, pro tam ineffabili et plane divino beneficio, quo mortis ejus victoria et triumphus repræsentatur. Atque sic equidem oportuit victricem veritatem de mendacio et hæresi triumphum agere, ut ejus adversarii in conspectu tanti splendoris, et in tanta universæ Ecclesiæ lætitia positi, vel debilitati et fracti tabescant, vel pudore affecti et confusi aliquando resipiscant.

Caput VI. De asservando sacræ Eucharistiæ sacramento, et ad infirmos deferendo.

Consuetudo asservandi in sacrario sanctam Eucharistiam adeo antiqua est, ut eam sæculum etiam Nicæni concilii agnoverit. Porro deferri ipsam sacram Eucharistiam ad infirmos et in hunc usum diligenter in ecclesiis conservari, præterquam quod cum summa æquitate et ratione conjunctum est, tum multis in conciliis præceptum invenitur, et vetustissimo catholicæ Ecclesiæ more est observatum. Quare sancta hæc Synodus retinendum omnino salutarem hunc et necessarium morem statuit.

Caput VII. De præparatione, quæ adhibenda est, ut digne quis sacram Eucharistiam percipiat.

Si non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere, nisi sancte; certe, quo magis sanctitas et divinitas cœlestis hujus sacramenti viro christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia et sanctitate ad id percipiendum accedat, præsertim cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus : Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini. Quare communicare volenti revocandum est in memoriam ejus præceptum : Probet autem seipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confes-

sione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat. Quod a christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia confessoris : quod si, necessitate urgente, sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.

Caput VIII. De usu admirabilis hujus sacramenti.

Quoad usum autem, recte et sapienter patres nostri tres rationes hoc sanctum sacramentum accipiendi distinxerunt. Quosdam enim docuerunt sacramentaliter duntaxat id sumere, ut peccatores; alios tantum spiritualiter, illos nimirum qui voto propositum illum cœlestem panem edentes, fide viva, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus et utilitatem sentiunt; tertios porro sacramentaliter simul et spiritualiter; hi autem sunt qui ita se prius probant et instruunt, ut vestem nuptialem induti, ad divinam hanc mensam accedant. In sacramentali autem sumptione semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut laici a sacerdotibus communionem acciperent, sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent : qui mos, tanquam ex traditione Apostolica descendens, jure ac merito retineri debet. Demum vero paterno affectu admonet sancta Synodus, hortatur, rogat et obsecrat per viscera misericordiæ Dei nostri, ut omnes et singuli qui christiano nomine censentur, in hoc unitatis signo, in hoc vinculo caritatis, in hoc concordiæ symbolo jam tandem aliquando conveniant et concordent, memoresque tantæ majestatis, et tam eximii amoris Jesu Christi Domini nostri, qui dilectam animam suam in nostræ salutis pretium, et carnem suam nobis dedit ad manducandum : hæc sacra mysteria corporis et sanguinis ejus ea fidei constantia et firmitate, ea animi devotione, ea pietate et cultu credant et venerentur, ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint, et is vere eis sit animæ vita, et perpetua sanitas mentis, cujus vigore confortati, ex hujus miseræ peregrinationis itinere ad cœlestem patriam pervenire valeant, eumdem panem Angelorum, quem modo sub sacris velaminibus edunt, absque ullo velamine manducaturi.

Quoniam autem non est satis veritatem dicere, nisi detegantur et refellantur errores, placuit sanctæ Synodo hos canones subjungere, ut omnes, jam agnita catholica doctrina, intelligant quoque quæ ab illis hæreses caveri vitarique debeant.

CANONES.

Can. 1. Si quis negaverit, in sanctissimæ Eucharistiæ sacramento contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima, et divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum, sed dixerit tantummodo esse in eo ut in signo, vel figura, aut virtute; anathema sit.

Can. 2. Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiæ sacramento remanere substantiam panis et vini, una cum corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi; negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis et vini, quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissime transsubstantiationem appellat; anathema sit.

Can. 3. Si quis negaverit, in venerabili sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri; anathema sit.

Can. 4. Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiæ sacramento non esse corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante vel post; et in hostiis seu particulis consecratis, quæ post communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum corpus Domini; anathema sit.

Can. 5. Si quis dixerit, vel præcipuum fructum sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire; anathema sit.

Can. 6. Si quis dixerit, in sancto Eucharistiæ sacramento Christum, unigenitum Dei filium, non esse cultu latriæ, etiam externo, adorandum; atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum; neque in processionibus, secundum lauda-

bilem et universalem Ecclesiæ sanctæ ritum et consuetudinem, solemniter circumgestandum; vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, et ejus adoratores esse idololatras; anathema sit.

Can. 7. Si quis dixerit, non licere sacram Eucharistiam in sacrario reservari, sed statim post consecrationem adstantibus necessario distribuendam, aut non licere ut illa ad infirmos honorifice deferatur; anathema sit.

Can. 8. Si quis dixerit, Christum, in Eucharistia exhibitum, spiritualiter tantum manducari, et non etiam sacramentaliter et realiter; anathema sit.

Can. 9. Si quis negaverit, omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta præceptum sanctæ matris Ecclesiæ; anathema sit.

Can. 10. Si quis dixerit, non licere sacerdoti celebranti seipsum communicare; anathema sit.

Can. 11. Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimæ Eucharistiæ sacramentum; anathema sit. Et ne tantum sacramentum indigne atque adeo in mortem et condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa sancta Synodus, illis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, necessario præmittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere præsumpserit, eo ipso ex communicatus existat.

DOCTRINA DE COMMUNIONE SUB UTRAQUE SPECIE, ET PARVULORUM.

(*Sessio* XXI).

CAPUT I. Laicos, et clericos non conficientes, non adstringi jure divino ad communionem sub utraque specie.

Itaque sancta ipsa Synodus, a Spiritu sancto, qui spiritus est sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et pietatis, edocta, atque ipsius Ecclesiæ judicium et consuetudinem secuta, de-

clarat ac docet, nullo divino præcepto laicos, et clericos non conficientes, obligari ad Eucharistiæ sacramentum sub utraque specie sumendum; neque ullo pacto, salva fide, dubitari posse quin illis alterius speciei communio ad salutem sufficiat. Nam, etsi Christus Dominus in ultima cœna venerabile hoc sacramentum in panis et vini speciebus instituit. et Apostolis tradidit; non tamen illa institutio et traditio eo tendunt, ut omnes Christi fideles statuto Domini ad utramque speciem accipiendum adstringantur. Sed neque ex sermone illo, apud Joannem sexto, recte colligitur utriusque speciei communionem a Domino præceptam esse, utcumque juxta varias sanctorum Patrum et Doctorum interpretationes intelligatur: namque qui dixit : Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis; dixit quoque : Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Et qui dixit : Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam; dixit etiam : Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Is denique qui dixit : Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo; dixit nihilominus : Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.

Caput II. Ecclesiæ potestas circa dispensationem sacramenti Eucharistiæ.

Præterea declarat hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum varietate, magis expedire judicaret. Id autem Apostolus non obscure visus est innuisse, cum ait : Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei : atque ipsum quidem hac potestate usum esse satis constat, cum in multis aliis, tum in hoc ipso sacramento, cum ordinatis nonnullis circa ejus usum : Cætera, inquit, cum venero, disponam. Quare agnocens sancta mater Ecclesia hanc suam in administratione sacramentorum auctoritatem, licet ab initio christianæ religionis non infrequens utriusque speciei

usus fuisset, tamen progressu temporis, latissime jam mutata illa consuetudine, gravibus et justis causis adducta, hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbavit, et pro lege habendam decrevit; quam reprobare, aut sine ipsius Ecclesiæ auctoritate pro libito mutare non licet.

CAPUT III. Totum et integrum Christum, ac verum sacramentum sub qualibet specie sumi.

Insuper declarat, quamvis Redemptor noster,ut antea dictum est, in suprema illa cœna hoc sacramentum in duabus speciebus instituerit, et Apostolis tradiderit : tamen fatendum esse, etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque sacramentum sumi; ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia, necessaria ad salutem, eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt.

CAPUT IV. Parvulos non obligari ad communionem sacramentalem.

Denique eadem sancta Synodus docet parvulos, usu rationis carentes, nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ communionem : siquidem, per Baptismi lavacrum regenerati et Christo incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt. Neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit : ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt; ita certe, eos nulla salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum est.

Can. 1. Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel necessitate salutis, omnes et singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ sacramenti sumere debere : anathema sit.

Can. 2. Si quis dixerit, sanctam Ecclesiam catholicam non justis causis et rationibus adductam fuisse ut laicos, atque etiam clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse; anathema sit.

Can. 3. Si quis negaverit, totum et integrum Christum, omnium gratiarum fontem et auctorem, sub una panis specie

sumi, quia, ut quidam falso asserunt, non secundum ipsius Christi institutionem sub utraque specie sumatur; anathema sit.

Can. 4. Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem, anathema sit.

DOCTRINA DE SACRIFICIO MISSÆ.

(*Sessio* XIII).

Caput I. De institutione sacrosancti Missæ sacrificii.

Quoniam sub priori Testamento, teste apostolo Paulo, propter levitici sacerdotii imbecillitatem consummatio non erat; oportuit, Deo Patre misericordiarum ita ordinante, sacerdotem alium secundum ordinem Melchisedech surgere, Dominum nostrum Jesum Christum, qui posset omnes, quotquot sanctificandi essent, consummare et ad perfectum adducere. Is igitur Deus et Dominus noster, etsi semel seipsum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur : quia tamen per mortem sacerdotium ejus extinguendum non erat; in cœna novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud, semel in cruce peragendum, repræsentaretur; ejusque memoria in finem usque sæculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur; sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit; ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc Novi Testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit : et eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba : Hoc facite in meam commemorationem, uti semper catholica Ecclesia intellexit et docuit. Nam celebrato veteri Pascha quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Israel immolabat,

novum instituit Pascha, seipsum ab Ecclesia per sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui sanguinis effusionem nos redemit, eripuitque de potestate tenebrarum, et in regnum suum transtulit. Et hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest; quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit; quam non obscure innuit apostolus Paulus Corinthiis scribens, cum dicit non posse eos qui participatione mensæ dæmoniorum polluti sunt, mensæ Domini participes fieri; per mensam altare utrobique intelligens. Hæc denique illa est, quæ per varias sacrificiorum, naturæ legis tempore, similitudines figubaratur: utpote quæ bona omnia, per illa significata, velut illorum omnium consummatio et perfectio complectitur.

Caput II. Sacrificium Missæ esse propitiatorium tam pro vivis quam pro defunctis.

Et quoniam in divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, et incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit; docet sancta Synodus sacrificium istud vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri ut, si cum vero corde et recta fide, cum metu et reverentia, contriti ac pœnitentes, ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam et donum pœnitentiæ concedens, crimina et peccata, etiam ingentia, dimittit. Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. Cujus quidem oblationis cruentæ, inquam, fructus per hanc uberrime percipiuntur; tantum abest ut illi per hanc quovis modo derogetur. Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus, sed et pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, rite, juxta Apostolorum traditionem, offertur.

Caput III. De Missis in honorem sanctorum.

Et quamvis in honorem et memoriam sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit; unde nec sacerdos dicere solet : Offero tibi sacrificium, Petre, vel Paule : sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris.

Caput IV. De canone Missæ.

Et cum sancta sancte administrari conveniat, sitque hoc omnium sanctissimum sacrificium, Ecclesia catholica, ut digne reverenterque offerretur ac perciperetur, sacrum Canonem multis ante sæculis instituit, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur quod non maxime sanctitatem ac pietatem quamdam redoleat, mentesque offerentium in Deum erigat. Id enim constat cum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, ac sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus.

Caput V. De solemnis Missæ sacrificii cæremoniis.

Cumque natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quædam submissa voce, alia vero elatiore in Missa pronuntiarentur, instituit. Cæremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, ex Apostolica disciplina et traditione, quo et majestas tanti sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per hæc visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur.

Caput VI. De Missa in qua solus sacerdos communicat.

Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos

sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior proveniret : nec tamen, si id non semper fiat, propterea Missas illas in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas et illicitas damnat, sed probat, atque adeo commendat. Siquidem illæ quoque Missæ vere communes censeri debent, partim, quod in eis populus spiritualiter communicet; partim vero, quod a publico Ecclesiæ ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur.

Caput VII. De aqua, in calice offerendo, vino miscenda.

Monet deinde sancta Synodus, præceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent, tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit. Quod sacramentum hac mixtione recolitur : et cum aquæ in Apocalypsi beati Joannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repræsentatur.

Caput VIII. De Missa vulgari lingua passim non celebranda, et mysteriis ejus populo explicandis.

Etsi Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus ut vulgari passim lingua celebraretur. Quamobrem, retento ubique cujusque ecclesiæ antiquo, et a sancta Romana Ecclesia, omnium ecclesiarum matre et magistra, probato ritu, ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant, et non sit qui frangat eis; mandat sancta Synodus pastoribus, et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem, vel per se, vel per alios, ex iis quæ in Missa leguntur aliquid exponant, atque inter cætera sanctissimi hujus sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus præsertim dominicis et festis.

Caput IX. Prolegomenon Canonum sequentium.

Quia vero adversus veterem hanc in sacrosancto Evangelio, Apostolorum traditionibus, sanctorumque Patrum doctrina

fundatam fidem, hoc tempore multi disseminati sunt errores, multaque a multis docentur atque disputantur; sacrosancta Synodus, post multos gravesque his de rebus mature habitos tractatus, unanimi Patrum omnium consensu, quæ huic purissimæ fidei sacræque doctrinæ adversantur, damnare et a sancta Ecclesia eliminare, per subjectos hos canones, constituit.

CANONES.

Can. 1. Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium; aut quod offerri non sit aliud quam nobis Christum ad manducandum dari; anathema sit.

Can. 2. Si quis dixerit, illis verbis : Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos sacerdotes; aut non ordinasse ut ipsi aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum; anathema sit.

Can. 3. Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti; neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit.

Can. 4. Si quis dixerit blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio in cruce peracto, per Missæ sacrificium; aut illi per hoc derogari; anathema sit.

Can. 5. Si quis dixerit, imposturam esse Missas celebrare in honorem sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit; anathema sit.

Can. 6. Si quis dixerit, Canonem Missæ errores continere, ideoque abrogandum esse; anathema sit.

Can. 7. Si quis dixerit, cæremonias, vestes et externa signa quibus in Missarum celebratione Ecclesia catholica utitur, irritabula impietatis esse, magis quam officia pietatis; anathema sit.

Can. 8. Si quis dixerit, Missas in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas; anathema sit.

Can. 9. Si quis dixerit, Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissa voce pars canonis et verba consecrationis proferuntur, damnandum esse : aut lingua tantum vulgari Missam celebrari debere; aut aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem; anathema sit.

DECRETUM DE OBSERVANDIS ET EVITANDIS IN CELEBRATIONE MISSÆ.

Quanta cura adhibenda sit ut sacrosanctum Missæ sacrificium omni religionis cultu ac veneratione celebretur, quivis facile existimare poterit, qui cogitarit maledictum in sacris Litteris eum vocari qui facit opus Dei negligenter. Quod si necessario fatemur nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum a Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per sacerdotes quotidie immolatur; satis etiam apparet omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia et puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur.

Cum igitur multa jam sive temporum vitio, sive hominum incuria et improbitate, irrepsisse videantur, quæ a tanti sacrificii dignitate aliena sunt : ut ei debitus honor et cultus ad Dei gloriam et fidelis populi ædificationem restituatur, decernit sancta Synodus, ut ordinarii locorum episcopi ea omnia prohibere atque e medio tollere sedulo curent ac teneantur, quæ vel avaritia, idolorum servitus, vel irreverentia, quæ ab impietate vix sejuncta esse potest, vel superstitio, veræ pietatis falsa imitatrix, induxit.

Atque ut multa paucis comprehendantur, in primis, quod ad avaritiam pertinet, cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, et quidquid pro Missis novis celebrandis datur, necnon importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones potius quam postulationes, aliaque hujusmodi quæ a simoniaca labe, vel certe a turpi quæstu non longe absunt, omnino prohibeant.

Deinde, ut irreverentia vitetur, singuli in suis diœcesibus interdicant, ne cui vago et ignoto sacerdoti Missas celebrare liceat. Neminem præterea, qui publice et notorie criminosus sit, aut sancto altari ministrare, aut sacris interesse permittant; neve patiantur privatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam, et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc sacrificium a sæcularibus aut regularibus quibuscumque peragi; ac nisi prius, qui intersint, decenter composito corporis habitu, declaraverint se mente etiam ac devoto cordis affectu, non solum corpore, adesse. Ab ecclesiis vero musicas eas, ubi sive organo, sive cantu, lascivum aut impurum aliquid miscetur, item sæculares omnes actiones, vana atque adeo profana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores arceant; ut domus Dei vere domus orationis esse videatur ac dici possit. Postremo, ne superstitioni locus aliquis detur, edicto et pœnis propositis caveant, ne sacerdotes aliis quam debitis horis celebrent; neve ritus alios, aut alias cæremonias et preces in Missarum celebratione adhibeant, præter eas quæ ab Ecclesia probatæ, ac frequenti et laudabili usu receptæ fuerint. Quarumdam vero Missarum, et candelarum certum numerum, qui magis a superstitioso cultu quam a vera religione inventus est, omnino ab Ecclesia removeant; doceantque populum quis sit et a quo potissimum proveniat sanctissimi hujus sacrificii tam pretiosus ac cœlestis fructus. Moneant etiam eumdem populum, ut frequenter ad suas parochias, saltem diebus dominicis et majoribus festis, accedant.

Hæc igitur omnia, quæ summatim enumerata sunt, omnibus locorum Ordinariis ita proponuntur, ut non solum ea ipsa, sed quæcumque alia huc pertinere visa fuerint, ipsi pro data sibi a sacrosancta Synodo potestate, ac etiam ut delegati Sedis Apostolicæ, prohibeant, mandent, corrigant, statuant: atque ad ea inviolate servanda censuris ecclesiasticis, aliisque pœnis, quæ illorum arbitrio constituentur, fidelem populum compellant: non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus a consuetudinibus quibuscumque.

NOTIONES PRÆVIÆ.

Antequam gravissimas, quæ postea nobis solvendæ erunt, difficultates aggrediamur, accurate expendemus : — 1. Tractatus objectum ; — 2. Eucharistiæ notionem ; — 3. dicendorum utilitatem et ordinem.

I. *Tractatus objectum.*

1. Etsi in regeneratis per baptismum christiani hominis formam confirmatio absolvat, non eos tamen eo usque perficit, ut statim Christo Domino occurrere possint, *in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis ejus* (Eph., IV, 13) : sed grandis eis in terra deserta et inaquosa restat via, nec nisi per multos labores vicesque varias ad superna virtutum patet ascensus ; quippe qui peregrini sint et advenæ in hoc mundo, esurientes, afflicti, angustiati, periculis casibusque obnoxii. Necesse igitur erat ut ipsis adjungeretur amicus comesque viæ, qui cursum dirigeret et confractum animum erigeret ; præsertim vero indigebant tum spirituali alimonia, qua lassati reficerentur, et in viam mandatorum divinorum currentes ad montem Dei sanctum pervenirent ; tum denique sacrificio, quo debitæ religionis cultum Deo persolventes, ipsi pro beneficiis acceptis gratias agerent, novos sibi conciliarent favores, et, si quandoque crimina admiserint, infensi Numinis impendentem iram avertere possent.

His autem nostris necessitatibus nedum defuerit piissimus Redemptor, adeo provida sollicitudine consuluit, ut bonitatis ac potentiæ suæ divitias omnes quasi effudisse videatur.

Cum enim se nascens dedisset socium, convescens permanere nobiscum voluit, ut juge esset convivium, placabilis hostia fidelisque viæ nostræ comes et amicus.

Hæc sunt quæ in præsenti *de Eucharistia* Tractatu nobis explananda veniunt, ideoque quæ infra dicenda sunt, quasi sub uno conspectu jam prospicere valemus.

II. *Eucharistiæ notio.*

2. — I. Definitio Eucharistiæ quoad nomen et quoad rem. *Eucharistia* vox est græca, ex vocabulis ευ et χαρις conflata, quæ idem sonant ac bona gratia. Nec alia voce rectius appellari potuit quod in ultima Cœna Christus gessit ac fieri mandavit; hæc enim præcellens institutio rationem habet *boni* simul et *gratiæ*. — 1. Et quidem rationem *boni*: nam de natura boni est, ut si maxime sui diffusivum et inexhaustum: porro in Eucharistia innumeris totum se tradit Christus in escam, sive simul, sive successive, quin unquam consumatur: unde post Angelicum Doctorem concinit Ecclesia: *Sumit unus, sumunt mille... nec sumptus consumitur.* — 2. Rationem *gratiæ*, quia Christum Dominum, qui veræ gratiæ atque omnium charismatum fons est, in se continet.

Si vero Eucharistia *quoad rem* consideretur, adæquata ejus notio tria includit, nempe: *mysterium*, seu mysteriorum complexum, quæ ad præsentiam Christi realem sub symbolis Eucharisticis referuntur; *sacramentum*, quod ad sanctificationem fidelium ordinatur; *sacrificium*, quo religionis officia Deo persolvuntur. Attamen præcipua est et magis apparens sacramenti ratio, idque multiplici de causa: præsentia enim Christi realis, quæ tum sacramento tum sacrificio præsupponitur, speciebus sacramentalibus quasi adnectitur, et ab eis, quamdiu conservantur, pendet: sacrificium autem, quod in actione transitoria consistit, est quasi sacramenti conficiendi ritus, in eoque per communionem consummatur. Denique, cum ad sanctificationem nostram sacramentum magis directe ordinetur, vividius nos afficit et commovet. Idcirco Eucharistia communiter definitur: *Sacramentum a Christo Domino institutum, in quo sub speciebus panis et vini consecratis, corpus et sanguis ejus vere, realiter et substantialiter continentur, ad spiritualem fidelium refectionem.*

Dicitur 1. *sacramentum a Christo Domino institutum*, id est, signum sensibile, permanens et gratiæ productivum, ad Legem Novam spectans.

Dicitur 2. *in quo sub speciebus panis et vini consecratis;*

quibus verbis designatur illud quod in Eucharistia rationem habet signi sensibilis gratiam efficientis, et indigitantur simul vel innuuntur materia et forma quibus sacramentum perficitur.

Dicitur. 3. *corpus et sanguis ejus vere realiter et substantialiter continentur* : quas voces ideo post concilium Tridentinum usurpamus, ut omni ex parte præcludatur aditus protestantium cavillationibus, veritasque præsentiæ realis sarta tecta servetur, ut constabit ex infra dicendis.

Dicitur 4. *ad spiritualem fidelium refectionem*, et sic indicatur finis specialisque effectus sacramenti Eucharistiæ, quod per modum alimoniæ spiritualis institutum eosdem quoad animam parit effectus spirituales, quos cibus materialis corpori præstat, cujus vires reficit et auget.

3. — II. Varia Eucharistiæ nomina. « Hujus admirabilis sacramenti dignitatem atque excellentiam, inquit Catechismus Romanus (*loc. cit.*), cum sacri scriptores fieri nullo modo posse intelligerent, ut uno vocabulo demonstrarent, pluribus eam nominibus exprimere conati sunt. » Quorum præcipua tantum, juxta ordinem variis Eucharistiæ aspectibus accommodatum, hujusce Tractatus limites referri sinunt.

Ratione *triplicis suæ significationis* appellata est *sacrificium, altaris sacramentum*, quia fuit in commemorationem mortis Christi in ara Crucis ; — *communio, synaxis, sacramentum unitatis ecclesiasticæ, sacramentum caritatis et pacis*, quia signum est demonstrativum intimæ illius unionis qua cum Christo et inter nos connectimur ; — *viaticum*, quia præfigurat visionem Dei quæ erit in patria, nec tantum spiritualis cibus est quo in hujus vitæ peregrinatione sustentamur, sed etiam vim nobis ad æternam gloriam et felicitatem munit.

Ratione *materiæ*, Ecclesia ipsa Eucharistiam in sua liturgia nuncupat *panem angelorum, panem sanctum vitæ æternæ, calicem salutis perpetuæ, dona ac munera sancta.* — Nec aliis appellationibus utuntur SS. Patres, quibus augustissimum illud sacramentum *panis est cœlestis, mysticus, dominicus, deificus, supersubstantialis, cibus animæ, esca spiritualis, convivium Dominicum*, etc.

Ratione *formæ* et *actionis* qua conficitur, vocatur etiam

consecratio, *benedictio*, *sacramentum benedictionis*, *fractio panis*, quia Christus benedixit ac fregit panem, eosdemque ritus ab Apostolis usurpatos fideliter servat Ecclesia.

Ratione *rei contentæ*, Eucharistia dicitur *corpus Christi*, *corpus Domini*, *sanguis Christi*, *sacramentum corporis et sanguinis Domini*. Propter excellentiam autem, quæ inde ei accedit et fidem maximam requirit, appellata est *sacramentum sacramentorum*, *sanctum Domini*, *sancta sanctorum*, *sancta mysteria*, *mysteria tremenda*, *mysterium mysteriorum*, imo per antonomasim *sacramentum*, *mysterium*, *mysterium fidei*.

Ratione *effectuum*, præter Eucharistiæ, communionis et synaxis nomina, de quibus supra, augustissimum sacramentum *gratiam*, *gratiam salutarem*, *calicem salutis*, *frumentum electorum*, *vinum germinans virgines* haud semel audit.

Denique ratione *circumstantiarum* temporis aut loci quo institutum est, Eucharistiæ sacramentum appellari consuevit *Cœna Dominica*, *mystica*, *ultima*, *mensa Domini*, *Pascha*, *Novum Testamentum*, *Agape*, propter caritatis convivia, quæ Eucharistiæ sumptionem primitus comitabantur.

4. — III. Eucharistiæ figuræ. Nullum est sacramentum quod Deus perfectius figuris quasi prælucere voluerit quam Eucharistiam. Si enim in ea consideretur id quod est *sacramentum*, seu species sensibilis panis et vini, figuram habuit *oblationem Melchisedech*, *panes primitiarum*, *panes propositiónis*, *panem subcinericium* quem Angelus Eliæ præbuit, ut in ejus fortitudine usque ad montem Dei ambularet. — Si vero spectetur in Eucharistia *res sacramenti*, seu saluberrimi effectus quos producit, præfigurata est per *arborem vitæ* quem Deus in paradiso plantaverat quasi pharmacum immortalitatis; per ipsum *paradisum* deliciis refertum; per *manna*, quod Deus Hebræis in deserto peregrinantibus e cœlo præstitit, ut eis vires et omne delectamentum afferret. — Postremo, si spectetur in Eucharistia id quod est *res et sacramentum*, seu corpus et sanguis Christi pro nobis passi et immolati, figuræ ejus fuerunt omnia antiqua sacrificia, præsertim vero quæ *Abel*, *Noe et Abraham obtulerunt*, *Isaac immolatio*, et in lege Mosaica *sanguis testamenti* et *sacrificium expiationis* solemnissimum,

in quo mactabantur duo arietes in holocaustum, vitulus pro peccato sacerdotis et hircus pro peccato populi (*Levit.*, XVI).

At vero figura fuit perfectissima Agnus Paschalis, qui Eucharistiam sub triplici respectu præfato adumbravit : quantum ad sacramentum, quia manducabatur cum panibus azymis; quantum ad rem et sacramentum, quia immolabatur ab omni multitudine filiorum Israel luna decima quinta, quod fuit figura passionis Christi, qui propter innocentiam dicitur *Agnus*, imo, juxta Apostolum, *Agnus occisus ab origine mundi;* quantum ad rem sacramenti, quia sicut olim Hebræi ab Angelo devastante et Ægyptiaca servitute per sanguinem Agni postibus impressum liberati sunt, sic et nos Eucharistia liberat ab infestatione et servitute diaboli.

III. *Utilitas et ordo dicendorum.*

5. Utilitas. Quæ hactenus dicta sunt, sat superque demonstrant nullum esse in theologia præsertim sacramentaria tractatum, qui, propter objecti sui excellentiam et amplitudinem, majorem discenti cuique utilitatem ac oblectamentum afferat. Quippe in eo sermo instituitur de medio illo efficacissimo, quo Christus Dominus Incarnationem suam ad nos usque extendere, imo ad ultimos creationis terminos aliquatenus perducere, hominum perficere redemptionem, germanissimam cum eis inire societatem, et cœlos inclinans atque secum veluti comites adducens Patrem et Spiritum Sanctum, totius Religionis centrum his in terris, usque ad consummationem sæculi, constituere decrevit.

Hinc inferre licet quantum levitis ac sacerdotibus, quorum vita omnis circa Eucharistiam agitur, et munus præcipuum est fideles præparare ad eam sumendam ac debito cultu prosequendam, perfectam ejus scientiam sibi comparare amoremque pectori altius inserere expediat.

6. Divisio Tractatus. Cum adæquata Eucharistiæ notio tria includat, ut jam diximus, tres erunt hujusce Tractatus partes, nempe : — *prima*, de mysterio præsentiæ realis Christi in Eucharistia ; — *secunda*, de sanctissimo Eucharistiæ sacramento ; — *tertia*, de sacrificio Missæ.

PARS I.

DE MYSTERIO PRÆSENTIÆ REALIS CHRISTI IN EUCHARISTIA.

Ad doctrinam catholicam de hoc præcellentissimo mysterio tradendam ac vindicandam seorsim agendum habemus : — 1. de veritate præsentiæ realis Christi in Eucharistia; — 2. de natura ejusdem præsentiæ; — 3. de ejus consectariis.

CAPUT I.

DE VERITATE PRÆSENTIÆ REALIS CHRISTI IN EUCHARISTIA.

7. Errores. Realem Christi in Eucharistia præsentiam *indirecte* impugnarunt illi omnes qui veram carnem a Christo assumptam fuisse negaverunt. De illis jam actum fuit in Tractatu de *Deo Redemptore*.

Qui vero eamdem corporis et sanguinis Christi in sacramento altaris præsentiam *directe* rejecerunt, hi potissimum numerantur : — Sæculo XI, Berengarius, Ecclesiæ Andegavensis archidiaconus, docuit « Eucharistiam non esse vere, substantialiter, Corpus et Sanguinem Domini, sed sola voce sic appellari pro eo quod tanquam umbra et figura significativa sit corporis et sanguinis Domini. » Hic tamen, postquam pluries in hæresim lapsus, eamdem pluries ejuraverit, juxta communem sententiam, ultimis vitæ annis sinceram pœnitentiam peregit, et in fide ac communione Ecclesiæ obiit.

Sæculo XVI Carlostadius realem Christi in Eucharistia præsentiam oppugnavit, asserendo Christum his verbis : *Hoc*

est corpus meum, sine alia intentione seipsum mensæ assidentem demonstrare voluisse. — Zuinglius vero contendit Eucharistiam meram esse et nudam corporis Christi imaginem et figuram, ita ut verba institutionis hunc sensum habeant : *Hoc significat corpus meum*. Hujusmodi interpretationem se didicisse fatebatur Zuinglius a monitore quodam nocturno (« ater, inquit, an albus fuerit, non memini ») qui ipsi dixit verba Christi intelligenda esse sicut verba Exodi (XII, 11) : *Est enim phase, id est, transitus Domini*, ubi verbum *est* accipitur pro *significat*. — Calvinus, in fallendi arte magister, verba sic composuit, ut aliquando a Zuinglio recedere videatur, quin tamen re differat. Dicebat enim 1. Christum in Eucharistia præsentem esse duntaxat in *virtute*, qua e carnis substantia vitam in animas nostras inspiret, imo propriam vitam in nobis diffundat, quemadmodum sol lumen et calorem in terram diffundit; — 2. communionem carnis et sanguinis Christi per solam fidem fieri, qua ipse præsens, virtute scilicet, creditur, cum præter hanc per fidem manducationem nulla alia fingi possit.

Sociniani et Arminiani, ulterius adhuc progressi, asseruerunt Eucharistiam esse *sterile ac vacuum* signum, quod nullam habet annexam gratiæ promissionem, et ad hoc tantum valet ut mortem Christi nobis in memoriam revocet. — Idem fere sentiunt Anabaptistæ; Mennonitæ et alii Quakeri ipsum usum cœnæ penitus rejiciunt.

Hic notandum est eos qui realem Christi in Eucharistia præsentiam negant, communiter *sacramentarios* appellari; quo nomine primum a Lutheranis inusti sunt Zuingliani et Calvinistæ, eo quod in Eucharistia non ipsam substantiam corporis et sanguinis Christi, sed solam eorum figuram, sola symbola, seu *sacramentum nudum* agnoscerent. — Illud autem dogma præsentiæ realis, quod contra sacramentarios defenderunt Lutherani antiquiores, a recentioribus fere omnibus rejicitur, ita ut omnia anathemata a Luthero contra sacramentarios vibrata in eos nunc recidant, qui se discipulos ejus esse gloriantur. Imo hodie variæ Protestantium sectæ cum Socinianis nihil aliud vident in sacramento Eucharistiæ quam nudum

signum omni supernaturali virtute vacuum, cujus is unus fructus esse potest, ut nobis optimi Magistri amorem et eximiam in toleranda morte patientiam in memoriam reducat, nosque hac recordatione ad imitationem et melioris vitæ propositum excitet (Cf. Liebermann, *de Euchar.*, cap. 1).

8. **Dogma catholicum.** Adversus prædictos errores doctrina catholica his verbis a concilio Trid. (sess. 13, can. 1) proponitur : « Si quis negaverit *in sanctissimo Eucharistiæ sacramento contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum ; sed dixerit tantum modo esse in eo ut in signo, vel figura aut virtute*, anathema sit. »

In hac autem definitione sedulo notentur hæc verba, *vere*, *realiter*, et *substantialiter*, quæ a sancta synodo adhibita fuerunt ut varia novatorum placita distincte damnarentur. Dum enim dicitur corpus et sanguinem Domini in Eucharistia *vere* contineri, excluditur præsentia quæ esset tantum per imaginem aut figuram ; quando autem additur *realiter*, concilium refellit sacramentarios, qui volunt Christum nonnisi per fidem in Eucharistia præsentem esse. Tandem vox illa *substantialiter* non immerito adhibetur ad repellendam præsentiam a Calvino præsertim invectam, quæ esset per virtutem quamdam a Christo e cœlo diffusam.

Hoc itaque dogma realis Christi in Eucharistia præsentiæ nunc vindicandum habemus ex duplici revelationis fonte, Scriptura scilicet et Traditione. Etsi vero præsentia realis, cum sit mysterium humano intellectui impervium, ratione demonstrari nequeat, ad rationem tamen spectat ostendere doctrinam revelatione propositam, nedum repugnantiam involvat, plurimis congruentiis suaderi. Tres igitur articuli erunt : 1us de argumentis ex sacra Scriptura ; — 2us de argumentis ex Traditione ; — 3us de argumentis ex ratione depromptis.

ARTICULUS I.

Exponuntur argumenta ex Sacra Scriptura deprompta.

Argumenta biblica quibus demonstratur dogma de reali præ-

sentia Christi in Eucharistia depromi solent — tum ex verbis quibus Christus Eucharistiam *promisit;* — tum ex verbis quibus Christus Eucharistiam *instituit*; — tum ex verbis quibus B. Paulus Eucharistiæ *usum* exprimit.

I. *Ex verbis promissionis.*

9. Verba promissionis in capite sexto Evangelii S. Joannis leguntur. Plerique interpretes catholici tres partes in hoc capite distinguunt : in *prima* (1-26), describitur miraculum quo quinque panes in deserto multiplicati sunt; in *secunda* (26-48), sermo fit de Incarnatione ac fide in Christum; in *tertia* (48-72), agitur de sacramentali manducatione et potatione corporis et sanguinis Christi. — Alii tamen cum S. Cyrillo et Theophylacto asserunt duplex esse tantum hujus capitis objectum, nempe multiplicationem panum in deserto et panis Eucharistici promissionem; Christus enim, inquiunt, multa de fide in exordio sermonis sui disserit, non ut eam dicat esse cibum quem ipse erat daturus, sed ut explicet necessariam esse ad illum cibum cœlestem comparandum quem promittit, nempe Eucharistiam.

Calvinistæ vero communiter contendunt in hoc capite S. Joannis sermonem non esse de Eucharistia, sed Christum metaphorice loqui de manducatione corporis sui et potatione sanguinis sui ad significandam fidem in seipsum. — Eamdem sententiam propugnarunt quidam doctores catholici, numero tamen pauci, qui ut Wicleffo et Joanni Huss communionis sub utraque specie necessitatem inde inferentibus ora obturarent, postremam sermonis Christi partem de fide in Christum incarnatum interpretati sunt.

Hæc sunt autem verba in quibus veritatem catholicam contineri prætendimus : « Ego sum panis vitæ. Patres vestri man» ducaverunt manna in deserto, et mortui sunt. Hic est panis » de cœlo descendens : ut si quis ex ipso manducaverit, non » moriatur. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Si quis » manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum ; et panis quem » ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Litigabant ergo Ju» dæi ad invicem, dicentes : Quomodo potest hic nobis carnem

» suam dare ad manducandum? Dixit ergo eis Jesus : Amen, » amen dico vobis : nisi manducaveritis carnem Filii hominis » et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. » Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, » habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo » die. Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est » potus. Qui manducat meam carnem et bibit meum sangui- » nem, in me manet et ego in illo.... Hic est panis, qui de » cœlo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri » manna, et mortui sunt; qui manducat hunc panem vivet in » æternum.

» Hæc dixit in synagoga docens in Capharnaum. Multi ergo » audientes ex discipulis ejus dixerunt : Durus est hic sermo, » et quis potest eum audire? Sciens autem Jesus apud semet- » ipsum quia murmurarent de hoc discipuli ejus, dixit eis : » Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascen- » dentem ubi erat prius? Spiritus est qui vivificat, caro autem » non prodest quidquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, » spiritus et vita sunt... Ex hoc multi discipulorum ejus abie- » runt retro : et jam cum illo non ambulabant. »

10. His præmissis, argumentum ita instituitur :

Christus certe dedit in Eucharistia quod in ea se daturum promisit : atqui in capite sexto evangelii S. Joannis, Christus promisit se daturum carnem suam ad manducandum et sanguinem suum ad bibendum *vere* ac *realiter*, non autem *figurate*, *in signo*, vel *spiritualiter* solum per fidem. Ergo ex capite sexto Joannis invicte probatur realis Christi in Eucharistia præsentia.

Constat minor, scilicet, *Christum promisisse se daturum carnem suam ad manducandum et sanguinem suum ad potandum vere ac realiter, non autem figurate, in signo, vel spiritualiter solum per fidem*,

1. *Ex indole verborum quibus Christus utitur.* Loquitur enim de cibo et potu novo et adhuc futuro, a se exhibendo : « *Panis, quem ego dabo;* » imo declarans quinam sit ille cibus futurus, expresse ait esse *carnem suam, eam ipsam, quam daturus est pro mundi vita :* atqui hæc de fide in Christum mi-

nime intelligi possunt, quippe quæ non erat quidpiam novi aut futuri, nec pro mundi vita deinceps offerenda erat. Ergo non de fide in seipsum, sed de pane novo, quem ipse daturus erat, Eucharistia scilicet, loquitur Christus. — Præterea Christus accurate distinguit inter *manducare carnem* et *bibere ejus, sanguinem* (54-57) : porro hujusmodi distinctio non solum inutilis, sed etiam absona esset, si de sumptione Christi per fidem, in qua *caro* et *sanguis*, *cibus* et *potus* perperam distinguuntur, sermonem haberet. Ergo. — Demum formula ista, *manducare alicujus carnem*, si in proprio sensu non intelligatur, unum duntaxat habet sensum metaphoricum ; significat nimirum, ex usu apud Judæos recepto, alicui persecutione, insidiis et calumniis maximam injuriam inferre (Cf. *Job*, XIX, 22; *Mich.*, III, 3). Item locutio, *bibere sanguinem*, præter sensem litteralem, nihil nisi maledictionem pessimam metaphorice exprimit (*Jerem.*, XIX, 9; *Sap.*, XI, 7; *Apoc.*, XVI, 6). Ergo necessario excludendus est sensus metaphoricus, ideoque Christi oratio de vera et reali manducatione carnis ac sanguinis potatione intelligi debet.

2. *Ex modo intelligendi auditorum;* namque evidens est auditores, quibus omnia temporis et loci adjuncta obvia sunt, magis idoneos esse ad verum sermonis sensum intelligendum, quam qui loco, tempore et moribus longe ab oratore distant : porro auditores Christi, scilicet Judæi, discipuli et apostoli, sermonem Christi in sensu litterali de vera ac reali corporis manducatione et sanguinis potatione intellexerunt; — *Judæi* quidem, quippe qui dicuntur litigasse ad invicem, dicentes : « Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? » — *Discipuli* vero, ut patet ex sequentibus verbis (61) : « Durus est hic sermo, et quis potest eum audire? » et (67) : « Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro : et jam cum illo non ambulabant. » — *Apostoli* tandem, quos Christus sic alloquitur (68) : « Numquid et vos vultis abire? » Ergo verba Christi de Eucharistia vere ac realiter manducanda, non vero de sumptione carnis et sanguinis ejus per fidem intelligenda sunt.

3. *Ex ratione agendi Christi.* Is enim erat consuetus docendi

modus a Christo erga suos auditores usurpatus, ut quotiescumque locutiones metaphoricas in sensu litterali intelligebant, tunc ipse eorum mentem corrigeret, verborum sensum restringendo, et omnem ambiguitatem addita explicatione removendo (Cf. *Matth.*, XVI, 6; *Joan.*, III, 3-5; IV, 32; XI, 11; VIII, 32); dum e contra, si verba ab ipso prolata ab auditoribus jure et merito in sensu litterali intelligerentur, tunc sensum litteralem iterum atque iterum inculcaret (Cf. *Matt.*, IX, 2; *Joan.*, VIII, 38). Porro in præsenti casu tantum abest, quod Christus auditorum sententiam de reali carnis suæ manducatione correxerit, ut e contra in eadem intelligentia confirmaverit — tum Judæos, ipsis litigantibus et eum interrogantibus : « Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? » assertorie dicendo : « Amen, amen, dico vobis, nisi manduca- » veritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, » non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem » et bibit meum sanguinem habet vitam æternam... Caro mea » vere est cibus, et sanguis meus vere est potus; » — tum discipulos, quando, ipsis ex propositione carnis suæ realiter manducandæ graviter offensis et aperte murmurantibus : « *Durus est hic sermo...*, » nedum scandali causam tollat, difficultatem potius adauget, ad miraculum Ascensionis suæ appellando : « Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascen- » dentem, ubi erat prius; » eosque a se recedere permittit potiusquam verba prolata in sensum metaphoricum reducat; — tum denique Apostolos, dum se paratum exhibet ad eorum recessum potius sustinendum quam ad sensus litteralis rigorem per metaphoricam interpretationem mitigandum. Ergo oratio Christi eo intelligenda est sensu quem auditores intellexerunt, nimirum de vera et reali carnis manducatione et sanguinis potatione.

11. Obj. 1. Manducatio de qua loquitur Christus producit per se vitam æternam : « Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. » Atqui manducatio realis non producit per se hanc vitam, siquidem multi sunt qui ore sumunt Eucharistiam, et « judicium sibi manducant et bibunt. » Ergo. — Resp. *Dist. maj.* Manducatio de qua loquitur Christus per se vitam æter-

nam producit, spectata rei natura, *conc.*; quæcumque sit subjecti conditio, *neg.* Verba enim Christi intelligi debent cum conditione, nempe, si debitis cum dispositionibus hic panis vitæ manducetur; nam etsi ille panis, quod ad se attinet, semper vivificet, impediri potest ejus effectus ex indispositione illius qui ad sacram mensam accedit.

12 Obj. 2. Christus ipse aperte demonstrat verba sua de manducatione spirituali per fidem esse intelligenda, subjungendo : « Spiritus est qui vivificat, caro autem non prodest » quidquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et » vita sunt » Ergo. — Resp. *Neg. ant.* Duplex est enim citatorum verborum interpretatio, quarum neutra adversariis favet. Nempe multi dicunt Christum his verbis : *caro non prodest quidquam*, non loqui de carne sua, sed de hominibus carnalibus et carnaliter sentientibus, ita ut sensus hujus loci sit : verba mea talia sunt, quæ homo per carnem, id est, per sensum carnalem, seu per rationem corruptam et debilem, nec audire, nec percipere potest; sed requiritur *spiritus*, seu gratia Dei, quæ excitet et det fidem ac intelligentiam. Hæc autem sententia ex hoc potissimum solidatur, quod quotiescumque in S. Litteris nomen *carnis* opponitur nomini *spiritus*, aut alteri idem significanti, illud accipitur non pro natura carnis, sed pro infirmitate et culpa, quæ nascitur ex humana carne. — Alii tamen putant Christum loqui de carne sua et arguere Capharnaitas, qui existimabant eum agere de manducatione carnis suæ eo modo quo animalium carnes per frusta præcisæ edi solent. Etenim in verbis Christi duo intellexerant Capharnaitæ : primum, manducandam esse modo visibili et carnali, quo carnes communes per particulas concisæ manducantur. Primum non correxit Christus, sed sub juramento firmavit; alterum vero correxit his verbis : *caro non prodest quidquam*, nimirum manducata solum corporaliter.

II. *Ex verbis institutionis.*

13. Verba institutionis hæc leguntur (*Matth.*, xxvi, 26-29) : « Cœnantibus eis, accepit Jesus panem, et benedixit, ac » fregit, deditque discipulis suis, et ait : Accipite et comedite

» hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit et » dedit illis dicens : Bibite ex hoc omnes. Hic est enim san- » guis meus. » Similia invenire est apud S. Marc. (XIV, 22-25; S. Lucam (XXII, 14-20) et S. Paulum (I *Cor.*, XI, 23-25).

Ex his vero sic argumentari licet :

14. Ipsis fatentibus adversariis, verba institutionis sensu proprio et litterali intellecta realem Christi in Eucharistia præsentiam invicte demonstrant; atqui in sensu proprio et litterali debent intelligi. Ergo.

PROBATUR MINOR, scilicet *verba institutionis sensu proprio et litterali intelligenda esse*,

1. Ex *regula hermeneuticæ*, vi cujus in S. Scripturæ expositione, a sensu proprio et litterali recedere non licet, quoties eidem sensui non obstant aut alia Scripturæ loca, aut Traditio, aut certa rationis principia. Verba enim institutionis litteraliter intellecta — nec cum aliis Scripturæ testimoniis pugnant, sed e contra cæteris evangelicæ narrationi partibus apprime respondent; sic, v. g., perfecte consonant cum verbis promissionis : quod quidem non parum confirmatur ex conformi evangelistarum narratione, qui, quod ab uno obscure vel figurate expressum est, magis proprie et plenius explicare solent, nec proinde in re tanti momenti monere neglexissent, si vera esset sacramentarium interpretatio. — Neque etiam traditioni adversantur, sed e contra ipsi optime consentiunt, siquidem, ex infra dicendis, a sensu litterali et proprio nunquam recessit. — Neque demum sanæ rationi contradicunt, quippe quæ diffiteri non potest omnia possibilia esse apud Deum. Equidem adversarii ostendere conati sunt dogma præsentiæ realis esse absurdum; at eorum objectiones facile diluuntur, ut ex infra dicendis apparebit. Ergo.

2. *Ex ipsis verbis.* Nam præter quam quod panis et vinum neque ex natura rei, neque hominum usu, neque ex prævia Christi declaratione, ad significandum corpus et sanguinem ordinantur, modus emphaticus, quo exprimitur prædicatum, nempe cum articulo bis repetito, ita ut sensus sit : Hoc, quod trado manducandum, est *ipsum* corpus meum, *ipsum* quod pro vobis datur; hoc, quod porrigo bibendum, est *ipse* sanguis

meus, *ipse* sanguis Novi Testamenti, *ipse qui pro multis effundetur*; itemque verba, quibus utrumque prædicatum pressius definitur a Christo declarante illud, quod Apostolis tradebat ad manducandum et bibendum, esse corpus suum *quod pro nobis datur*, vel *tradetur*, et sanguinem suum *qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, hæc, inquam, sensum improprium et figuratum prorsus excludunt ac proinde locutionis proprietatem manifeste declarant de vero Christi corpore, quod solum pro nostra salute Deo offertur, et de vero ejus sanguine, qui solus pro mundi vita effunditur. Ergo.

3. *Ex variis adjunctis.* Si enim consideretur *persona Christi, qui loquitur*, ipse, anno superiori, publica et solemni prænuntiatione promiserat se daturum carnem suam ad manducandum et sanguinem suum ad bibendum; etsi vero multi ex discipulis ex hac declaratione scandalum passi fuerint, Apostoli tamen illud firmissime crediderunt. Audientes igitur Christum hæc verba proferentem: « *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, » statim agnoscere debuerunt divinum Magistrum jam implere quod promiserat. Insuper Christus hæc verba protulit pridie mortis suæ, quo tempore solent homines verbis uti perspicuis, non obscuris, non metaphoricis.

Si vero attendatur ad *conditionem et indolem Apostolorum* quos alloquebatur, erant homines simplices et inculti, ab interpretationibus tropicis adeo alieni, ut locutiones evidenter metaphoricas non raro in sensum proprium acceperint; Christi omnipotentiæ testes per triennium, assueti erant verbis Magistri simplicem fidem adhibere ob solam auctoritatem dicentis. Præterea erant Apostoli, quos Christus amicos vocaverat, quibus dixerat *datum esse nosse mysteria regni cœlorum* (*Matth.*, XIII); quos *cum dilexisset, in finem dilexit* (*Joan.*, XIII); quibus parabolas explicare solebat. Atqui credibile non est, his omnibus perpensis, Christum verbis metaphoricis usum fuisse, vel si quid in figura dixerit, id non exposuisse.

Si demum perpendatur *natura rei* de qua sermo erat, Christus, Eucharistiam instituendo, *testamentum* condebat; id exprimunt citata verba Evangelistarum; — *sacramentum* instituebat, ut fatentur omnes; — *legem* sanciebat, juxta hæc verba

S. Lucæ (XXII, 19): « Hoc facite in meam commemorationem ;» — tandem *novum dogma* proponebat, ut patet ex subjecta materia. Porro hæc omnia sensum metaphoricum omnino excludunt; nam — nihil exprimi solet clarius, distinctius, expressius quam testamentum, nec hucusque cuiquam venit in mentem testari per metaphoras, tropos aut figuras ; — verba legum clara sunt et perspicua, non metaphorica aut figurata, ne prævaricationi locus detur ; — sacramenta tam in veteri quam in nova Lege verbis propriis, claris et expressis semper instituta fuerunt, ne propter institutionis obscuritatem, in ritus inutiles aut superstitiosos verterentur, vel ne gratia orbarentur fideles si male administrarentur ; — tandem dogmata fidei, quamvis non semper verbis clarissimis in S. Scriptura proponantur, nunquam tamen iis verbis proferuntur, quæ proprio et naturali sensu usurpata, in fraudem et errorem inducerent. Ergo.

15. OBJ. 1. Verba institutionis in sensu metaphorico sunt intelligenda, ita ut sensus eorum sit : Hic panis est, seu significat, corpus meum ; nam vel pronomen *hoc* refertur ad panem quem præ manibus tenebat Christus, vel ad corpus ejus, vel ad species panis : atqui duo posteriora repugnant. Non refertur ad corpus Christi, quia, cum Christus pronuntiavit *hoc*, nondum aderat corpus Christi, quippe quod nondum prolata essent consecrationis verba; non ad species, cum species non sint corpus Christi; ergo refertur ad panem ; ergo verba ista in sensu metaphorico sunt intelligenda. — RESP. 1. Illius sophismatis vitium apparet, si ad alia exempla transferatur ; nullus enim negabit, v. g. aquam in vinum transmutari potuisse a Christo in Cana Galilææ his verbis : Hoc est vinum ; attamen illud ex præcedenti ratiocinio prorsus absurdum foret; ergo.— RESP. 2. Juxta communem explicationem, sensus prædictæ propositionis est : *Id quo præ manibus teneo, est corpus meum.* Ille autem sensus deducitur, tum ex natura pronominis *hoc*, quod demonstrat rem præsentem sub idea generali et confusa, quæ variis entibus potest applicari ; tum ex natura propositionis de qua agitur : nam hæc propositio non est speculativa, sed practica, id est, operatur quod designat : porro de natura propositionis practicæ est, ut illius sensus non sit

verus ac completus, nisi quando ipsa propositio completa est, alioquin propositio practica a speculativa non discreparet. Itaque, juxta hanc explicationem, exspectandum est donec propositio omnino completa sit, ut pronominis *hoc* sensus determinetur. — Alii tantillum aliter rem explicant, dicentes pronomen *hoc*, quod ideam vagam et generalem exhibet, varium habere sensum in propositione practica, juxta tempus quo consideratur. Cum itaque initio propositionis Christi res præsens sit panis, pronomen *hoc* illum significat hoc modo : hoc quod est panis, jam est corpus meum. Finita autem propositione ista quæ practica est, evenit quod significatum fuerat, et ideo pronomen hoc nihil amplius designat quam quod Christus præ manibus suis tenet, id est, corpus suum.

16. Obj. 2. In plurimis locis Scripturæ S., vox *est* eumdem sensum habet ac *significat*, v. g. (*Matth.*, VIII, 37) : « Qui semi- » nat bonum semen est Flius hominis; ager autem est mun- » dus. » Ergo a pari in præsenti propositione : *Hoc est corpus meum.* — Resp. In iis locis quæ objecta sunt, figuratus sensus aut diserte exprimitur, aut ex natura rerum, aut ex variis circumstantiis ita evidenter innotescit, ut nullus possit esse errori locus.

17. Obj. 3. Christus id comedit quod Apostolis porrexit; ergo proprium corpus manducavit, si realiter præsens est in Eucharistia : porro illud prorsus absurdum est; ergo. — Resp. 1 Plures negant Christum corpus suum manducasse, nec contraria profertur Ecclesiæ decisio. — 2. Quidam SS. Patres docent equidem Christum simul fuisse convivam et convivium; cum autem Christus in Eucharistia non esset modo naturali, sed sacramentali, nulla est in hoc repugnantia, aut saltem id probari nequit, uti ex infra dicendis patebit. Imo theologi advertunt istam Christi communionem esse rationi consentaneam, tum quia instituebat sacrificium, in quo decet sacerdotem victimæ participem fieri, tum quia Christus id observare voluit quod Apostolis præcipiebat.

III. *Ex verbis usum Eucharistiæ exprimentibus.*

18. Duo id genus afferri solent testimonia. *Primum* (I *Co-*

rinth., x, 16) ita se habet : « Calix benedictionis cui benedici-
» mus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis
» quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?
» Quoniam unus panis et unum corpus multi sumus omnes
» qui de uno pane participamus. Videte Israel secundum car-
» nem : nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?...
» Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum ; non potestis cali-
» cem Domini bibere et calicem dæmoniorum ; non potestis
» mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum. » —
Alterum testimonium (*ibid.*, xi, 27) post relata institutionis Eucharistiæ verba sic enuntiat idem Apostolus : « Itaque qui-
» cumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini
» indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem
» seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat.
» Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat
» et bibit, non dijudicans corpus Domini. »

Hæc verba nobis suffragari negant hæreticis; nos vero ab utroque testimonio dogma præsentiæ realis confirmari contendimus; quod quidem constat :

1. *Ex ipsis verbis in se inspectis.* Nam, ex alibi dictis, Scripturæ verba semper in proprio et litterali sensu intelligenda sunt, nisi constet ea alio sensu intelligenda esse vel ex aliis clarioribus textibus, vel ex traditione, aut evidenti ratione. Atqui Apostoli verba in sensu obvio et litterali intellecta corpus et sanguinem Christi exprimunt; nihil vero sensum figuratum expostulat, sed e contra sensum litteralem evidenter supponunt tum interpretationes SS. Patrum, tum alii Sacræ Scripturæ textus. Ergo.

2. *Ex fine quem intendit Apostolus in primo textu.* Vult enim ex dignitate victimæ cujus Christiani in suis cœtibus participes fiunt, illos a gentilium sacrificiis avertere; quod ut assequatur, ostendit eos qui vescuntur idolothytis realiter participes fieri mensæ dæmoniorum, non secus ac fideles qui sacræ Cœnæ assident, communicant corpori et sanguini Christi, et qui apud Judæos edunt hostias, participes sunt altaris judaici. Unde concludit (x, 21) : « Non potestis mensæ Domini participes esse et mensæ dæmoniorum. » Atqui si par-

ticipatio corpori et sanguini Christi fieret tantum per fidem et figurate, ut volunt sacramentarii, prorsus illegitima et inutilis esset Apostoli ratiocinatio. Si enim fideles Eucharistiam recipientes, corpus et sanguinem Christi per solam fidem accipiant, quomodo exinde inferre liceat eos qui idolothyta manducant, vere et realiter participes fieri sacrificii et altaris dæmonum. Ergo christiani non figurate et per solam fidem, sed vere ac realiter corpori et sanguini Christi participant, ac proinde admittenda est præsentia realis.

3. *Ex immani scelere quo rei fiunt Christiani* corpus et sanguinem Domini indigne recipientes. Etenim qui ad Eucharistiam indigne accedit, ab Apostolo exhibetur velut *reus corporis et sanguinis Domini;* porro illud manifeste evincit Christum in Eucharistia præsentem esse aliter ac per figuram; secus, rei pariter corporis Christi dicendi essent qui manna aut agnum paschalem indigne comedebant, vel etiam qui imagines Christi conculcant aut dilacerant. Ergo. — Et vere qui Eucharistiam indigne sumit, dicitur judicium seu damnationem suam manducare, quia *non dijudicat corpus Domini*, id est, corpus Domini a pane communi non discernit; porro hæc ratio afferri non potuisset in sententia novatorum; si enim in Eucharistia non realiter adsit corpus Christi, sed merus panis, quis unquam damnabitur, quia non discrevit panem eucharisticum a pane communi? Ergo corpus Christi realiter in Eucharistia præsens esse debet.

19. Obj. 1. Qui indigne suscipiunt SS. Eucharistiam, symbolum corporis Christi profanant; ergo dici possunt rei corporis et sanguinis Christi, quia injuria figuræ vel imagini irrogata ad prototypum refertur. — Resp. *neg. cons.*, et ad ejus probationem, *dist.* : injuria figuræ vel imagini irrogata refertur ad prototypum aliquo modo, *conc.;* perfecte, *neg.* Quæ igitur imagini fiunt, ad prototypum referri nequeunt ultra ea quæ natura rerum, vel usu hominum loquendi cognoscuntur; porro neque ex natura rei, neque ex usu loquendi dici potest manducari Christum, dum manducatur tantum ejus figura, præsertim quando bis aut ter res asseritur, uti in præsenti casu, in quo additur : *non dijudicans corpus Domini.*

20. Obj. 2. (*Heb.*, x, 29) : « Quanto magis putatis deteriora » mereri supplicia qui Filium Dei conculcaverit et sanguinem » Testamenti pollutum duxerit ? » Unde sic : In illo textu Filius Dei dicitur simpliciter conculcatus, quamvis id tantum metaphorice evenerit per peccatum ; ergo a pari corpus Christi dici potest manducatum, quamvis ejus figura solum sumpta fuerit. — Resp. *neg. paritatem ;* nam ex hominum usu aliquis dicitur pedibus conculcatus, vel ut aiunt, *traîné dans la boue*, quamvis id tantum metaphorice factum fuerit ; dum manducatio metaphorica nunquam dicta fuit simpliciter manducatio. Ita SS. Patres prædictum textum intellexerunt.

ARTICULUS II.

Exponuntur argumenta ex traditione deprompta.

21. Sacramentarii asserere non dubitant Traditionem ipsis patrocinari, at prorsus immerito ; constat enim dogma præsentiæ realis Christi in Eucharistia semper et ubique creditum fuisse — tum ex testimoniis SS. Patrum ; — tum ex Conciliis et Liturgiis ; — tum denique ex præscriptione.

I. *Ex testimoniis SS. Patrum.*

22. — I. Ex locis in quibus SS. Patres interpretantur verba institutionis. Is est character doctrinæ catholicæ circa Eucharistiam, ut sit clara et manifesta quoad sensum verborum in se spectatum, obscura vero et profunda quoad rem verbis significatam ; dum in doctrina Calviniana verba sunt obscura et inextricabilia, res vero significata clara et facilis. Unde, si SS. Patres exhibuerunt verba ut clara et aperta, rem vero significatam ut perdifficilem et mysterium, profecto admiserunt doctrinam catholicam : atqui utrumque constat. Ergo.

Constat *primum*, id est, *SS. Patres verba institutionis exhibuisse ut clara et aperta.* Illi enim exhibuerunt verba institutionis ut *clara et aperta*, qui ea referunt absque ulla explicatione et quidem in iis circumstantiis in quibus necessaria fuisset explicatio : porro SS. Patres

1. Verba institutionis referunt *sine ulla explicatione*. Semper enim absolute et simpliciter asserunt Eucharistiam esse corpus et sanguinem Christi, et nedum sensum figuratum insinuent, sensum litteralem urgent vimque verborum augere non dubitant, dicendo Eucharistiam esse *verum et proprium* corpus Christi, esse corpus *ipsius* Christi, esse *veram carnem, eamdem* quam in Incarnatione assumpsit, *eumdem sanguinem* quem in ara crucis effudit. Sic, ut quædam referamus testimonia, S. Irenæus (*contra Hæres.*, lib. 5, c. 2, n. 2) ait : » Calicem suum esse *sanguinem qui effusus est*,... et panem suum esse *corpus*, confirmavit (Christus). » — S. Hilarius (*de Trinit.*, lib. 8, n. 14) : « De veritate carnis et sanguinis non est ambigendi locus; cum enim et ipsius Domini professione, et fide nostra *vere* caro est et *vere* sanguis est. » — S. Ambrosius (lib. *de Mysteriis*, c. 9, n. 52) : « Hoc quod conficimus corpus ex Virgine est... *vera utique caro* Christi, *quæ crucifixa* est, *quæ sepulta* est. »

2. Verba præfata ne *in iis quidem circumstantiis explicant*, in quibus *necessaria erat explicatio*. Nam dato quod primi Christiani SS. Patrum mentem sat cognoverint, ut eorum verba in sensu litterali non intellexerint, saltem quando SS. Patres loquebantur coram neophytis qui nihil de Eucharistia hactenus audiverant, nisi auditores in errorem invincibilem injicere voluerint, prædicta verba necessario explicanda erant : porro nihil unquam de sensu figurato dixerunt SS. Patres, ut videre est in catechesibus ad initiandos seu catechumenos directis. Pro omnibus audiatur S. Cyrillus Hierosol. : « Qui videtur panis, inquit (*Catech.* 32, *Mystag.* 4, n. 9), panis non est, tametsi gustu sensibilis sit, sed corpus Christi; et quod videtur vinum, vinum non est, etiamsi ita gustui videatur, sed sanguis Christi. » Ergo.

Constat *secundum*, nempe *SS. Patres rem verbis institutionis significatam habuisse ut perdifficilem et grande mysterium*. Nam Eucharistiam proponunt velut *heroicæ fidei objectum*, velut *mysterium inscrutabile, miraculum omnipotentiæ Dei, prodigium* quo sensus et ratio falluntur. Brevitatis causa, duo tantum testimonia appellabimus. S. Cyrillus (*Catech.* 22,

Mystag. 4, n. 6) ait : « Non tanquam nudis et communibus elementis, pani et vino eucharisticis attende; sunt enim corpus et sanguis Christi secundum Domini asseverationem. Nam etiamsi aliud tibi suggerat sensus, *fides te certum et firmum efficiat.* Ne judices rem ex gustu; *sed ex fide citra ullam dubitationem certus esto* te corporis et sangninis Christi dono dignatum fuisse. » — S. Chrysostomus (*Hom.* 82, al. 83, n. 5, *in S. Matth.*) : « Credamus itaque ubique Deo, nec repugnemus ei, etiamsi *sensui et cogitationi nostræ absurdum esse videatur* quod dicit, et superet sensum et rationem nostram sermo ipsius... nam verba ipsius fallere non possunt; sensus noster deceptu facillimus est. »

23. — II. Ex locis in quibus SS. Patres dubia circa Eucharistiam nascentia proponunt et solvunt. — Nihil tam obvium ac frequens occurrit apud SS. Patres, ubi de SS. Eucharistia loquuntur, quam illam esse mysterium adeo altum, ac reconditum, ut dubia quædam circa veritatem præsentiæ realis in fidelium animis haud raro suboriantur : atqui sive perpendatur motivum prædictorum dubiorum, sive spectetur solutio quam SS. Patres tradunt, manifestum est illos admisisse realem Christi in Eucharistia præsentiam.

Id constat — 1. si perpendatur *motivum dubiorum.* Hoc est enim motivum a SS. Patribus assignatum cur fideles de Eucharistia dubitare soleant : *nec corpus, nec sanguinem video, sed tantum panem et vinum.* Quomodo ergo dicit Christus : *hoc est corpus meum?* « Forte dicas, ait S. Ambrosius (lib. *de Mysteriis*, n. 50, 51, 52) : *aliud video;* quomodo tu mihi asseris, quod *corpus Christi accipiam?* Et hoc superest nobis ut probemus. » Atqui tale dubium insulsum foret, nec proinde a SS. Patribus proponeretur, si ipsi dogma præsentiæ realis non admisissent. Si enim panis non sit nisi figura corporis Christi, quid insulsius fingi potest quam hujusmodi exclamatio : non video corpus, non video sanguinem? Numquid visio signi importat visionem rei significatæ? Ergo.

Idem constat — 2. si spectetur *solutio* SS. Patrum ad præfatum dubium. Nam ad solvendum istius modi dubium SS. Patres — vel simpliciter proponunt summam Dei veraci-

tatem, dicendo : Nolite credere sensibus qui fallunt, sed credite verbo quod est infallibile. « Cum *ipse Christus pronuntiavit*, inquit S. Cyrillus (*Catech. myst.*, 4), et *dixerit de pane : Hoc est corpus meum*, quis audebit deinceps ambigere? Et cum ipse dixerit : *Hic est sanguis meus;* quis unquam dubitaverit aiens non esse sanguinem. — Vel invocant omnipotentiam divinam : « Quod si tantum valuit sermo Eliæ, exclamat S. Ambrosius (*loc. cit.*), ut ignem de cœlo deponeret, non valebit Christi sermo ut species mutet elementorum? » — Vel memorant maxima Dei prodigia, videlicet, creationem mundi, transitum maris Rubri, aquam in vinum conversam, et alia hujusmodi, ut inde concludant Deum pari ratione Eucharistiam operari potuisse. Atqui si actum fuisset de præsentia tantum figurata, non necesse fuisset ad omnia hujusmodi recurrere, sed id tantum dicere satis fuisset : Non dicimus adesse in Eucharistia corpus et sanguinem Domini, sed panem et vinum figuram esse utriusque. Ergo.

24. — III. *Ex locis in quibus SS. Patres exponunt consectaria quæ ex dogmate Eucharistiæ defluunt.* Hæc sunt præcipua :

1. *Miraculum quo Christus corpus suum in Cœna præ manibus suis habuit.* S. August. (*in Ps.* XXXIII, n. 101) : « Manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur... *ferebatur enim Christus in manibus suis*, quando commendans corpus suum, ait : Hoc est corpus meum; *ferebat enim illud corpus in manibus suis.* »

2. *Reverentia qua tractandæ sunt minimæ particulæ Eucharistiæ.* Juxta SS. Patres, omnis particula Eucharistiæ est veneranda, pretiosior est gemmis, et summa cura servanda. Origenes (*in c.* 25 *Exodi*, hom. 13, n. 3) : « Nostis, qui divinis mysteriis interesse consuevistis, quomodo cum suscipitis corpus Domini, *cum omni cura et veneratione servatis, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur.* Reos enim vos creditis, et recte creditis, si *quid* inde per negligentiam *decidat.* »

3. *Adoratio quæ huic sacramento debetur.* S. August. (*in Ps.* XCVIII, n. 9), ait : « Christus ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit. Nemo autem carnem illam manducat, *nisi*

prius adoraverit. Inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, ut non solum non peccemus adorando, sed etiam peccemus non adorando. »

4. *Effectus quos producit sacra communio.* Juxta SS. Patres, per communionem manducamus realiter corpus Christi, caro Christi carni nostræ unitur, sanguis ejus venis nostris infunditur, sumus Christiferi, Christo concorporales. — Tertul. (lib. *de Resur. carnis*, c. 8) : « Caro corpore et sanguine Christi vescitur, *ut et anima de Deo saginetur.* » — S. Cyrillus Alex. (*advers. Nestor.*, l. 4, post medium) : « Nos qui illius *sanctæ carnis et sanguinis ejus participatione fruimur, omnino vivificamur;* cum in nobis maneat Verbum... humano modo per sanctam illam carnem pretiosumque ejus sanguinem. »

Hæc autem et similia explicari non posse in Protestantium doctrina, nemo non videt. Ergo.

25. Scholium. Quæ ex SS. Patribus fiunt objectiones, facile solventur, si ad hæc attendatur :

1. SS. Patres Eucharistiam nomine *panis* appellare potuerunt; quia ex pane conficitur; quia supersunt accidentia panis ; quia panis revera est, sed panis angelicus, esca cœlestis : sic in canone Missæ, post consecrationem omnino peractam, sacerdos vocat adhuc Eucharistiam *panem sanctum vitæ æternæ.*

2. SS. Patres, illæso dogmate catholico, Eucharistiam dicere potuerunt *figuram, typum, signum, symbolum* corporis Christi; Eucharistia enim multiplici sensu est signum, typus et figura, scilicet : — ratione specierum, sub quibus delitescit corpus Christi ; — ratione passionis Domini cujus Eucharistia est signum commemorativum et repræsentatio; — ratione corporis mystici et Ecclesiæ cum qua videlicet id habet similitudinis, ut fiat ex pane qui ex multis granis frumenti conficitur, sicut Ecclesia ex multis fidelibus coalescit.

3. SS. Patres multum commendant manducationem spiritualem, id est, manducationem corporis Christi cum dispositionibus requisitis, ut ex ea eximii salutis fructus percipiantur, quia manducatio realis sine spirituali potius noceret quam proficeret.

4. SS. Patres quandoque dicunt panem benedictum non esse Christi corpus; at hoc pane intelligunt eulogias seu panem benedictum, qui fidelibus in communionis signum dabatur, non vero panem consecratum et eucharisticum.

5. SS. Patres dicunt aliquoties corpus Christi idem non esse in Eucharistia ac in sinu Virginis, vel in cruce; sed loquuntur de modo, de statu, nunquam vero de substantia corporis.

6. SS. Patres quandoque asserunt corpora nostra nutriri, augeri corpore Christi; sed illud intelligendum est ratione specierum, quo etiam sensu dicitur corpus Christi manducari, tangi vel pedibus conculcari.

7. SS. Patres haud raro obscure loquuntur; nec mirum, ob legem silentii qua prohibebatur ne mysteria sacra infidelium cognitioni permitterentur. Sic S. Chrysostomus: « Norunt initiati calicem istum; scietis (cathecumeni) intra paucos dies.» (*Catech.*, I, n. 1) — (Et alibi) : « Vobis primum qui mysteriis estis initiati volo in memoriam revocare. » (Hom. 40, *in* I *epist. ad Cor.*, n. 1.)

II. *Ex Conciliis et Liturgiis.*

26. — I. Quod ad concilia attinet, præter decretum Tridentinæ synodi superius adductum, quo varia Protestantium commenta expressis verbis procul repelluntur, plurima afferri possunt testimonia.

1. Concilium Nicænum I non obscure fidem de reali præsentia profitetur, dum (can. 14) ait: « Neque regula, neque consuetudo tradidit, ut hi (diaconi) qui offerendi sacrificii non habent potestatem, his, *qui offerunt corpus Christi* (scilicet presbyteris) porrigant.

2. In concilio Ephesino, lecta et approbata fuit Epistola S. Cyrilli ad Nestorium, in qua hæc habentur: « Ad mysticas benedictiones accedimus, eaque ratione sanctificamur, utpote *sacræ carnis* et *pretiosi sanguinis Christi* participes effecti. Neque enim illam ut *carnem communem* suscipimus, sed tanquam *vere vivificam ipsius Verbi propriam.* »

3. Concilium Nicænum II, probata præsentia reali ex jam citatis S. Scripturæ textibus, sic concludit: « Ergo liquido

demonstratum est, quod nusquam Dominus, vel Apostoli aut Patres, *imaginem dixerunt sacrificium sine sanguine*, quod per sacerdotem offertur, sed *ipsum corpus et ipsum sanguinem.* »

4. Tandem conc. Lateranense IV in professione fidei hæc habet : « Credimus et confitemur corpus et sanguinem Christi sub speciebus panis et vini *veraciter contineri*, transsubstantiatis pane in *corpus* et vino in *sanguinem* potestate divina. » Hæc sane sufficiunt.

27. — II. Quoad liturgias, omnes, quotquot sunt, in eo conveniunt ut adstruant realem Christi præsentiam. Ex illis enim apparet

1. Deum invocari, ut panis fiat *corpus* et vinum *sanguis Christi*, et quidem idem corpus *quod pro nobis fuit crucifixum*, idemque sanguis, *qui pro nobis in Cruce ex latere Christi fluxit.* Sic in liturgia Ecclesiæ Hierosolymitanæ legitur : « Rogamus ut Spiritus Sanctus... efficiat hunc panem *corpus sanctum Christi tui*, et calicem hunc *pretiosum sanguinem Christi tui*... » In liturgia Romana sacerdos orat « ut nobis *corpus et sanguis fiat Domini nostri Jesu Christi.* » In missali Gothico seu Gallicano perantiquo, post orationem Dominicam sacerdos prosequitur : « Libera nos a malo, Christe Jesu! *Corpus tuum pro nobis crucifixum edimus, et sanguinem sanctum tuum pro nobis effusum bibimus.* » Similia invenies in omnibus aliis liturgiis a primordiis Ecclesiæ usque ad sæculum decimum sextum editis.

2. Populum post consecrationem fidem suam in realem corporis et sanguinis Christi præsentiam haud raro publice exprimere. Illud præsertim videre est in liturgia apud Æthiopes communi, in qua, postquam sacerdos ad consecrationem adhibuerit verba : « Hic panis est corpus meum, » populus respondet : « *Amen, amen, amen. Credimus et certi sumus.* Laudamus te, Domine Deus noster : *Hoc est vere, ita credimus corpus tuum.* » Et postquam sacerdos ad consecrationem calicis pronuntiaverit verba : « Hic est calix » etc., populus respondet : *Amen. Vere est sanguis tuus. Credimus.*

3. Hunc per plura sæcula in Ecclesia usum viguisse, ut sacerdos Eucharistiam administraturus diceret, hostiam osten-

dens : Corpus Christi, et unusquisque responderet : *Amen*, id est, *verum est*, *ita est*. Hujusmodi usus existentiam et antiquitatem confirmat S. Cyrillus Hierosolymit. (*in Catech.*, 5. *myst.*, *de sacra liturgia*).

Jam vero quis non videat hæc omnia ineluctabile nobis suppeditare argumentum in favorem præsentiæ realis, siquidem præfatis liturgiarum testimoniis non unius aut alterius privati doctoris, sed ipsius Ecclesiæ constans ac universalis fides patefit. Ergo.

III. *Ex præscriptione.*

28. Argumentum præscriptionis, quale invocari solet in confirmationem realis præsentiæ Christi in Eucharistia, sic instituitur :

Undecimo sæculo, quo Berengarius præsentiam realem impugnare cœpit, tota Ecclesia in eo dogmate consentiebat : atqui fieri non potuit ut ante Berengarium ulla mutatio in eo acciderit. Ergo veritatem hanc tota semper ac sine interruptione credidit Ecclesia, eamque post Christum docuerunt Apostoli.

Minor argumenti sufficienter constat ex iis quæ dicta fuerunt in Tract. *de Sacramentis in genere*, ubi de existentia sacramentorum. Id ergo unum probandum superest, nempe *totam Ecclesiam*, *tempore Berengarii*, *dogma præsentiæ realis tenuisse*. Id vero constat

1. *Ex unanimi reclamatione*, qua exceptus est Berengarius, cum errorem suum divulgare cœpit. Undique enim reclamatum est, brevissimoque temporis spatio, quindecim habita sunt concilia, in quibus huic doctrinæ dictum est anathema, In eum insurrexerunt viri omnium ordinum spectatissimi, doctores, abbates, episcopi, Romani Pontifices plurimi, nec ullus aut doctrina aut dignitate tantillum commendandus ipsi patrocinatus est.

2. *Ex consensione variorum hujus temporis auctorum.* Adelmanus, Berengarii condiscipulus, in Epistola ad eum scripta asserit quod ille se ab unitate sanctæ Ecclesiæ avulserit, eumque hortatur ut rempublicam christianam non conturbet. — Hugo Lingonensis ait quod Berengarius universalem Ecclesiam

scandalizat. — Guitmundus (lib. 3, de *Eucharistiæ sacr.*) hæc habet : « Panem et vinum altaris Domini in corpus et sanguinem Christi *substantialiter* mutari (non sicut delirat Berengarius, corporis et sanguinis Domini figuras tantum esse et umbras, aut intra se latentem Christum tegere) *universalis Ecclesiæ consensione* roboratum est. Secura igitur voce, gubernante Domino Deo nostro et Salvatore Jesu Christo, id a nobis asseri potest..... Notissimum namque est hoc tempore, priusquam Berengarius insanisset, hujusmodi vesanias nunquam fuisse. » — Tandem Lanfrancus, archiepiscopus Cantuariensis, Berengarium sic alloquitur : « Si verum est quod de corpore Christi tu credis et adstruis, falsum est quod ab Ecclesia ubique gentium de eadem re creditur et adstruitur... Interroga universos qui Latinæ linguæ nostrarumve litterarum notitiam perceperunt. Interroga Græcos, Armenos, seu cujuslibet nationis christianæ quoscumque homines. Uno ore hanc fidem se testantur habere. »

3. *Ex ipsamet responsione* qua Berengarii discipuli ab importunis adversariorum reclamationibus se expedire conabantur. « Prædicatum est evangelium, aiebant, in omnibus gentibus ; credidit mundus : facta est Ecclesia, crevit, fructificavit ; sed imperitia male intelligentium postea erravit et periit : in nobis solis et in his qui nos sequuntur, sancta in terris Ecclesia remansit. » Fatebantur proinde universam Ecclesiam usque ad Berengarii tempora præsentiæ realis dogma tenuisse. Ergo.

ARTICULUS III.

Exponuntur momenta rationis.

Cum Eucharistia sit opus Dei liberrimum, certum est ejus existentiam argumentis philosophicis probari non posse ; imo cum sit mysterium altissimum, ne ipsam quidem realis præsentiæ possibilitatem ex principiis naturalibus deducere fas est. Quamvis autem istud dogma sit supra rationem, rationi tamen non adversatur. Ad rationem enim pertinet non tantum difficultates solvere, quibus impugnari solet, verum

etiam rationes quasdam afferre, quibus præclarum hoc mysterium conveniens ostenditur. Duplex illud momentum, negativum unum, alterum vero positivum, nunc exponendum habemus.

I. *Momentum rationis negativum.*

29. Sacramentarii et rationalistæ unanimi ore clamitant realem Christi in Eucharistia præsentiam certissimis rationis principiis evidenter repugnare. Nos autem contendimus minime ostendi posse istud dogma rationem offendere; quod quidem constat multiplici probatione. Nam

1. Fieri nequit rem a Deo revelatam cum ratione evidenter pugnare, cum, ut ait conc. Vaticanum, idem « Deus qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit; Deus autem negare seipsum non possit, nec verum vero nunquam contradicere. » Jam vero ex antea probatis constat veritatem præsentiæ realis Christi in sacramento altaris clarissimis revelationis effatis demonstrari. Ergo impossibile est illud dogma humanæ rationi repugnare. — Et vero illud profecto non repugnat, quod Deus multis miraculis confirmavit : atqui plurima miracula in confirmationem præsentiæ realis edita sunt, v. g., quandoque sacræ species exhibuerunt formam humanam, vel sanguinem stillaverunt, etc.; ergo.

2. « Ut ostenderent adversarii, ait Perrone, realem Christi præsentiam in Eucharistia repugnare, deberent probe cognoscere intimam corporis essentiam et statum seu modum, quem dicimus sacramentalem, quo Christi corpus præsens est in Eucharistia; alioquin hæc duo comparare non possunt, nec proinde ex eorum collatione repugnantiam evincere. Atqui, etsi daremus eos optime callere naturam corporis, nullam adæquatam ideam aut cognitionem habent status seu modi sacramentalis, quo Christi corpus præsens est in Eucharistia. Impossibile propterea ipsis est instituere comparationem horum duorum terminorum; nequeunt proinde a fortiori ostendere eorum intrinsecam repugnantiam. Hinc fit ut nullius ponderis sit quævis difficultas ab ipsis proposita, neque ulla prorsus sit, quæ hac indirecta ratione solvi non possit. »

3. Tria potissimum objici solent adversus dogma præsentiæ realis; primum desumitur ex simultanea corporis Christi in pluribus locis præsentia; secundum, ex permanentibus speciebus panis et vini, cum jam substantia esse desierit; tertium, ex modo, quo Christus sub speciebus eucharisticis existit. De duobus posterioribus infra agetur, ideoque satis hic erit primam difficultatem paucis enucleare.

Porro triplici modo aliquid potest esse in loco, scilicet : circumscriptive, definitive et sacramentaliter : — *circumscriptive*, si ratione quantitatis loco commensuratur, ita ut totum sit in toto loco et singulæ partes in singulis partibus loci : tali modo corpus Christi est in cœlo, et meum corpus in loco quem occupat; — *definitive*, si ita est in uno loco, ut totum sit in toto loco et totum in qualibet parte loci, sed tamen alibi non adsit. Hic modus existendi proprius est spiritibus, v. g., animæ humanæ quæ est quidem tota in corpore, et tota in singulis partibus corporis, sed non alibi; — *sacramentaliter*, si totum sit in loco et totum in qualibet loci parte, sed non ita determinatur ad essendum in uno loco, ut non sit simul in aliis locis; ille est modus quo Christus existit in Eucharistia, ut clarius patebit ex infra dicendis.

Jam vero, etsi admitteretur idem corpus non posse esse simul in pluribus locis præsentia circumscriptiva, de quo disputant philosophi, nihil obstat quin supernaturaliter idem corpus sit in uno loco circumscriptive et in aliis sacramentaliter. Unde concilium Tridentinum (sess. 13, cap. 1) dicit : « Nec hæc inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in cœlis assideat, juxta modum existendi naturalem, et in multis nihilominus aliis locis *sacramentaliter* præsens *sua substantia* nobis adsit. » Ratio est quia præsentia sacramentalis corporis Christi, quæ fit per conversionem panis in ipsum corpus Salvatoris nostri, multiplicari potest, quin multiplicetur corpus. Nonne anima in omnibus corporis mei partibus simul præsens est, quin unitatem suam amittat? Nec refert distantia locorum, ubi agitur de præsentia non corporali, sed spirituali.

Nec reponant adversarii corpus Christi, si sit simul in cœlo

juxta modum existendi naturalem, et in singulis hostiis consecratis sacramentaliter, esse a seipso distans ideoque non idem, vel posse simul manducari et non manducari. — Nam 1. corpus Christi, quando simul præsens adest in cœlo et in altari, est quidem a se distans secundum *diversos modos existendi*, sed non secundum *entitatem*. Respectu enim corporis Christi, modo spirituali et indivisibili in Eucharistia existentis, non datur proprie distantia; siquidem dici nequit inter ipsum in cœlo et ipsum in altari plura mediare corpora. — 2. Corpus Christi non *proprie* manducatur aut esse desinit, sed species manducantur et desinunt; seu, si mavis, corpus Christi manducatur sub speciebus et desinit esse sub speciebus. Itaque sine contradictione dici potest ipsum manducari sub his speciebus et non manducari sub aliis, vel desinere sub illis speciebus et non desinere sub istis. Contradictoria namque sunt de uno et eodem subjecto sub eadem ratione.

II. *Momentum rationis positivum.*

30. Ostendendum habemus ratione suaderi dogma præsentiæ Christi realis in Eucharistia. Jam vero illud dogma ratio fide innixa admittendum esse suadet quod summas Dei perfectiones mirum in modum illustrat, hominisque bonum maxime promovet : atqui hæc asserenda sunt de reali præsentia Christi in Eucharistia. Ergo.

PROB. PRIMA PARS MINORIS, scilicet : *dogma præsentiæ realis summas Dei perfectiones illustrat*, omnipotentiam præsertim, sapientiam et bonitatem.

I. Et quidem illustratur *omnipotentia*. Tunc enim omnipotentia divina refulget, cum miracula multa eaque præstantissima efficiuntur : porro multa esse et omnino stupenda quæ involvit dogma Eucharisticum miracula, statim perspiciet qui attendere voluerit Christum sub speciebus panis et vini nonnisi præsentem fieri per multiplicem simultaneamque derogationem plerisque naturæ fundamentalibus legibus, continuo et ubique renovatam ; nec ullum esse portentosum Dei opus, cui impar sit Eucharistiæ sacramentum.

Et vero, ut Christus ibi sistatur, suspendantur et quasi im-

mutentur necesse est leges quæ proxime et immediate profluunt ex natura rerum, eæ scilicet quæ intime regunt tum substantias corporeas et earum existendi modum atque operationem, tum accidentia et eorum ad substantiam habitudinem dependentemque virtutem, tum relationes substantiarum corporearum inter se, necnon et earum subordinationem spiritualibus substantiis, quarum præsentiæ modum non tantum imitatur corpus Christi, sed et superat, cum innumeris fere in locis vere adsit, atque adeo immensitatem divinam æmulari videatur. — Quin etiam ipsi legi derogatur quam Deus sibi in patrandis miraculis imposuit; non enim raro, sed singulis diebus et instantibus; non in selectis quibusdam locis, sed *in omni loco, ab ortu solis usque ad occasum;* non diversis sæpiusque inefficacibus mediis, sed eodem semper atque infallibili modo; non denique per viros sanctitate conspicuos, post humillimas ingeminatasque preces, sed per bonos malosque ministros, ad eorum nutum ac libitum, nonnullorumque verborum prolatione, hæc Eucharistica miracula adversa quasi lege efficiuntur; et, quod præ cæteris mirandum ac stupendum est, ipse Deus hominis imperio se docilem præbet et obsequitur.

Nec minus splendescere videtur Eucharistia, si cum aliis præstantissimis Dei operibus, creatione scilicet, incarnatione, justificatione atque electorum justificatione componatur; nedum enim his mirabilibus impar sit, quidquid contra sublime ac divinum præ se ferunt, hoc in se continet nobisque colendum proponit. In Eucharistia nempe datur actio vere creatrix, cujus terminus ipse est Christus, terrestria simul et cœlestia pulchritudine vincens, excellentia superans; nec minore supervenientis Spiritus Sancti virtute induitur sacerdos quam Beatissima Virgo divinitus Mater ejus effecta. Nonne etiam sub Eucharistico velamine latet idem ille unigenitus Dei Filius, qui plenus gratiæ et veritatis, peccatores justificat sanctosque perficit? Nonne ibi cum humanitate sua glorificata Verbum, paternæ gloriæ splendor, imo, vi circuminsessionis, Trinus ille Deus cujus aspectu cœlites omnes divino lumine perfusi sine fine beantur, sedem ac thronum velutique paradisum

constituit? Jure igitur exclamavit S. Augustinus : *Cum esset potentissimus, plus facere non potuit.*

II. Eucharistia illustrat Dei *sapientiam*. Hæc est divinæ sapientiæ summa ratio, ut præstituto sibi excellentissimo fine, disponat omnia suaviter et attingat a fine in finem fortiter : atqui

1. Præstantissimus est finis a Christo per Eucharistiam intentus : quippe qui non alius sit ac finis ipsius Incarnationis et Redemptionis his in terris perficiendus ; gloria nempe Dei et Christi, hominumque salus ad consummationem usque sæculi uberrime procuranda.

2. Suaviter in Eucharistia assequendo fini omnia disponuntur : eximium enim nobis exhibet divinorum operum compendium, juxta illud regii vatis (*Ps.* cx, 4) : « Memoriam fecit » mirabilium suorum misericors et miserator Dominus. » Sed præcipue Incarnationis Redemptionisque mysteria nobis ad vivum repræsentat, perennia facit, atque sub symbolis infirmitati nostræ maxime proportionatis percipienda continuo objicit. Unde fit, ut ad ea semper recogitanda, colenda atque sumenda alliciamur. Ipsis enim symbolis intelligimus priscam maledictionem nobis esse in benedictionem mutatam, quibus jam datur cibum illum de laboribus manuum nostrarum manducare, qui nos cibo perditos reparare, Deoque saginatos vere Deiformes efficere valet.

3. Eucharistia a fine ad finem fortiter attingit ; per eam enim mirum in modum glorificatur Deus, extollitur Christus, perficitur Redemptio mundi.

Glorificatur Deus ; nam innumeris per orbem in altaribus quotidie Christus sistitur, offertur et immolatur ; innumeris etiam in tabernaculis die noctuque permanet ; ab innumeris fidelibus sumitur et manducatur. Infinitas ergo laudes gratiarum actiones, acceptissimasque supplicationes ac deprecationes, sive in propria persona, sive in fidelibus vivens Christus vere Deo Patri persolvit. — *Extollitur Christus* ; quippe in Eucharistia humanitas ejus nova impassibilitate et immutabilitate donatur, alium existendi modum acquirit, Deum immensum imitatur, et mysticam induit immortalitatem, vi cujus,

licet indesinenter sit occisus, integer permanet et vivus. Ne multa, in hoc sacrificio et sacramento Christus Dominus omnia trahit ad semetipsum, nec immerito centrum dicitur totius Religionis in quo conveniunt omnes familiæ, tribus, gentes et populi, imo et cœlites qui eum proni adorant et venerantur. Quanta ergo ipsi benedictio, honor et gloria! — *Perficitur redemptio mundi*; enimvero finis et consummatio Redemptionis est omnia pacificare quæ in cœlis et quæ in terra sunt : porro, ut in cœlo, sic et in Eucharistia Christus adstat semper vivens ad interpellandum pro nobis, et Patri sua continuo exhibet vulnera, ut perpetuæ pacis fœdera nobis exoret. Ea autem quæ in terris sunt pacificat etiam, tum compescendo bellum istud quod in nobis propter colluctantes passiones exardescit, sive perfecto abnegationis exemplo, sive jugi gratiarum imbre quem effundit; tum homines inter se caritatis vinculis devinciendo, quos corporis et sanguinis sui communione cor unum animamque unam efficit. — A fine igitur ad finem fortiter attingit, iterumque cum S. Augustino exclamare possumus : *Cum esset sapientissimus, plus facere nescivit.*

III. Eucharistia *bonitatem divinam* illustrat. Communicationibus suis clarescit summa Dei bonitas. Cum enim bonum sit suipsius diffusivum, omnino conveniens est ut summum bonum, imo ipsa bonitas, etiam ad extra, seu creaturis suis in summo gradu ea quæ suiipsius sunt communicet : porro in Eucharistia multiplex datur bonitatis divinæ ineffabilis communicatio, nempe :

1. Nobis in edulium traditur humanitas illa Christi quæ propter suam cum Verbo personalem unionem bonitatem divinam ita participavit, ut quasi deitate delibuta ac *verbificata*, juxta Patrum loquendi modum, summe communicabilis effecta fuerit, nec unquam exhauriri valeat. — 2. Humanitas autem illa Christi bonitatem suam participatam nobis haud tantum communicat, sed etiam est veluti quoddam vehiculum cujus ope ad nos usque pertingit Verbum, suamque in singulis Incarnationem complet. Unde jure prorsus ac merito Incarnationis extensionem Eucharistiam Patres appellaverunt. — 3. Cum vero, vi circuminsessionis, divinæ personæ inseparabiles sint,

Pater et Spiritus Sanctus animæ quoque nostræ illabuntur et mansionem apud nos faciunt. — 4. Non mirum igitur quod in Eucharistia Christus nos cœlestibus ditet thesauris, nobisque claritatem illam impertiatur quam accepit a Patre, cum nobis fieri velit ipse propriæ suæ vitæ communio. — 5. Sed, ut hæc jure possideamus, ea etiam nobis affert et largitur bona quæ in omnibus vitæ suæ mysteriis comparavit, merita scilicet et satisfactiones; nec etiam, cessante præsentia ejus sacramentali, nobiscum vivere desinit in communione mysteriorum suorum. — 6. Denique tanta est divinæ bonitatis per Eucharistiam diffusio, ut ipsa panis ac vini accidentia Incarnationem pro suo modulo participent et ad Redemptionem complendam divinitus assumantur: quippe quæ peculiari ineffabilique unione Christo devinciantur, et ad nutriendas spiritualiter animas eleventur. Unde et ipsa rationem summi boni obtinent, et vere causa sunt cur Christus Dominus, Deus et homo, imo tota Trinitas, novo ac superexcellenti præsentiæ modo, his in terris permaneat, rectissime appellatus Emmanuel, seu nobiscum Deus.

Nonne igitur in Eucharistia caritas est Deus? Nonne vere sui prodigus præ desiderio hominis? Hæc sane non latuerunt S. Augustinum, cujus verba, conclusionis instar, iterum nos usurpare juvat : *Deus, cum esset ditissimus, plus dare non habuit.*

31. PROB. 2ª PARS MINORIS, nempe, *per realem Christi in Eucharistia præsentiam, maxime promoveri hominis bonum.*

Enimvero præsentia Christi realis non solum exigit uberrimam nobis conferri gratiam, ut infra ostendemus; neque solum nos excitat ad conspicuam sanctitatem assequendam, ut ipso Deo hospites digni efficiamur; sed et, si per singulas virtutes discurramus, innumeras nobis præbet occasiones et rationes illas perfecte exercendi quæ Deum proxime attingunt, ut sunt virtutes theologicæ, et inter morales religio.

1. *Exercetur et augetur fides*, quæ, ut ait S. Gregorius, « non habet meritum, ubi ratio præbet experimentum. » Nam adeo alta et profunda sunt quæ de præsentia Christi reali nobis credenda proponuntur, ut, juxta S. Thomam et alios theologos, intellectum etiam Angelorum naturalem omnino

transcendant. — Nec unum hujusmodi mysterium ac miraculum Eucharistia complectitur, sed multa quasi ordinaria lege confecta, et continuo ad sacerdotum nutum ubique iterata. — Maxima est insuper Eucharistiæ cum cæteris religionis Christianæ mysteriis, ad redemptionem præsertim attinentibus, connexio; ea siquidem præsupponit, ad vivum repræsentat et perficit. Unde fit ut sit symbolum permanens et quasi epitome credendorum, quo fides nostra mirum in modum adjuvatur et confirmatur. — Imo eo efficacius captivatur intellectus in obsequium fidei, quo frequentius oculis nostris objicitur et exponitur sanctissimum altaris sacramentum. — Exerceatur ergo per Eucharistiam fides et quotidiana suscipiat incrementa veluti necesse est. Sed etiam

2. *Excitatur et roboratur spes.* Nullum enim excogitari potuit, præter Verbi divini Incarnationem, accommodatius remedium ad augendum animum in prosecutione æternæ beatitudinis, tum quia corporis et sanguinis Christi consortium ejusque nobiscum permanens præsentia nos animosiores facit sive ad abjiciendum timorem mundanum, sive ad superandas miserias ac ærumnas, quæ nos in via maxime retardant, sive ad vincendos dæmones salutis hostes; — tum quia sacramentum illud jugeque sacrificium uberrimas nobis obtinet gratias actuales; — tum quia frequentius, ferventius ac fiducialius orantes, auxilium in tempore opportuno facilius assequimur; — tum quia jam cum Deo familiares, accepto pignore infiniti valoris, perfruendæ æternæ beatitudinis certiores efficimur, nedumque præsentia Domini detineamur, ne sursum erigatur animus, maxime potius accendimur, ut eum vividius facie ad faciem conspicere exoptemus, quem sub panis specie nunc habemus præsentem et latentem; — tum demum quia cum Deo ita conjungimur per communionem, ut uno vix gradu a patria distare videamur, meritoque illud Pauli (*Rom.*, VIII, 24) usurpemus : « *Spe salvi facti sumus.* » Unde etiam

3. *Crescit et exardescit caritas.* Et vero, juxta omnes, amoris causa præcipua est ipse amor amorisque significatio, Christus autem Eucharistiam in ipsa nocte qua tradebatur instituens, licet innumeras prævideret injurias quibus in dies

futurus esset obnoxius, nos in finem vere dilexit amorisque certiores efficere voluit; nam, præter memoriale illud perenne mortis, quo nobis dilectionem suam ostendere parabat, intimos animi sui sensus ultro et quasi amore pressus patefecit his verbis (*Luc.*, XXII, 12) : « Desiderio desideravi hoc pascha » manducare vobiscum, antequam patiar. » Sic nos amantem quis igitur non redamaret? Quis non summopore diligeret ducem illum et pastorem qui nos carne et sanguine suo pascitur, vereque nobis pellicanus est?

Sed præter significationem amoris, quatuor sunt quæ redamationem juvant et accendunt : præsentia, convictus, liberalitas et conjunctio. Jam vero in Eucharistia Christi deliciæ sunt permanere cum filiis hominum, nobiscum stupenda nimis familiaritate convivere et epulari, sua nobis bona profundere ac seipsum superimpendere, demumque germanissima nobis societate conjungi. Quis igitur hæc intuens et secum animo reputans redamationis sensus cohibere posset? Nonne, si tot incitamentis cooperaremur, in immensum veluti incendium caritas nostra exardesceret? Hæc sane experti sunt sancti Eucharistiæ addictissimi, qui sibi verba deesse haud semel conquesti sunt, quibus succrescentem amorem penitus exprimerent.

Nec minor est vis et efficacia Eucharistiæ ad augendam caritatem erga proximum. Hæc est enim hujus sacramenti indoles, ut per symbola panis et vini summam fidelium inter se et cum Christo unionem significet et ideo producat. Sed insuper caritatis ordo exigit, ut Deo nobisque conjunctiores majori dilectione prosequamur; porro corporis et sanguinis Domini communione in unum cum Deo et nobiscum consummamur. Manifeste ergo consequitur nos, per Eucharistiæ sacramentum, efficacius inclinari ad diligendos homines, quos omnes ad cœnam suam invitat Deus. Hinc est quod cum S. Augustino jure exclamare possimus (*in Joan.*, tract. 26, n. 83) : « O sacramentum pietatis! o signum unitatis! o vinculum caritatis! »

4. *Extollitur et promovetur religio.* Objectum religionis est cultus quo mirabile Deum inter et homines commercium instauratur : porro cultum illum nihil magis promovet quam

dogma catholicum de præsentia Christi reali in Eucharistia, cui adnectitur ratio sacrificii et sacramenti.

Et vero præsentia Christi reali efficitur, ut fideles, non inani jactantia paganorum, sed vero ac potiori jure quam Israelitæ, gratulari sibi valeant quod Deum suum unum et trinum secum inhabitantem perenniter possideant, eumque pro libitu adire et alloqui possint. — Perfectissimus etiam religionis actus, qui in cultu sacrificandi consistit, infinitam quamdam habet apud Christianos dignitatem et excellentiam mirosque sortitur effectus : ipse enim Christus sacerdotem gerit et victimam, nec est quod sacrificii fines et fructus uberrimos non obtineat. — Sacramentum denique percipiendo non tantum sanctificamur, sed dignas Deo grates pro collatis donis agimus, juxta illud : (*Ps.* CXV, 3) : « Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retri-» buit mihi? calicem salutaris accipiam et nomen Domini invo-» cabo. » Quis igitur impensius non coleret Deum, ea quæ nobis dedit sibi in honorem acceptantem?

In hoc autem maxime commendatur religio Christiana, quod, cum proclives sint homines ad sensibilia, signa eis objiciat haud inania ac vacua, sed gratia ac virtute plena, imo quæ ipsum Deum continent auctorem sacramentorum, cui proinde latriæ cultum absque superstitione et idololatria fas est persolvere : « Sacramento enim visibili divina se infudit essentia, inquit S. Cyprianus de Cœna Domini, ut esset religioni circa sacramenta devotio. » Unde merito colligitur ex Eucharistia divinam continuo dimanare virtutem, quæ in cætera sacramenta diffluit eorumque excellentiam adauget; imo nullum esse religionis actum qui ab hujusmodi influxu sit immunis. Hinc enim cultus divini splendor; hinc cæremoniarum pompa ; hinc superba ubique exstructa et ornata templa; hinc tota denique liturgia.

Quanta vero exinde accedat Ecclesiæ perfectio, attendenti cuique patet. Nam vere ei datum est id reipsa habere quod signis tantum et figuris tempore Mosaïcæ legis adumbratum est; nec nisi divinitus dictum a S. Dionysio fuit eam mediam esse inter synagogam et supremam Hierusalem, ac propterea utriusque participem. Quis igitur satis unquam mirari poterit

sanctæ hujus Ecclesiæ præcelsam ac sublimem gloriam, cum inter eam et cœlestem beatitudinem unus tantum gradus interesse videatur? (Cf. *Cath. Rom.*).

Inconcussum ergo manet catholico dogmate de præsentia Christi reali in Eucharistia hominis bonum maxime promoveri; aliunde mirum in modum perfectiones Dei illustrantur; ergo.

CAPUT II.

DE NATURA PRÆSENTIÆ REALIS CHRISTI IN EUCHARISTIA.

Probata veritate præsentiæ corporis et sanguinis Christi in Eucharistia, de natura ejusdem præsentiæ tractandum venit. Quod ut assequamur, seorsim disseremus : — 1. De modo quo Christus ponitur in Eucharistia; — 2. de modo quo sub speciebus sacramentalibus existit; — 3. de duratione ejus præsentiæ sub iisdem speciebus.

ARTICULUS I.

De modo quo Christus ponitur in Eucharistia seu de transsubstantiatione.

32. Transsubstantiationis notio. Modus quo Christus præsens fit in Eucharistia, *transsubstantiationis* nomine designari solet. Hæc autem a concilio Tridentino (sess. 13, can. 2) definitur : « Conversio totius substantiæ panis in corpus Christi, et totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis et vini. » — Vox illa *transsubstantiatio* videtur primum usupata ab Hildeberto episcopo Cenomanensi, ineunte sæculo XII, vel juxta quosdam, sæculo X, a Stephano, episcopo Æduensi.

Quidquid sit, ex præfata definitione duo spectant ad modum quo Christus præsens fit in Eucharistia, nimirum conversio substantiæ panis et vini in corpus et sanguinem Christi, et permanentia specierum. Ad perfectiorem igitur hujusce

dogmatis declarationem seorsim expendemus : — 1. an et quatenus per consecrationem eucharisticam substantia panis et vini in corpus et sanguinem Domini convertatur ; — 2. quid nomine specierum sacramentalium veniat.

§ I. An et quatenus per consecrationem eucharisticam substantia panis et vini in corpus et sanguinem Christi convertatur?

33. Errores. Lutherani, licet realem Christi in Eucharistia præsentiam admittant, asserunt tamen una cum corpore et sanguine Domini etiam substantiam panis et vini in Eucharistia adesse. At in explicanda corporis et sanguinis Christi conjunctione non inter se consentiunt.

Alii, ut Osiander, admiserunt, cum quibusdam Berengarii discipulis, *impanationem*, quæ, si daretur, esset unio hypostatica Verbi cum pane et vino, ita ut Verbum sibi panem et vinum assumeret, sicut naturam humanam assumpsit, vel immediate, vel, juxta alios, mediante corpore Christi.

Alii vero cum Luthero invexerunt *consubstantiationem*, id est, associationem corporis et sanguinis Christi cum pane et vino. Unde in hac sententia sensus verborum consecrationis esset : *hic* (adverbialiter) est corpus meum, seu corpus meum est hic cum pane, vel sub pane, vel in pane.

Attamen plerique Lutherani simpliciter asserunt duas substantias inter se conjungi unione, quam sacramentalem vocant, et in eo consistere affirmant quod una cum pane et vino vere et realiter, unoque actu verum corpus verumque sanguinem Christi citra omnem conversionem vel transmutationem accipiamus.

Huic errori Lutherus alium addidit, respondendo Zwinglianis objicientibus corpus Christi in cœlo et in Eucharistia simul existere non posse, corpus Christi hypostatice unitum Verbo ubique præsenti, *ubique* pariter existere. Qui hanc amplexati sunt sententiam dicti fuerunt *ubiquistæ*.

Contra hos errores sit assertio sequens :

34. Assertio : *Tota substantia panis et vini in Eucharistia per consecrationem convertitur in substantiam corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi.*

Est de fide; hæc enim habet conc. Trid. (sess. 13, can. 2): « Si quis negaverit mirabilem illam et singularem *conversionem totius substantiæ panis in corpus et vini in sanguinem*, manentibus duntaxat speciebus panis et vini, quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissime *transsubstantiationem* appellat; anathema sit. » Præiverat concil. Later. IV, dicens : « Credimus corpus et sanguinem Christi sub speciebus panis et vini veraciter contineri, *transsubstantiatis pane in corpus et vino in sanguinem.* »

Prob. 1. *Script. S.*, ex verbis scilicet institutionis : *Hoc est corpus meum*, quorum sensus naturalis et obvius transsubstantiationem indicat, sed præsertim impanationem et consubstantiationem excludit.

1. Sensus naturalis et obvius verborum institutionis *indicat transsubstantiationem;* nam dicens Christus de pane: *hoc est corpus meum*, affirmat eo ipso id quod sumpserat, panem scilicet, in proprium corpus conversum fuisse; ergo.

2. Idem textus *in sensu impanationis intelligi nequit;* nam sensus ille repugnat — sive contextui: Christus enim his verbis : *Hoc est corpus meum,* addit *quod pro vobis tradetur:* porro corpus Christi traditum pro nobis non fuit corpus panaceum, sed corpus ex B. Virgine ortum; — sive regulis communicationis idiomatum; nam ex regula communicationis idiomatum, substantiæ possunt quidem de persona prædicari, sed non de se invicem : ergo dicere non potuit Christus : hoc corpus panaceum, quod præ manibus habeo, *est* corpus meum carneum, sed tantum hypostatice *unitum fuit* corpori meo carneo; ergo.

3. Verba Christi *consubstantiationem omnino excludunt;* nam juxta adversarios eodem modo intelligendus est præfatus textus ac si dictum fuisset : hic est corpus meum : porro non legitur in Scriptura adverbium *hic*, sed pronomen *hoc*. — Præterea, si post consecrationem remaneret substantia panis, hæc demonstraretur per pronomen *hoc:* atqui falsum est panem esse corpus Christi. Ergo. Patet major ex eo quod quando duæ substantiæ sunt in eodem loco, una sensibilis per propria accidentia, altera sub iisdem accidentibus latens, et hæ duæ

substantiæ ita ad se invicem ordinantur, ut neque ex natura sua, neque ex usu, illa quæ per propria accidentia sensibilis est alteram contineat, tunc pronomen *hoc* non hanc substantiam latentem, sed aliam per propria accidentia visibilem designat.

Prob. 2. *Auctoritate SS. Patrum*, qui, loquentes, de transsubstantiatione, docent in Eucharistia fieri *transmutationem*, *transformationem*, *mutationem* similem ei quæ in Cana Galilææ evenit, ac proinde Eucharistiam consecratam non esse panem communem, sed ipsum corpus et sanguinem Christi. Brevitatis causa hæc sufficiant testimonia : S. Cyrillus Hieros. (*Cathech. Mystag.*, 22, n. 2) ita se habet : « Aquam olim in vinum (Christus) transmutavit ; et eum parum dignum existimabimus cui credamus, quum *vinum in sanguinem transmutavit.* » — S. Ambros. (lib. *de Mysteriis*, c. 9, n. 52), loquens de Eucharistia ait : « Qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non posset ea quæ sunt *in id mutare quod non erant?* — S. Greg. Nyss. (Orat. *Catech.*, c. 37) : « Panis statim per verbum *in corpus transmutatur.* » — S. Chrys. (*de prod. Judæ*, hom. 2, n. 6) : « Hoc est corpus meum, inquit ; hoc verbum *proposita transformat.* » Tandem S. Augustinus (serm. 27 *in die Paschæ*) : « Panis ille quem videtis in altari, sanctificatus per Verbum Dei, *corpus est Christi.* Calix ille, imo quod habet calix, sanctificatum per Verbum Dei, *est sanguis Christi.* »

Prob. 3. *Liturgiis.* Constat enim ex testimoniis superius adductis ad stabiliendam veritatem præsentiæ realis Christi in Eucharistia, Deum in confectione hujus sacramenti rogari ut panem et vinum per Spiritum Sanctum *transmutet, transferat, convertat in corpus et sanguinem Christi,* aut *faciat corpus et sanguinem Christi proprium*, seu ut *fiat nobis corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi.* — Demum omnes Ecclesiæ Orientales in hoc puncto concordant cum Ecclesia Romana.

Obj. Vitari debent, ex Apostolo, profanæ vocum novitates ; ergo rejicienda est vox *Transsubstantiatio.* — Resp. *dist.* : vitari debent vocum novitates, quæ dogma novum et inauditum significant ad sensum Apostoli, *conc.* ; quæ dogma antiquum a Christo propositum exprimunt, *nego.* Porro vox *Transsubs-*

tantiatio antiquum dogma significat, ac æquivalenter usurpata est a SS. Patribus, qui verbis *transelementationis, mutationis, conversionis* et similibus usi sunt. Sic, Arii et Nestorii temporibus, voces *consubstantialis* et *Deipara*, antea insolitæ, ab orthodoxis, ut apertius refellerent hæreticos, adhibitæ fuerunt.

35. Quæritur 1. *Utrum substantia panis et vini ita per consecrationem esse desinat, ut nihil prorsus ejusdem remaneat.*

Ex thesi modo probata, compertum est substantiam panis et vini non manere in Eucharistia, ac proinde procul repellendas esse impanationem et consubstantiationem Lutheranorum. Attamen non defuerunt theologi sive inter antiquos, sive inter recentes, qui existimaverunt illæsa fide dici posse post consecrationem in altari superesse — vel *materiam* panis et vini, desinente forma substantiali; — vel *formam hanc* panis et vini, desinente materia; — vel totam *naturam* panis, sed non *substantiam*, quia panis et vinum in corpore Christi esse incipiunt et ab eo sustentantur. Jam vero

Prima opinio, quæ a Durando, episcopo Mimatensi, excogitata fuit, adversatur — tum *concilio Tridentino* declaranti conversionem fieri in transsubstantiatione eucharistica *totius* substantiæ panis et vini; — tum *concilio Constantiensi* damnanti errorem Wiclefi, qui asserebat accidentia non manere in sacramento altaris sine subjecto : si enim materia panis et vini maneret, manerent etiam accidentia in suo subjecto, siquidem materia est etiam accidentium subjectum; — tum denique *rationi;* nam vel hæc materia panis aut vini quæ superest, sejuncta est a corpore Christi, vel cum ipso identificatur; si *prius*, ergo erit in Eucharistia consubstantiatio, cum materia panis et vini una cum corpore Christi adsit; si *posterius*, ergo corpus Christi quotidie crescit et augetur et jam in immensam molem excrevit, nec proinde idem est ac illud quod natum ex Maria in cruce passum fuit. Præterea vel hujusmodi materia sola Christi anima informaretur, vel tota Christi humanitate; sed neutrum dici potest. Non 1um; nam illud compositum ex materia panis aut vini et Christi anima non esset caro, aut certe non illa caro, quæ de Virgine sumpta est; non 2um; cum enim materia ad formam, non vero ad materiam jam informa-

tam ordinetur, nullo pacto dici potest hanc materiam panis aut vini humanitate Christi informari. — Ergo.

Secunda sententia fautores habuit nonnullos veteres theologos, quos sic refellit S. Thomas (3. p., q. 75, art. 6) : « Quidam posuerunt quod facta consecratione, non solum remanent accidentia panis, sed etiam forma substantialis ejus. Sed hoc esse non potest. *Primo* quidem, quia si forma substantialis panis remaneret, nihil de pane converteretur in corpus Christi, nisi sola materia. Et ita sequeretur quod non converteretur in corpus Christi totum, sed in ejus materiam : quod repugnat formæ sacramenti, qua dicitur : Hoc est corpus meum. *Secundo*, quia si forma substantialis panis remaneret, aut remaneret in materia, aut a materia separata. Primum autem esse non potest : quia, si remaneret in materia panis, tunc tota substantia panis remaneret : quod est contra prædicta. In alia autem materia remanere non posset : quia propria forma non est nisi in propria materia : si autem remaneret a materia separata, jam esset forma intelligibilis actu, et etiam intelligens; nam omnes formæ materia separatæ sunt tales. »

Tertia opinio, etsi recentiorem habuerit auctorem, pariter rejicienda est. — Nam 1. concilium Tridentinum, definiendo (sess. 13, can. 2) in SS. Eucharistiæ sacramento non remanere substantiam panis et vini ac proinde fieri conversionem totius substantiæ panis in corpus et totius substantiæ vini in sanguinem Christi, eo ipso docuit totum *esse* panis et vini desinere per conversionem in corpus et sanguinem, ita ut nihil panis aut vini in sacramento maneat præter species : porro, admissa sententia de qua agitur, non solæ species panis et vini in Eucharistia manerent, sed tota physica realitas panis et vini eadem superesset, solo modo existendi mutato. Ergo.

2. Verba Christi « *hoc est corpus meum* » ut sint vera, postulant, ex jam dictis desitionem panis; sed juxta sententiam quam impugnamus, panis revera adesset, etsi dicatur a corpore Christi sustentatus. Ergo.

3. Demum natura panis non potest in corpore Christi existere et ab eo sustentari quin fiat accidens; atqui omnino re-

pugnat naturam substantialem, qualis est panis, esse accidens corporis Christi et ab eo sustentari. Ergo (Cf. Franzelin, de Eucharistia, Thesis XV).

Cæterum hæc transsubstantiationis explicatio a Sacra Congregatione Inquisitionis improbata fuit in responsione data 20 maii 1875, ad Præpositum generalem Societatis Jesu (Cf. *Acta S. Sedis*, vol. XI, p. 606).

Ex his vero omnibus patet nihil prorsus substantiæ panis et vini post consecrationem in Eucharistia manere.

36. Quæritur 2. *Qualis sit operatio qua transsubstantiatio peragitur.*

Hæc operatio virtualiter duplex est, pro duplici termino circa quem versatur, pane scilicet et corpore Christi. Theologi vero de utriusque natura valde disputant. Itaque

Resp. 1. Quod attinet ad *desitionem panis et vini*, Scotistæ contendunt illam esse *annihilationem*; nam, inquiunt, illud annihilatur cujus nihil omnino remanet; nihil autem substantiæ panis remanet, neque materia, neque forma. — Thomistæ vero docent panem et vinum in consecratione eucharistica non *proprie* annihilari, et illud probant — tum ex modo loquendi Patrum et conciliorum; semper enim pronuntiant panem et vinum *converti, mutari, transelementari*; — tum ex ipsa notione annihilationis; nam annihilatio est simplex substractio divini concursus, quo cessante, res aliqua ita esse desinit ut hæc desitio ad aliud non ordinetur, sed sistat in non esse: atqui in mysterio Eucharistiæ, etsi substantia panis et vini esse desinat, desitio non terminatur ad purum nihil, sed tendit ad aliud, scilicet ad corporis et sanguinis Christi positionem; ergo.

Resp. 2. Quoad autem actionem qua corpus et sanguis Domini esse incipiunt, Scotistæ, quibus assentiunt Bellarminus et Vasquez, censent eam esse *adductivam*, id est, per hanc actionem Christum in cœlo jam existentem absque nova productione præsentem fieri sub speciebus eucharisticis, et sub ipsis novum *ibi* seu novam localem præsentiam acquirere, quin tamen localiter moveatur, et a cœlo, in quo est, recedat.

Alii, cum de Lugo, contendunt hujusmodi actionem vocan-

dam esse *unitivam*, quia per eam corpus Christi unitur speciebus panis et vini et sub illis delitescit, desinente substantia panis et vini. Unde hæc actio duo includit : desitionem substantialem panis et unionem corporis Christi cum speciebus ; « nec enim, ait ipse de Lugo, unitio secundum se, nec desitio secundum se est adæquate conversio, sed utraque simul componit conversionem constantem ex utraque mutatione, ex desitione et unitione.

At sententia probabilior et communior tenet transsubstantiationem esse actionem *reproductivam* corporis Christi, in eo sensu quod corpus Christi vi verborum consecrationis producitur, non quidem simpliciter, sed quatenus præsens fit sub speciebus eucharisticis, per actionem quæ sufficeret ad illud simpliciter producendum, si secundum alium modum connaturalem jam non præexisteret. Id vero probatur

1. *Ex modo loquendi SS. Patrum*, qui constanter asserunt corpus Christi *fieri*, ex pane *confici*, *produci*, vel etiam actionem, qua fit transsubstantiatio, comparant creationi, aliisve mutationibus in quibus aliquid reale producitur. Idem invenies in liturgiis, ut ex supra dictis colligere licet.

2. *Auctoritate S. Thomæ*, qui (3 p., q. 75, art. 8) docet transsubstantiationem eucharisticam in hoc convenire cum creatione et transmutatione naturali seu formali, quod sicut in creatione ex non ente fit ens, et in transmutatione naturali ex aere, v. g., fit ignis, ita ex pane fit corpus Christi : atqui in creatione vere producitur corpus Christi, non quidem *simpliciter*, quippe quod jam existit, sed *secundum quid et tali modo*, scilicet sub speciebus panis et vini.

3. *Ratione*. Etenim transsubstantiatio est conversio substantialis ; atque non est conversio sine productione rei in quam fit conversio, et non est conversio substantialis sine productione esse substantialis. Ergo. — Unde patet actionem adductivam Scotistarum, quæ non habet substantiam pro termino formali, sed tantum novum existendi modum accidentalem minime sufficere ad explicandam transsubstantiationem. Actio autem unitiva præsentiam rei uniendæ præsupponit, nec proinde ad rem facit.

37. Quæritur 3. *Utrum transsubstantiatio eucharistica sit vera et proprie dicta conversio.*

Conversio generatim spectata est *transitus unius rei in aliam*; duplex autem esse potest, nimirum *accidentalis*, si, eadem manente substantia, accidens quoddam in ea mutatur, *substantialis* vero, si una substantia mutetur in aliam. — Iterum conversio substantialis dicitur *formalis*, quando in una materia una forma alteri succedit; *materialis*, si divinitus contingeret eamdem formam ab una in alteram materiam transire; *totalis*, quando nihil omnino remanet prioris substantiæ, sed tota in alteram convertitur; hujusmodi est transsubstantiatio eucharistica, ex dictis supra.

Ad veram itaque et proprie dictam conversionem requiritur: — 1. Ut tota aliqua substantia, quæ est *terminus a quo*, esse desinat; nam una substantia non potest in aliam converti, quin desinat esse id quod antea erat. Non tamen necesse est ut illud quod in substantia convertenda mutatur, semper destruatur, sed sufficit quod res tota in concreto inspecta, ex qua fit conversio, amplius non sit. — 2. Ut alia substantia, quæ est *terminus ad quem*, succedat substantiæ præexistenti, ita ut aliquo modo esse incipiat; alioquin prior minime converteretur, sed tantum annihilaretur; sed non absolute requiritur ut illud in quod fit proprie mutatio existentiam simpliciter novam accipiat, dummodo res tota in concreto inspecta, in quam fit mutatio, de novo incipiat. — 3. Ut aliqua adsit connexio, seu dependentia inter desitionem prioris termini et alterius successionem, ita ut desitio unius non sit mere concomitanter cum positione alterius, sed unum desinat, quia alterum esse incipit, et alterum succedat, quia primum desinit. Deficiente hac conditione, non esset una actio quæ dici posset conversio, sed essent duæ actiones, quarum una annihilatio, altera creatio diceretur. — 4. Ut detur aliquid commune utrique termino. Ratio autem hujus conditionis, quæ contingit in omnibus mutationibus, est quia, eo ipso quod unum convertatur in aliud, novus apparet terminus loco alterius cujus vicem supplet; sed non potest ejus vicem supplere nisi in ordine ad aliquod tertium cui deest *terminus a quo*, et advenit *terminus ad quem*

pro aliquo munere exercendo quod prior antea exercebat et nunc exercet posterior. Hanc tamen conditionem ad veram conversionem non requiri plures affirmant.

Porro præfatas conditiones in transsubstantiatione inveniri haud dubium est : nempe — 1. Adest *terminus a quo*, ipsa videlicet substantia panis et vini, quæ esse desinit; — 2. Adest *terminus ad quem*, nimirum corpus Christi, quod, etsi jam secundum modum connaturalem in cœlo existat, incipit tamen esse sub speciebus panis et vini; — 3. Adest connexio et dependentia inter utrumque terminum, si non necessario et ex natura rerum, saltem ex voluntate Dei, qui desitioni panis annexam esse voluit positionem corporis Christi, idque important verba formæ. Nam hæc voces *hoc est corpus meum*, sic efficiunt corpus Christi sub speciebus panis constitui, ut vi sua exigant desitionem panis sub iisdem speciebus, seu vi sua efficiunt ut desinat tota substantia panis in ordine ad positionem corporis Christi sub speciebus panis; — 4. Adest aliquid commune utrique termino, siquidem corpus Christi ponitur sub iisdem accidentibus quæ in substantia panis antea erant. Ergo transsubstantiatio eucharistica veræ conversionis rationem habet.

§ II. Quænam sit natura specierum panis et vini quæ post consecrationem in Eucharistia remanent?

38. Status quæstionis. De fide est, imo sensuum testimonio constat in Eucharistia post consecrationem manere species panis et vini, quantitatem nempe, figuram, colorem, saporem et alia his similia. At quæstio movetur inter theologos utrum species illæ sint quid reale et objectivum, idem scilicet quod ante consecrationem in substantia panis et vini tanquam in subjecto inerat, et, peracta consecratione, ex divina virtute sine subjecto servatur; an potius habendæ sint velut sensationes mere subjectivæ quibus ex supernaturali operatione Dei eodem modo afficimur, ac afficeremur si adhuc existeret substantia panis et vini.

Prior sententia, quam post D. Thomam sequuntur pleriqu theologi, tenenda nobis videtur. Sit proinde sequens

Assertio : *Species Eucharisticæ sunt quid reale et objectivum, ipsa videlicet accidentia absoluta panis et vini divina virtute sine subjecto servata.*

Antequam probetur assertio, duplex accidentium species sedulo distinguenda est, accidentia scilicet *absoluta*, quæ sunt, ut ait S. Thomas (*de Pot.*, q. 7, a. 4, ad 8), formæ quædam substantiæ superadditæ, et *modalia*, quæ nihil aliud sunt quam modi secundum quos priora substantiæ accidunt; v. g., calor est accidens absolutum; item motus; intensio autem caloris et velocitas motus sunt accidentia modalia. Jam vero hic non agitur de accidentibus modalibus quæ, ut patet ex definitione, a subjecto separari nequeunt, sed tantum de accidentibus absolutis; sola quippe in Eucharistia sine subjecto servantur. — His vero præhabitis, assertio

Prob. 1. *Auctoritate SS. Patrum.* S. Irenæus (lib. 4, c. 18, n. 5) ait : « Eucharistiam constare duobus rebus, *terrena* et cœlesti; » alii vero Patres vocant species remanentes panis et vini *res materiales* (Origenes); *res sensibiles* (S. Chrysost.); *permanentem, non desinentem proprietatem naturæ* panis et vini (S. Gelasius). — Eamdem veritatem expressis verbis tradunt omnes Sancti Doctores qui post exortum Berengarii errorem floruerunt. Unum duntaxat hujus doctrinæ in Ecclesia communis testem appellabimus, nempe Innocentium III, qui in opere de sacro altaris mysterio (lib. 4, c. 9) scribit : « Ante consecrationem accidens est in subjecto, quoniam existit in alio. Sed post consecrationem *accidens est sine subjecto*, quoniam existit per se. Transit enim substantia, sed *remanent accidentia.* »

Prob. 2. *Consensu theologorum.* S. Thomas, expendens (3 p., q. 77, art. 1) utrum accidentia maneant sine subjecto in hoc sacramento, ita concludit : « Ideo relinquitur quod accidentia in hoc sacramento *maneant sine subjecto*, quod quidem virtute divina fieri potest. » — Non aliter sensit S. Bonaventura qui in Compendio theologicæ veritatis (lib. 6, c. 4) varias mutationes enumerans, dicit : « Tertia est mutatio supernaturalis, ut quando nec materia nec subjectum manent, *sed tantum accidentia sine subjecto*. Et talis mutatio est in transsubstantia-

tione corporis Christi. » — Idem expressis verbis profitetur ipsemet Scotus (in 4, dist. 12, q. 6) dicens : « Dum manet Eucharistia, non est ibi substantia nisi substantia corporis Christi. *Accidentia etiam manent tunc sine subjecto.* »

Quod docuerunt scholastici veteres, idem propugnarunt omnes recentiores usque ad mediam partem sæculi XVII. De hujusmodi vero theologorum consensu duo notanda sunt, nempe : ipsos unice ex principiis revelatis, minime vero ex præconceptis principiis philosophicis de natura corporum, adductos fuisse in hunc consensum universalem de accidentibus panis et vini in Eucharistia sine subjecto manentibus ; unde fatentur separabilitatem accidentis a substantia lumine rationis demonstrari non posse et ideo philosophis gentilibus fuisse ignotam (Suar., *Metaph.*, disp. 35, sect. 2, n. 24 : disp. 40, sect. 2, n. 8). Alterum est hic sedulo notandum, theologos plurimos, post concilium Constantiense et Tridentinum, contendere hanc realem accidentium existentiam esse de fide (Ita Valentia, Suarez, Vasquez, de Lugo, Ysambertus, etc.). Atqui hujusmodi consensui repugnare, esset saltem temerarium. Ergo.

PROB. 3. *Conciliis.* In concilio Constantiensi damnatus fuit sequens articulus Wiclefi : « Accidentia panis *non manent sine subjecto* in eodem (altaris) sacramento : » porro, quidquid alii contradicant, manifestum est prædictum articulum non ideo et unice damnatum fuisse quia auctor asserebat manere in sacramento altaris substantiam panis, siquidem id jam in alio articulo damnatum fuerat, sed quia Wiclefus contendebat, more philosophico, accidentia sine subjecto esse non posse.

In concilio autem Tridentino (sess. 13, can. 2) transsubstantiatio definitur : « Conversio totius substantiæ panis in corpus Christi et totius substantiæ vini in sanguinem, *manentibus duntaxat speciebus panis et vini* : » porro hæc verba, si considerentur in seipsis, non obscure indicant in transsubstantiatione aliquid, quod fuerat panis et vinum, nempe substantiam, transire, et aliquid, quod fuerat panis et vini, nimirum *species*, manere, ideoque has species idem esse quod ante consecrationem in pane et vino tanquam in subjecto inhærens

erat. — Insuper, si attendatur ad sensum vocis *species* apud theologos illius temporis unanimiter usurpatum, manifestum est non aliam esse posse prædictorum verborum significationem. Vox enim *species*, in oppositione ad substantiam, quando de Eucharistia agebatur, non erat ambiguæ significationis, sed determinate significabat ipsa accidentia sine subjecto divinitus conservata. — Imo ratio apparet cur Patres Tridentini vocem *species* potiusquam vocem accidentia adhibuerint : nomine enim specierum proprie designantur accidentia sensibilia, de quibus potissimum movetur quæstio. Quippe, quamvis eadem res dicatur *species*, quæ est accidens, *species* exprimit rem cum relatione ad nostram perceptionem, *accidens* vero eamdem rem exprimit cum relatione ad substantiam cui inhæret. Gratuito igitur fingunt adversarii divina Providentia et speciali directione Spiritus Sancti factum esse, ut concilia ne uno quidem verbo accidentia permanere dixerint, sed tantum species.

Talem fuisse definitionis Tridentinæ genuinam significationem Catechismus ejusdem concilii his verbis confirmat quando dicit de Eucharistiæ sacramento : « *accidentia quæ aut oculis cernuntur, aut aliis sensibus percipiuntur sine ulla re subjecta esse* mira quadam atque inexplicabili ratione. » Et alibi : « Tertium restat quod in hoc sacramento maximum atque mirabile videatur..., panis videlicet et vini *species in hoc sacramento sine aliqua re subjecta constare;* nam ipsa (accidentia) *se nulla alia re nisa sustentant. Hæc perpetua et constans fuit Ecclesiæ catholicæ doctrina* » (Catech. Conc. Trid. 2 p., *de SS. Euch.*, n. 25 et 44).

Prob. 4. *Ratione theologica.* Nam Eucharistia, prout est sacramentum, duplici elemento constare debet, nempe elemento invisibili et elemento sensibili, quod sit signum prioris ; porro, si post consecrationem nihil sensibile remaneret ex parte panis et vini, jam nullum esset in hoc sacramento signum sensibile, præsertim dum hostia consecrata in pixide clauditur. Nihil vero proficiunt adversarii, dicentes species eucharisticas non esse solum modificationem in nostris sensibus aut in corporibus circumpositis, sed aliquid objectivum et reale, quod ta-

men nihil aliud est quam operatio divina in illo spatio ubi erat panis. Operatio enim divina, quatenus a suo effectu distinguitur, non aliud est ac ipse Deus ; nemo autem dixerit Deum, etiamsi spectetur formaliter ut operans, esse signum sensibile rei sacræ. Ergo necesse est ut accidentia panis et vini realiter permaneant.

Præterea verba formæ hujus sacramenti : *Hoc est corpus meum*, ad suam veritatem requirunt ut pronomen *Hoc* possit aliquod individuum sensibile designare, quod in principio et termino prolationis idem sit, saltem per habitudinem ad eadem numero accidentia : atqui illud esse non potest quin maneant in fine propositionis, seu post consecrationem, eodem numero accidentia, sub quibus substantia panis erat initio prolationis verborum, dum adhuc substantia panis præseus erat. Ita Suarez post D. Thomam (*Cont. Gent.*, l. 4, c. 63).

Demum ex philosophia compertum est sensus nostros rite positos nunquam decipi circa objectum proprium debite propositum ; imo Ecclesia in officio Corporis Christi nobis recitandum proponit quod sensus (in altaris sacramento) *a deceptione redduntur immunes, qui de accidentibus judicant sibi notis;* porro si, facta transsubstantiatione, accidentia panis et vini sensibilia non permanerent, adesset aliqua sensuum deceptio, ut patet; ergo. — Dicet fortasse aliquis nos in eo saltem decipi quod ex sensuum relatione pronuntiamus adesse non tantum accidentia, sed etiam substantiam panis et vini, quæ tamen revera non adest. Sed advertat ille solas qualitates sensibiles corporum esse proprium objectum sensuum, substantiam vero ab intellectu sive ex lumine rationis, sive ex revelatione percipi : sub accidentibus naturaliter quidem latet substantia; sed supernaturaliter fieri potest ut nulla adsit substantia connaturalis, et tunc per revelationem corrigitur error intellectus.

Quæ objiciuntur ex ratione, facile solvuntur ex principiis philosophiæ scholasticæ de natura accidentis ejusque ad substantiam habitudine.

39. Corollaria. Ex dictis facili negotio colligere est — 1. Vix sine aliquo doctrinæ catholicæ detrimento defendi posse

opinionem de speciebus, ut aiunt, *intentionalibus* seu *subjectivis*, quam, post invectam philosophiam Cartesianam propugnare cœperunt nonnulli philosophi catholici, inter quos præcipuus fuit P. Emmanuel Maignan, e religione Minimorum.

Argumenta superius adducta id satis declarant. Unum duntaxat adnotabimus, nempe falsa et periculosa methodo inniti hos recentiores. Admissa enim primum quadam theoria philosophica de natura corporum et accidentium, huic accommodant doctrinam theologicam; sed christianus philosophus, a fortiori theologus aliter procedere debet : nempe philosophiam veluti theologiæ subservientem habens, ita ad revelationem et ad doctrinam a Patribus traditam circa res fidei aut cum fide conjunctas, tanquam ad rectricem stellam oculos vertit, ut, ea prælucente, in suis conclusionibus ea præcaveat, quæ plus minusve adversantur revelationi, traditioni et sensui Ecclesiæ (Cf. ep. Papæ Pii IX, ad arch. Monac., dat. 21 dec. 1863).

2. Nec etiam admittendam esse theoriam ab aliis recentioribus excogitatam, qui profitentur species eucharisticas esse quid reale et sensibile a parte rei existens, sed tamen nolunt extensionem ac resistendi vim esse *realitates* ejusmodi, quæ, « substantia, cui insunt, de medio sublata, permanere possint, » ideoque contendunt accidentia panis et vini manere non secundum *eamdem entitatem* quam prius in substantia habebant, sed secundum *entitatem effectuum;* videlicet, sublata panis substantia, divina virtute efficitur ut, in loco ubi erat panis, intraque eosdem limites eadem phænomena resistentiæ, impenetrabilitatis ac proinde extensionis, figuræ et aliorum hujusmodi habeantur, quæ ab atomis panis prius exercebantur. Ita præsertim P. Tongiorgi (Inst. phil. Cosmol., lib. 1, c. 6), a quo parum recedere videtur card. Franzelin (*de Euch.*, thesis XVI, n. 3). Jam vero illud systema — adversari videtur non tantum doctrinæ theologorum, sed etiam declarationibus conciliorum quæ, ut supra probatum est, haud obscure innunt accidentia panis et vini eadem permanere et secundum *eamdem entitatem* ac ante desitionem substantiæ panis et vini; — falso fundamento innititur; jam enim diximus accidentia absoluta, qualis

est extensio, esse quid reale a substantia cui inest realiter distinctum, quod ab ea divinitus separari potest.

3. Pariter rejiciendam esse sententiam eorum qui admittentes accidentia panis et vini eadem manere post consecrationem ac antea, volunt ea inhærere tanquam in subjecto — vel in aere ambienti (ita Abailardus); — vel in alia materia quæ prius in poris panis contenta erat (Cartesius); — vel denique in corpore Christi. Ratio generalis est quia in hoc sacramento, ex jam probatis, accidentia panis et vini sine subjecto manent. Sed insuper dici nequit — 1. accidentia eucharistica subjectum habere *aerem ambientem*, tum quia aer non est hujusmodi accidentium susceptivus; — tum quia accidentia cum aere moverentur, quod falsum est; — tum quia aer, qui non spoliatur propriis accidentibus, simul haberet accidentia propria et aliena (Cf. S. Thomas, 3 p., q. 77, art. 1).

Nec dici potest — 2. accidentia eucharistica sustentari a *materia spatiolis interposita*. Non enim concipitur quid sit illa materia, a substantia panis et vini distincta, quæ sensibiles qualitates panis et vini haberet, nec esset panis et vinum.

Non tandem dici potest — 3. hæc accidentia esse tanquam in subjecto *in corpore Christi;* nam substantia humani corporis nullo modo potest his accidentibus affici, neque etiam possibile est quod corpus Christi gloriosum et impassibile alteretur ad suscipiendas hujusmodi qualitates. Adde quod deberet esse localiter extensum.

40. Quæritur 1. *Utrum omnia accidentia in hoc sacramento sine subjecto maneant.*

Resp. Omnia accidentia manent sine subjecto si agitur de subjecto ultimo, seu de substantia in qua ultimo inhærent omnia accidentia. Si vero agatur de subjecto immediato inhæsionis, censet D. Thomas solam quantitatem existere sine subjecto, cætera vero accidentia existere in quantitate.

Ratio est — 1. quia sensibus nostris hujusmodi accidentia a quantitate distincta percipimus in quantum nobis apparet aliquid *quantum* esse ibi coloratum, tali figura donatum, aliisque qualitatibus affectum : porro non videtur cur in hoc deciperentur sensus.

2. Prædicta accidentia, v. g., color, sapor, dividuntur in hoc sacramento ad divisionem quantitatis; ex se enim non habent partes, sed eas emendicant a quantitate; ergo sunt in quantitate sicut in subjecto.

3. Tandem sic salvatur modus connaturalis existendi horum accidentium, nec multiplicantur miracula, sed sufficit quod quantitas existat separata a subjecto. Cætera enim accidentia connaturaliter sustentantur a quantitate et, ea mediante, a substantia (Cf. S. Thomas, 3 p. q. 77, art. 2).

41. Quæritur 2. *An et quomodo species sacramentales corrumpi possint.*

Resp. Juxta Angelicum Doctorem (3 p., q. 77, a. 4) « species sacramentales retinent idem esse quod prius habebant, substantia panis et vini existente. Et ideo sicut esse horum accidentium poterat corrumpi, substantia panis et vini existente, ita etiam potest corrumpi, illa substantia abeunte. Poterant autem hujusmodi accidentia primo corrumpi dupliciter: uno modo per se, alio modo per accidens. *Per se* quidem, sicut per alterationem qualitatum, et augmentum vel diminutionem quantitatis; non quidem per modum augmenti vel diminutionis, qui invenitur in solis corporibus animatis (qualia non sunt substantia panis et vini), sed per additionem vel divisionem. Nam per divisionem una dimensio corrumpitur, et fiunt duæ; per additionem autem e converso, ex duabus fit una; et per hunc modum manifeste possunt corrumpi hujusmodi accidentia post consecrationem; quia ipsa quantitas dimensiva remanens potest divisionem et additionem suscipere; et cum sit subjectum qualitatum sensibilium, potest etiam esse subjectum alterationis earum, puta, si alteretur color aut sapor panis aut vini.

« Alio modo poterant corrumpi *per accidens*, per corruptionem subjecti. Et hoc modo possunt corrumpi etiam post consecrationem : quamvis enim subjectum non remaneat, remanet tamen *esse* quod habebant hujusmodi accidentia in subjecto; quod quidem est proprium et conforme subjecto. Et ideo hujusmodi *esse* potest corrumpi a contrario agente, sicut corrumpebatur substantia panis vel vini : quæ etiam

non corrumpebatur, nisi præcedente alteratione circa accidentia. »

42. Quæritur 3. *An et qua ratione species eucharisticæ in substantiam corporis humani per nutritionem convertantur.*

Resp. — Certum est panem eucharisticum nutrire; sed non nutrit ratione accidentium aut corporis Christi; restat ergo ut ipsæ species panis et vini in substantiam corporis humani convertantur. In hoc autem explicando theologi non concordant.

Alii simpliciter recurrunt ad immediatam potentiæ divinæ actionem, quæ ad præsentiam symbolorum sine substantia panis et vini eosdem effectus nutritionis producit, ac si adesset hujusmodi substantia.

Alii dicunt, in ultimo instanti corruptionis specierum redire non quidem substantiam panis et vini, sed materiam panis et vini, quæ tamen magis creata diceretur quam *rediens*, proprie loquendo.

Sed melius forsan videtur dicendum cum S. Thoma (q. 77, art. 5) quod in ipsa consecratione miraculose datur quantitati dimensivæ panis et vini quod sit primum subjectum subsequentium formarum; quod est proprium materiæ; et ideo ex consequenti datur prædictæ quantitati omne illud quod ad materiam pertinet: unde quidquid posset generari ex materia panis et vini, si adesset, totum potest generari ex dicta quantitate, non quidem novo miraculo, sed vi miraculi prius facti. Cum autem nutritio sit partialis generatio, statim apparet quomodo species sacramentales in substantiam corporis humani per nutritionem converti possint.

ARTICULUS II.

De modo quo Christus existit sub speciebus sacramentalibus.

43. In Eucharistia duplex est species, et unaquæque variis constat partibus. Quæstio est igitur an et qua ratione totus Christus existat non tantum sub qualibet specie, sed etiam sub singulis uniuscujusque speciei partibus. Pro cujus solutione sit sequens

Assertio : *Christus in Eucharistiæ sacramento sub unaquaque*

specie et sub singulis cujusque speciei partibus totus continetur, non modo separatione facta, sed etiam ante separationem.

Prima pars, scilicet *totum Christum sub qualibet specie contineri*,

Est de fide. Concilium enim Trident. (sess. 13, can. 3) ait : « Si quis negaverit in venerabili sacramento Eucharistiæ *sub unaquaque specie... totum Christum contineri :* anathema sit. » Præiverat conc. Florentinum his verbis : « Totus Christus continetur *sub specie panis*, et totus *sub specie vini*. »

Prob. 1. *Scrip. S.* (I *Cor.*, xi, 27) : « Quicumque manducaverit panem hunc, *vel* biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. » Unde sic : Ex Apostolo qui manducat indigne panem, *vel* bibit calicem Domini, reus est corporis et sanguinis Domini : atqui id non fit, nisi quia corpus et sanguis Christi sunt sub unaquaque specie; ergo corpus et sanguis Christi sunt realiter sub utraque specie; ergo et totus Christus, quia ejus anima et divinitas a corpore non sejunguntur post ejus resurrectionem. — Idem constat *ex verbis consecrationis ;* in Christo enim corpus et sanguis sunt partes inseparabiles totius Christi.

Prob. 2. *Traditione.* Nam — 1. Ecclesia Christum semper venerata est ac adoravit sub unaquaque specie latentem. — 2. SS. Patres suffragantur; dicunt enim in Eucharistia sub sola specie panis manducari carnem quam Pater suscitavit, et eos, qui Eucharistiam sumunt, vocant *Christiferos*, id est, non carnem tantum, sed ipsum Christum ferentes.

Prob. 3. *Rat. theol.* De fide est corpus Christi, peracta consecratione, esse sub specie panis, et sanguinem illius sub specie vini; de fide est pariter Christum resurgentem a mortuis jam mori non posse; ergo corpus ejus nec a sanguine, nec ab anima separatur in Eucharistia; ergo Christus est totus sub utraque specie.

Secunda pars, nempe, *Christum esse totum sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta,*

Est quoque de fide. Ait enim Conc. Trid. (sess. 13, c. 3) : « Si quis negaverit, in venerabili sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, et *sub singulis cujusque speciei par-*

tibus, separatione facta, totum Christum contineri : anathema sit. »

PROB. 1. *Scriptura Sacra* (*Marc.*, XIV, 23) hæc leguntur: « Et accepto calice gratias agens dedit eis; et biberunt *ex illo* » omnes. » Unde sic : Ex hoc textu manifestum est Apostolos bibisse *ex uno consecrato calice* : porro indubium est singulos sub illa parte vini consecrati Christum sumpsisse. Ergo.

PROB. 2. *Praxi Ecclesiæ*, quæ semper venerata est cultu latriæ minimas partes hostiæ consecratæ. — Decantat insuper Ecclesia : « Fracto demum sacramento, ne vacilles, sed memento tantum esse *sub fragmento*, quantum toto tegitur. »

PROB. 3. *Rat. theol.* Vel enim singulæ partes post separationem Christum totum retinent, vel tantum aliquam ejus partem, vel nullam, id est, amplius non sunt consecratæ : atqui duo posteriora repugnant; ergo. — Et vero Christus tamdiu sub speciebus consecratis manet, quamdiu sub iis conservari posset substantia panis; porro substantia panis, si adesset, facta divisione partium, in singulis partibus maneret. Ergo et Christus in singulis speciei partibus post separationem permanet.

TERTIA PARS, nempe *Christum esse totum sub singulis cujusque speciei partibus, etiam ante separationem*,

PROB. 1. *Auctoritate conc. Trid.* (sess. 13, c. 3) : « Totus est integer Christus sub panis specie, et quavis ipsius speciei parte; totus item sub vini specie et sub ejus partibus existit. » Porro hæc sine restrictione non dixisset concilium, si credidisset Christum sub partibus reperiri tantum separatione facta; unde, si hæc verba addidit in canone tertio supra relato, ita egit ne liberas scholasticorum sententias damnaret, ut notat Palavicinus.

PROB. 2. *Rat. theol.* Totus est Christus sub singulis partibus, separatione facta : ergo et ante divisionem; nam fieri non potest ut divisio specierum producat Christum in parte, in qua non erat. — Præterea, ut ratiocinatur de Lugo (disp. 8, n. 42), supponamus duos calices consecratos seorsum, et postea species utriusque in unum conjungi; si desinit Christus in una parte, jam falsa evadunt verba consecrationis super

unum calicem consecratum; si non desinit Christus, ergo potest esse sub variis partibus continuis ejusdem speciei.

44. Corollarium I. *Ergo Christus in Eucharistia præsens est cum omnibus intrinsecis sanctissimæ humanitatis suæ proprietatibus.* Itaque — 1. habet corpus integrum, id est, una cum sanguine, ossa, nervos, omniaque organa et membra quibus donatur corpus humanum, ac proinde illud corpus, etsi nullas ad spatium et ad diversas spatii partes relationes servet, non tamen quantitate sua privatur, sed extensionem, figuram et organisationem, si non extrinsece, seu in ordine ad locum, saltem intrinsece et cum exigentia extensionis, figuræ ac organisationis externæ retinet. — 2. Item ejus anima omnibus suis facultatibus et proprietatibus sive naturalibus, sive supernaturalibus ornatur, ideoque lumen gloriæ, visionem beatificam, caritatem, cæteraque dona possidet. — 3. Adest pariter divinitas, seu persona Verbi divini, cum corpore et anima Christi hypostatice unita; dicit enim concilium Ephes. nos accipere in Eucharistia carnem Christi non ut communem, neque ut alicujus viri sancti carnem, sed ut vere vivificatricem et *ipsius Verbi propriam.*

Sed hæc omnia, quæ sunt Christi, non eodem modo in hoc sacramento ponuntur; alia scilicet ibi sunt *vi verborum*, alia vero *vi concomitantiæ*, seu ob connexionem naturalem cum his quæ vi verborum adsunt. Porro

Vi verborum, corpus Christi est sub specie panis et sanguis est sub specie vini. Ratio est quia ea dicuntur esse *vi verborum*, quæ per verba consecrationis expresse significantur : atqui per verba consecrationis, *Hoc est corpus meum*, *hic est sanguis meus*, corpus et sanguis expresse significantur. Ergo.

Vi autem *concomitantiæ*, ipsum corpus est sub specie vini et sanguis sub specie panis, pariterque anima et divinitas sub utraque. Ratio est quia ea dicuntur poni concomitanter in hoc sacramento, quæ, licet verbis consecrationis non exprimantur, habent talem realem connexionem cum his quæ ponuntur vi verborum : atqui corpus Christi est realiter connexum cum sanguine, et sanguis cum corpore; anima autem et divinitas cum utroque. Ergo.

Quoad vero Patrem et Spiritum Sanctum, etsi sint in hoc sacramento *modo speciali*, quatenus ibi operantur cum Filio mirabiles effectus gratiæ et propter circumincessionem, hæc tamen præsentia non videtur per veram concomitantiam fieri; ad veram enim concomitantiam requiritur unio cum termino primario et formali consecrationis in unitate suppositi : sed Pater et Spiritus Sanctus profecto non ita uniuntur cum corpore et sanguine Christi. Ita Thomistæ contra nonnullos alios qui per concomitantiam intelligunt quamlibet præsentiam specialem præter communem.

45. Corollarium II. *Ergo corpus Christi in Eucharistia virtute divina supra conditionem corporalem elevatur, modumque existendi spiritualem accipit.* Hujusmodi statum præ oculis habent SS. Patres, dum corpus Christi, formaliter ut existit in Eucharistia, appellant *corpus intelligibile* (S. Chrysostomus), *cibum et potum incorporeum* (S. Ephrem), *agnum spiritalem* (S. Cyrillus Hierosol.), *corpus spiritale, sanguinem spiritalem* (Clemens Alex.).

In hoc autem modo loquendi, tria intelliguntur, scilicet : — 1. Nulla est specierum pars sub qua corpus Christi non sit præsens; sub unaquaque vero parte non est solum pars corporis, sed totum corpus. — 2. Attamen ante separationem partium corpus Christi est sub speciebus continuis, non sicut in pluribus spatii partibus, sed sicut in uno toto. — 3. Unde hæc præsentia sub speciebus continuis est una præsentia continua, non plures præsentiæ adæquatæ et ab invicem independentes, haud secus ac anima humana ita præsens est in corpore ab ipsa informato, ut tota ejus substantia sit æque præsens in toto corpore et in singulis corporis partibus, una et eadem præsentia non multiplicata et divisibili, sed continua et inextensa.

Differt tamen ille modus existendi a præsentia, quæ spiritibus competit, in eo quod spiritus nullas habet partes, secundum quas spatio commensurari possit; unde præsentia inextensa velut in puncto indivisibili ei essentialis est ex ipsa sua simplicitate. At in præsentia sacramentali, etsi corpus Christi hic et nunc sine extensione relative ad spatium existat, manent

tamen partes distinctæ cum exigentia et aptitudine ad existendum in distinctis spatii partibus.

Nec dicatur talem existendi modum repugnare essentiæ corporis præsertim organici. Respondet enim Lessius (*De perf. divin.*, l. 12, c. 16) : « Excludit quidem hic modus existendi figuram extrinsecam et modum extensivum, quem Christi corpus habet in cœlo secundum naturalem conditionem; hæc enim dicunt ordinem et commensionem ad locum vel spatium. Non tamen excludit aliquid molis aut realis quantitatis illius corporis (nomine molis intellige quantitatem intrinsecam), nec figuram, ut ita dicam, intrinsecam (quam Suarez et de Lugo appellant figuram organicam) quæ in temperamento et dispositione ac continuatione partium intrinseca, ex qua naturaliter resultat figura externa, sita est... Est igitur ibi corpus Christi sine partium commixtione aut confusione. Etsi enim omnes simul et in eodem puncto sint, quælibet tamen retinet suum temperamentum, suam unionem, suam connexionem, suum ordinem, et omnem internam dispositionem quæ a respectu et commensione loci non pendet. » Vide etiam Billuart (*de SS. Eucharistia*, diss. 1[a]).

Ex his intelligi potest — 1. corpus Christi, quamvis realiter præsens sit in loco, in quo sunt species consecratæ, non tamen proprie dici posse circumscriptive, vel etiam definitive ibi locatum : — *non circumscriptive;* nam id dicitur esse circumscriptive in loco, cujus quantitas commensuratur ad locum, ita ut partes illius correspondeant partibus loci; sed quantitas Christi, ut diximus, non est extensa ad locum, nec illi commensuratur; — nec *definitive;* id enim dicitur esse definitive in loco, quod ita est ibi, ut non sit alibi; porro corpus Christi sic est in hoc sacramento, ut sit etiam alibi, id est, in cœlo et in variis speciebus consecratis. Igitur dicendum est corpus Christi in Eucharistia esse ad modum substantiæ, seu *sacramentaliter;* qui modus huic sacramento proprius est, nullum habens exemplum in natura rerum, et antiquis philosophis prorsus ignotus; quippe qui humanæ mentis captum transcendens, sola fide cognoscibilis est.

2. Idcirco Christum in Eucharistia directe et *per se* nullate

nus localiter moveri posse, quod importat esse in loco; sed tamen moveri *per accidens* ad motum specierum, sicut anima movetur ad motum corporis.

3. Nullum corpus posse naturali virtute agere in corpus Christi, quod proinde ab agentibus externis pati, alterari (tangi, videri, frangi, comprimi, dilatari) nequit. Ratio est quia hæc omnia contactum supponunt; contactus vero exigit extensionem localem.

46. Corollarium III. *Ergo anima Christi in Eucharistia omnes actus immanentes, qui a sensibus non pendent, elicere potest; imo propter identitatem humanitatis ipsi pariter insunt omnes perceptiones quas alibi ex sensuum exercitio obtinet.* — Attamen, juxta communissimam sententiam, spectata solum virtute naturali, *Christus non habet in hoc sacramento actus sensuum externorum.* — Duo priora evidenter defluunt ex eo quod anima Christi omnes facultates et proprietates tum naturales tum supernaturales, quibus ornatur, in hoc sacramento retinet. Tertium vero sequitur ex statim dictis de modo existendi corporis Christi in Eucharistia; exercitium enim sensuum externorum modum existendi extensum supponit: sed probatum fuit præsentiam Christi sacramentalem esse inextensam. Ergo.

Attamen generatim a theologis admittitur supernaturaliter fieri posse ut actus illi sensuum externorum a Christo eliciantur; nec desunt gravissimi doctores qui asserunt dignitatem sanctissimæ humanitatis Christi exigere, aut saltem ipsam omnino decere, ut Verbum supernaturali modo tribuat suæ humanitati, etiam in hoc statu, exercitium sensuum corporis, quantum id mysterio fidei et fini sacramenti congruit.

Quidquid sit de hac sententia, quæ a multis improbatur, satis est ad pietatem nostram excitandam ac fovendam, Christum, formaliter ut existentem in Eucharistia, non tantum indigentias, labores et persecutiones totius Ecclesiæ, sed etiam omnes cogitationes et affectus singulorum fidelium et præsertim ministrorum suorum videre; de quo sane nemo dubitare potest.

47. Quæritur 1. *Qualis detur unio species inter et corpus Christi.*

Resp. Certum est — 1. non dari species inter et corpus Christi unionom physicam, ex qua resultet unum compositum physicum, velut ex duabus partibus componentibus. Nam in omni composito hujusmodi partes se invicem intrinsece perficiunt; at species, cum peracta consecratione per se existant, nihil a Christi corpore accipiunt; corpus vero Christi, cum sit ex omni parte completum, nihil etiam a speciebus recipere potest. Ergo. Itaque

Certum est — 2. corpus Christi non esse sub speciebus sacramentalibus eodem prorsus modo, quo ante consecrationem sub iisdem speciebus aderat substantia panis aut vini. Etenim species ante consecrationem *inhærebant* substantiæ panis et vini; at non *inhærent* corpori Christi, ut jam probatum fuit. Ergo.

Superest igitur — 3. ut species et corpus Christi conjungantur unione requisita ad unum sacramentum efformandum, in quo corpus Christi, vi institutionis, sit significatum et demonstratum per species, sicut ante consecrationem naturaliter significabatur et demonstrabatur sub speciebus substantia panis aut vini, et ab iisdem speciebus sit inseparabile, haud secus ac eadem substantia panis aut vini a speciebus naturaliter inseparabilis erat. Quæ quidem unio *sacramentalis* appellari potest.

48. Quæritur 2. *Quænam de corpore Christi sub speciebus sacramentalibus existente prædicari possint.*

Resp. Ex unione, quæ datur species inter et corpus ac sanguinem Christi, defluit aliqua veluti idiomatum communicatio, vi cujus mutationes, quæ fiunt in speciebus, de Christo ipso quandoque prædicari possint. Hæ autem mutationes sunt triplicis generis, aliæ scilicet, quæ ita fiunt in speciebus, ut ex eis consequatur aliqua mutatio in corpore Christi; sic motis speciebus, movetur etiam, etsi per accidens, corpus Christi; — aliæ, quæ ita sunt speciebus propriæ, ut illas afficiant, prout sunt quid distinctum a corpore Christi, v. g., specierum alteratio; — aliæ tandem, quæ, licet circa solas species versentur, eas attingunt quatenus respectum habent ad corpus Christi.

Porro — 1. Quod attinet ad prædicata primi generis, evidens

est ea cum omni proprietate Christo attribui posse. Ratio est quia unaquæque res proprie denominatur a mutatione in ipsa facta aut recepta. Vere igitur ac proprie dici potest corpus Christi *elevari*, *transferri*, *reponi*, *quiescere*; hi enim status ipsum vere afficiunt, etsi per accidens et ratione specierum. Ob eamdem rationem recte dicitur corpus Christi manducari; nam manducatio fit per transitum in stomachum, ac proinde per motum localem.

2. Prædicata secundi generis, id est, quæ denominant mutationem ita speciebus propriam, ut illas afficiat prout quid omnino distinctum et separatum a corpore Christi, nullo modo Christo tribui possunt. Unde dici nequit corpus Christi *calefieri*, *frigescere*, *comburi;* est enim incapax omnis motus alterationis, quæ proinde de solis speciebus prædicanda est.

3. Alia vero prædicata, quæ significant mutationem circa solas species factam, sed prout aliquem respectum habent ad corpus Christi sacramentale, non quidem proprie, sed tamen improprie et figurate Christo attribuuntur. Sic dicimus corpus Christi *videri*, *tangi*, eodem sensu ac ille qui videt vel tangit crumenam dicitur videre vel tangere pecuniam in illa contentam. Pari ratione dici potest corpus Christi *frangi* vel *misceri*, speciebus fractis vel mixtis. Attamen quia hæ locutiones sunt tantum metaphoricæ, quandoque simpliciter negantur, ne ad ipsum Christi corpus referri videantur. Hæc sufficiant: qui plura cupierit, adeat Suarez (in 3 p. D. Thomæ, disp. 47).

ARTICULUS III.

De permanentia præsentiæ Christi sub speciebus eucharisticis.

49. Errores. Circa permanentiam præsentiæ Christi in Eucharistia erraverunt imprimis Lutherani, qui tamen in hoc valde inter se dissentiunt; alii siquidem volunt Christum præsentem esse tantum *in usu*, id est, quando sumitur, non vero extra sumptionem; alii vero contendunt Christum adesse in *tota actione Cœnæ*, nempe a consecrationis instante usque ad sumptionem, tum ab adstantibus, tum ab absentibus si ad eos

statim deferatur, sed non item si in pixide asservatur. Contra illos sequens statuitur

50. Assertio : *Christus in SS. Eucharistia existit independenter ab usu, et permanet quamdiu panis et vini species supersunt incorruptæ.*

Est de fide. Sic conc. Trid. (sess. 13, c. 4) : « Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiæ sacramento, non esse corpus et sanguinem Jesu Christi, sed tantum *in usu dum sumitur*, non autem *ante* vel *post*; et in hostiis seu particulis consecratis, *quæ post communionem reservantur, vel supersunt*, non remanere verum corpus Domini : anathema sit. »

Prob. 1. *Scrip. S.* (*Matth.*, xxvi, 26) Christus ait : « Accipite et comedite : hoc est corpus meum... Bibite ex hoc » omnes. » Unde sic : Vera fuerunt hæc Christi verba statim ac fuerunt prolata; porro ante usum fuerunt prolata, ut observat Trid. (sess. 13, c. 3) : « Nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cum vere tamen ipse affirmaret corpus suum esse quod præbebat. » Ergo ante usum præsens est Christus.

Prob. 2. *Praxi Ecclesiæ perpetua*, quæ triplex fuit :

1. *Praxis communionis domesticæ.* Tertullianus enim refert fideles, tempore persecutionis, Eucharistiam in domos gestasse, ut ea ante omnem cibum reficerentur. Idem testatur S. Cyprianus, qui addit fideles habuisse arcas in quibus eam recondebant, et quamdam mulierem, in persecutione lapsam, cum arcam suam manibus indignis tentasset aperire, flammis inde erumpentibus deterritam esse, ne auderet attingere Refert pariter S. Basilius monachos secum abstulisse in desertum SS. Eucharistiam qua quotidie reficiebantur.

2. *Praxis asservandi SS. Eucharistiam in ecclesiis*, cujus fidem faciunt — canon conc. Nicæni diaconis præcipiens, ut fidelibus, absente presbytero, Eucharistiam porrigant; — usus, ab omni tempore constans, in Ecclesia habendi vas aureum vel argenteum, modo formam columbæ, modo formam turris exhibens, in quo servaretur SS. Eucharistia; — mos, a primis temporibus vigens apud Græcos, in quadragesima non cele-

brandi divinum Sacrificium præterquam sabbato, die dominica, et die Annuntiationis, cæteris vero diebus præbendi fidelibus communicaturis hostias antea consecratas.

3. *Praxis deferendi SS. Eucharistiam ad ægrotos et absentes*, quæ constat — conc. Nicæno præcipiente presbyteris, ut ægrotos sine viatico mori non patiantur; — auctoritate Dyonisii Alexandrini referentis presbyterum ægrotantem tradidisse SS. Eucharistiam cuidam puero, qui eam aqua intinctam instillaret in os Serapionis, senis in extremis positi; — testimoniis S. Justini dicentis SS. Eucharistiam a diaconis ad absentes deferri. Ergo in primis Ecclesiæ sæculis creditum fuit Christum permanenter existere in Eucharistia, et non tantum in usu.

Prob. 3. *Rat. theol.* Et vero verba consecrationis efficiunt quod significant: atqui pronuntiantur a sacerdote ante usum, et significant esse corpus Christi; ergo ante usum efficiunt corpus Christi; ejus autem præsentia, cum sit independens ab usu, tamdiu durare debet, quamdiu supersunt species. — Si usus esset de essentia sacramenti, sequeretur potestatem consecrandi potius penes subjectum quam penes ministrum esse, ac prorsus incertum fieri tempus præsentiæ Christi.

Hinc — 1. corruptis speciebus, desinit Christi præsentia. Hinc— 2. ipsis speciebus manentibus integris, remanet Christus. Hinc — 3. quando species panis partim corrumpitur, et partim integra remanet, Christus adest sub integra parte, et abest a parte corrupta. Hæc omnia ex hucusque dictis manifeste fluunt.

51. Quæritur 1. *Qualis corruptio specierum requiratur ut corpus Christi sub his esse desinat.*

Hæc habet D. Thomas (3 p., q. 77, art. 4): « Cum corpus Christi et sanguis succedant in hoc sacramento substantiæ panis et vini, si fiat talis immutatio ex parte accidentium, quæ non suffecisset ad corruptionem panis et vini, propter talem mutationem non desinit corpus et sanguis Christi esse sub hoc sacramento. — Si vero fiat tanta immutatio quod fuisset corrupta substantia panis aut vini, non remanent corpus et sanguis Christi sub hoc sacramento.... sicut cum ita immu-

tatur color, et sapor, et aliæ qualitates panis et vini, quod nullo modo possint compati naturam panis aut vini. Desinente vero corpore Christi, ejus loco existit ea materiæ species, quæ extitisset, si panis ipse remanens desiisset.

52. Quæritur 2. *Quamdiu sacræ species censeantur remanere integræ post sacramenti sumptionem.*

Resp. Non constat; alii dicunt eas corrumpi post minutum; alii post quinque minuta; alii post medium quadrantem; diutius autem remanent in sacerdote qui in missa sub utraque specie et cum hostia majori communicat, quam in laïco qui parvam tantum hostiam sumit. — Refert de Lugo plures medicos a se consultos respondisse formulas hostiarum laïcis destinatas intra minutum in stomacho corrumpi, et magnam formulam cum specie vini intra medium quadrantem. Certum igitur videtur post quadrantem a communione etiam in sacerdote, dummodo sanus sit, species consummari.

Attamen propter reverentiam SS. Eucharistiæ debitam, laïci ante quadrantem, sacerdotes vero ante mediam horam ad vomitum non se provocent. — Cum sputa ex pectore, non a stomacho proveniant, multo minus exinde timenda est profanatio; cavendum est tamen ne statim emittantur, ut particulæ, quæ ori vel linguæ forsan adhæserunt, simul non rejiciantur.

CAPUT III.

DE CONSECTARIIS PRACTICIS PRÆSENTIÆ CHRISTI REALIS IN EUCHARISTIA.

53. Status quæstionis. Ex catholico dogmate de reali et permanenti præsentia Christi in Eucharistia, duo præsertim defluunt consectaria nunc expendenda: primum quidem ac principale est, Christum in Eucharistia adorandum esse et prosequendum cultu latriæ; secundum, Eucharistiam merito

post communionem reservari. Hinc nobis inferre licebit exercitia, quæ in honorem sanctissimi sacramenti adhiberi solent, vere legitima esse et pie usurpari posse.

Tres igitur erunt hujus capitis paragraphi : — 1us de adoratione Christi in Eucharistia ; — 2us de reservatione SS. Eucharistiæ ; — 3us de exercitiis in honorem ejus institutis.

§ I. De adoratione Christi in Eucharistia.

54. Errores. Plerique protestantes ideo negant Christum in Eucharistia esse cultu latriæ adorandum, quia realem ejus in hoc sacramento præsentiam non admittunt, multique fatentur se Christum ibi esse adoraturos, si præsentem crederent. Lutherani tamen non pauci, etiam admissa præsentia Christi in usu seu sumptione, adorationem ei denegant, tum quia esset contra institutionem Christi et Apostolorum usum, tum quia consectaria prava induceret. Contra quos sequentem ducimus propositionem stabiliendam esse, ut omnino evincatur legitimitas conclusionis, quam ex reali permanentique præsentia Christi sub speciebus eucharisticis eruunt omnes catholici.

55. Assertio : *Christus in Eucharistia cultu latriæ adorandus est.*

De fide est. Concilium enim Tridentinum (sess. 13, can. 6) ait : « Si quis dixerit, in sancto Eucharistiæ sacramento, Christum unigenitum Dei filium, non esse *cultu latriæ*, etiam *externo adorandum*... anathema sit. »

Prob. 1. *Scriptura sacra.* Quod quidem conc. Trid. (sess. 13, c. 5) ostendit contra protestantes asserentes hoc sacramentum institutum tantum fuisse, ut sumatur, dicens : « Neque enim ideo minus est adorandum, quod fuerit a Christo Domino, ut sumatur, institutum. Nam illum eumdem Deus præsentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum, dicit : et *adorent eum* omnes angeli Dei ; quem magi procidentes *adoraverunt ;* quem denique in Galilæa ab Apostolis *adoratum fuisse*, sacra Scriptura testatur. » Quibus etiam textibus addi possunt et hæc B. Pauli verba (*Philipp.*, 2) : « In » nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et

» infernorum. » Ergo a fortiori coram ipso Jesu in Eucharistia latente genuflectendum est.

. Prob. 2. *Traditione*, scilicet

1. Ex *SS. Patribus tum græcis, tum latinis.* S. Cyrillus Hier. (Catech. *Mystag.* 5, n. 2) jubet, ut quisque ad synaxim accedat, *pronus et adorationis ac venerationis in modum dicat : Amen.* — S. Gregorius Nazianz. (Or. 8, n. 18) in laudem Gorgoniæ sororis suæ narrat, eam morbo desperatam « ad altare cum fide procumbentem, eum qui super ipso honoratur, cum ingenti clamore invocasse, omnibus nominibus appellasse, et communione refectam liberatam fuisse. » — S. Chrysostomus (Hom. 3, *Ep. ad Eph.*) ait : « Ipse rex adest, et tu adstas oscitans; igitur *adora* et communica. » — Theodoretus etiam de consecratis symbolis (*Dial.* 2.) ait : « Creduntur et *adorantur.* »

Ex latinis Patribus S. Ambrosius in illud Psalmi XCVIII : *Adorate scabellum pedum ejus*, ait : Per scabellum terra intelligitur, per terram autem caro Christi, quam apostoli in Jesu *adoraverunt*, hodieque in mysteriis *adoramus.* » — S. Augustinus hæc eadem verba Psalmi commentans (Enarr. in Ps. XCVIII, n. 8), sic se habet : « Nemo autem illam carnem manducet nisi prius *adoraverit;* inventum est quomodo *adoretur* tale scabellum pedum Domini, et non solum non peccamus *adorando*, sed peccamus non *adorando.* — S. Hieronymus per scabellum *adorandum* intelligit etiam carnem Christi in Eucharistia.

2. *Praxi Ecclesiæ.* Christum semper in Eucharistia adoratum fuisse a fidelibus, ipsa proponente Ecclesia, testantur vetustissimæ liturgiæ, prout legere est in opere cui titulus : *La perpétuité de la foi.* Porro errori subjacere nequit hujusmodi praxis quæ fidem Ecclesiæ arguit. Ergo.

3. *Ex confesso adversariorum.* Zwinglius ad Lutherum scribebat : « Si Christus hic est, cur non peccant qui non adorant? » — Calvinus (Tract. de particip. Pœn.) : « Nos semper sic ratiocinati sumus : si Christus est in pane, esse sub pane adorandum. » — Item Beza (lib. de Pœn. Dom.) : « Id si ita esse crederem, adorationem illius profecto nom modo tolerabilem et religiosam, sed etiam necessariam arbitrarer. » — Ipse Lutherus, pro sua levitate et inconstantia non semper

sibi cohærens (lib. de form. Missæ), dicit Christum in sacramento « omni honore adorandum esse. » — Denique in colloquio Ratisbonensi omnes hac de re convenisse fatetur Bucerus.

Prob. 3. *Ratione.* Christus, Deus et homo, cultu latriæ adorandus est: porro Christus vere, realiter et substantialiter præsens est in Eucharistia post peractam Eucharistiam, et quidem modo permanenti, ut supra demonstratum fuit. Ergo in hoc sacramento cultu latriæ etiam extra sumptionem prosequendus est. — Ipsa Tridentina synodus hoc eruit consectarium ex asserto dogmate præsentiæ realis et transsubstantiationis (sess. 13, cap. 5).

56. Scholium. Ut vero protestantium cavillationibus præcludatur aditus, hæc nobis adnotanda videntur :

I. Christus solus in Eucharistia est *objectum formale* adorationis nostræ. Species quidem sacramentales, cum sint aliquid Christi quatenus in sacramento existit, et apprehendantur ut unum quid cum eo in statu sacramentali, pertinent ad *objectum materiale* quod adoratur; sed, cum in se rationem non habeant cur adorentur, in illis non sistit adoratio nostra quatenus latriæ cultus est, sed ad Christum Deum dirigitur et pertingit. Imo, quia accidentalis est tantum specierum unio cum Christo, nonnisi per accidens adorationem fidelium terminant, nec alia ratione quam purpura regis, quæ in rege honoratur, vel panni, quibus involutus erat Christus infans, dum Magi eum adorarent. Unde, quando Tridentini Patres docent latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo sacramento exhiberi, intelligendi sunt de sacramento non prout tantum dicit signum, sed prout dicit rem significatam, seu Christum ipsum, ut ex toto contextu patet. Quod si species considerentur sine conjunctione ad Christum, sed præcise ut sunt sacramentum institutum ad nostram sanctificationem, non deberent coli latria etiam accidentaliter participata, sed alio cultu inferiori ut quædam res sacræ, sicut alia sacramenta.

II. Quoad modum vero, in cultu exteriori erga Eucharistiam observandum, eum determinare ac moderari ad Ecclesiam spectat. Cum enim tuendæ ac promovendæ Religionis

cura ei divinitus demandata fuerit, nec in re tanti momenti privatus cujusque sensus sit admittendus, quidquid ad cultum publicum pertinet, ipsius regimini commissum est. Porro nulla est divini cultus potior pars quam quæ circa Eucharistiam versatur. Ergo ad Ecclesiam spectat cultum hujusmodi determinare, et, juxta diversa locorum et temporum adjuncta, quod ei magis expedire videbitur, ordinare.

§ II. De reservatione sanctissimæ Eucharistiæ.

57. Status quæstionis. Catholicis Eucharistiæ reservatio consectarium est tum præsentiæ realis, tum præsertim et immediate permanentiæ Christi sub speciebus. Posita enim hac permanente Christi nobiscum mansione, nedum ulla sit ratio quæ particulas consecratas reservari prohibeat, multæ contra ita fieri suadent. Quæ quidem ut evidentius appareant, sit sequens

58. Assertio : *Sanctissimæ Eucharistiæ finibus consentaneum est eam in ecclesiis reservari.*

Est de fide, saltem quoad licitatem praxis, definiente concilio Tridentino (sess. 13, can. 7) : « Si quis dixerit, non licere SS. Eucharistiam in sacrario *reservari*, vel statim post consecrationem adstantibus necessario distribuendam, aut non licere ut illa ad infirmos deferatur : anathema sit. »

Prob. 1. *Praxi Ecclesiæ.* Semper viguit mos in Ecclesia tum Latina, tum Græca asservandi SS. Eucharistiam sive in columbis vel turriculis super altari suspensis, sive in parietibus ecclesiæ, sive in sacrario aut tabernaculo, ut constat ex operibus eruditorum. Porro, cum Ecclesia spiritu Dei agatur, nedum contra mentem Christi fecerit, ejus potius concilium et propositum executioni demandasse dicenda est. Ergo (Cf. D. Chardon, *Histoire des Sacrements*, curs. compl. theol., t. 20, col. 305).

Prob. 2. *Rationibus theologicis.* — Sedulo inspicientibus quos fines sibi proposuerit Christus in instituenda Eucharistia eo modo ut nobiscum permaneret, facillime et evidenter appareret eum voluisse nobis esse cibum quo in via salutis reficeremur ; religionis centrum, ad quod homines undique confluc-

rent, ut Deum præsentiorem invenirent; perpetuum omnis gratiæ mediatorem, cui res nostras committeremus; cultorem et exemplar omnium virtutum, quibus in virum perfectum crescere possimus; denique amicum, socium, ducemque viæ nostræ. Porro his similibusque finibus assequendis omnino convenit SS. Eucharistiæ reservatio, qua vere efficitur ut nobis semper obvius sit Salvator noster, vereque omnibus dicta sint hæc ejus verba : « Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. » Ergo.

Exinde colligitur merito lege ecclesiastica cautum esse, ut SS. Eucharistia in Ecclesiis parochialibus servetur, sive ad ministrandum infirmis viaticum, sive ad fidelium promovendam devotionem, sive ad cultum publicum augendum : quod quidem non parum roboris præcedenti nostræ assertioni superaddit.

59. Scholium. Cum vero Christo debitus honor exigat, ut cum singulari reverentia et religione Eucharistia custodiatur, quædam ab Ecclesia præscripta sunt, tum de pyxide et tabernaculo, tum de renovatione particularum consecratarum, tum de lampade coram SS. Sacramento accendenda et genuflexione ab omnibus peragenda; quæ quidem adamussim observanda sunt. Legatur Rituale Romanum una cum statutis diocesanis.

De quibus duo notanda ducimus, scilicet :

1. Renovatio particularum consecratarum fieri debet intra octo dies; ita haud semel præscripsit S. Rituum Congregatio : nec super hac lege ab alio quam a summo Pontifice dispensari potest.

2. Sub gravi obligat lex qua tenentur parochi ad providendum ut coram tabernaculo, in quo asservatur SS. Sacramentum, una saltem lampas diu noctuque colluceat.

Oleum adhibendum pro hujusmodi lampade ex olivis exprimi debet : quod si haberi nequeat, ex aliis oleis vegetatibus, non autem ex petroleo, exprimatur.

Quænam autem gravis reputanda sit negligentia in observanda prædicta lege, non facile determinari potest : habenda est enim ratio distantiæ, ætatis, valetudinis, curarum et occupationum cæterorumque adjunctorum, quæ judicio viri prudentis pro variis casibus pensanda sunt. Si autem nulla sit

ratio excusans, plures non improbabiliter apud S. Ligorium (l. 6, n. 248) docent peccari mortaliter, si culpabili negligentia parochi vel ejus cui cura ista commissa est, integro die, vel aliquot integris noctibus lumen non ardeat ante venerabile Sacramentum.

Quidquid sit, qui per decem dies præfatam negligit obligationem, certo lethaliter peccat: qui vero vespere et mane, adhibitis communibus curis, ecclesiam ingreditur ut lumini invigilet, ab omni peccate immunis est. Provideat tamen, ut oleum adhibeatur bene defœcatum.

§ De specialibus exercitiis quibus SS. Eucharistia asservata honoratur.

60. Status questionis. Jam diximus ad Ecclesiam spectare cultum SS. Eucharistiæ impendendum determinare, moderari ac ordinare juxta temporum et locorum adjuncta. Cum tamen Protestantes, exercitia in honorem SS. Sacramenti ab Ecclesia, decursu temporum, instituta vel probata calumniari non desinant, nec desint inter catholicos qui improborum dicteriis plus æquo commoveantur, hæc ab objectionibus et cavillationibus vindicare nobis operæ pretium esse videtur. Sit itaque assertio sequens:

61. Assertio: *Optimo consilio Corporis Christi festum ac processio solemnis fuerunt instituta; neque etiam immerito, servatis tamen servandis, in ecclesiis quandoque exponitur et circumfertur SS. Sacramentum.*

Prima pars, quæ spectat *ad festum corporis Christi*,

Est de fide, juxta Concilii Trident. canonem (sess. 13. can. 14), supra partim citatum, quem integrum hic referre juvat: « Si quis dixerit, in sancto Eucharistiæ sacramento Christum, Unigenitum Dei Filium, non esse cultu latriæ, etiam externo, adorandum, atque ideo nec *festiva peculiari celebritate venerandum*, neque *in processionibus*, secundum laudabilem et universalem Ecclesiæ sanctæ ritum et consuetudinem, *solemniter circumgestandum*; vel non *publice*, ut adoretur, populo *proponendum*, et ejus adoratores esse idololatras: anathema sit. » — Probatur vero

1. *Universali Ecclesiæ consuetudine*, quam iterum atque iterum laudat concilium Tridentinum, tum scilicet in canone supra citato, tum in capite quinto ejusdem sessionis, ubi declarat « *pie et religiose* admodum in Dei Ecclesiam inductum fuisse *hunc morem* sanctissimum Sacramentum *honorandi*. »

2. *Rationibus theologicis*, quas sic exponit ipsa etiam Tridentina synodus (sess. 13, c. 5): « Æquissimum est enim sacros statutos esse dies, cum Christiani omnes singulari et rara quadam significatione gratos et memores testantur animos erga communem Dominum et Redemptorem, pro tam ineffabili et plene divino beneficio, quos mortis ejus victoria et triumphus repræsentatur; atque sic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio et hæresi triumphum agere, ut ejus adversarii in conspectu tanti splendoris, et in tanta universæ Ecclesia lætitia positi, vel debilitati et fracti tabescant, vel pudore affecti et confusi aliquando resipiscant. »

Secunda pars, *jure nimirum, servatis servandis, exponi et circumferri SS. Sacramentum*, ex jam probatis facili negotio eruitur; potest tamen confirmari.

1. *Concilio Tridentino*, illos damnante qui dixerint in sancto Eucharistiæ sacramento, Christum Dominum non esse *publice, ut adoretur, populo proponendum*.

2. *Ecclesiæ praxi*. A pluribus enim sæculis mos invaluit in Ecclesia exponendi SS. Sacramentum, et quamvis assignari nequeat illius usus origo, probabile est tamen illum introductum fuisse a tempore quo cœperunt processiones in honorem SS. Corporis Domini, ætate scilicet Joannis XXII.

3. *Rat. theol.* Illud enim jure ac pie admodum usurpatur quo debiti persolvuntur honores SS. Eucharistiæ, augetur fides, incenditurque pietas fidelium; atqui hi sunt effectus quos sortiuntur expositiones et processiones SS. Sacramenti, quando debitis in circumstantiis adhibentur. Ergo.

Ideo autem in assertione diximus *servatis servandis*, quia non indiscriminatim, nec pro cujusque parochi libitu, sed ex episcopi licentia, probatis de causis, concessa, eaque lege, ut conveniens sit apparatus exponendum est SS. Sacramentum. Sedulo igitur attendant sacerdotes tum ad prescripta ritualia,

tum ad statuta diœcesana, nec præsertim omittant sex saltem cereos, seu candelas e cera apum opere conflata confectas, circa SS. Sacramentum accendere, et nunquam illud processionaliter transferant, nisi sub baldachino vel umbella, nudo capite incedentes.

62. Scholium. Præter publica illa in honorem SS. Sacramenti exercitia, solent piissimi fideles Christum ibi delitescentem frequenter invisere. Hæc praxis omnino laudanda est ac suadenda; quippe quæ omnibus fulcitur rationum momentis in procedentibus assertionibus allegatis, patronosque ideo sibi vindicat tum SS. Pontifices et Episcopos, qui eam indulgentia ditaverunt, tum præcones Verbi divini, auctores asceticos et Ordinum religiosorum fundatores qui eam summopere commendant.

PARS II.

DE SANCTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

In hac secunda parte pro more nostro dicemus : — 1. de existentia; — 2. de materia et forma; — 3. de effectibus; — 4. de ministro; — 5. de subjecto sacramenti Eucharistiæ. Quæ ad cæremonias in confectione hujusce sacramenti adhibendas pertinent, felicius exponentur in speciali appendice, ubi de ritibus in oblatione sacrificii missæ servandis specialis sermo erit.

CAPUT I.

DE EXISTENTIA SACRAMENTI EUCHARISTIÆ.

Tria hic investiganda occurrunt, nempe — 1. an Eucharistia sit sacramentum; — 2. quid in Eucharistia sacramenti ratio-

nem habeat; — 3. an et qua ratione Eucharistiæ sacramentum unum et multiplex dici possit.

§ I. An Eucharistia sit sacramentum?

63. Negant Sociniani et Protestantes Eucharistiam esse signum per se gratiæ efficax, ac proinde verum et proprie dictum novæ Legis sacramentum. Contra quos sit sequens

Assertio : *Eucharistia est verum et proprie dictum novæ Legis sacramentum.*

Est de fide. Conc. Florentinum ait : « Tertium sacramentum est *Eucharistia.* » Conc. Trid. (sess. 7, can. 1) : » Si quis dixerit sacramenta novæ Legis non fuisse a Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura vel pauciora quam septem videlicet baptismum, confirmationem, *Eucharistiam*... anathema sit. »

Prob. 1. *Scriptura sacra*, in qua hæc leguntur (*Matth.*, xxvi, 26) : « Accepit Jesus *panem*, et benedixit, et ait : Accipite et » comedite : hoc est corpus meum ». (*Joan.*, vi, 55) : « Qui » manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, *habet* » *vitam æternam*... Qui manducat hunc panem vivet in æter- » num. » (*Luc.*, xxii, 19) : « Hoc facite in meam commemora- » tionem » (*Joan.*, vi, 54) : « Nisi manducaveritis carnem Filii » hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam » in vobis. » Ex his vero sic argumentari datur : Ad sacramentum novæ Legis quatuor requiruntur, nempe : signum sensibile, signum a Christo institutum, signum gratiæ productivum, signum permanens : atqui hæc quatuor in Eucharistia reperiuntur, nempe adest : — 1. Signum sensibile, videlicet species panis et vini quæ sub sensibus procul dubio cadunt. — 2. Signum a Christo institutum, ut patet. — 3. Signum gratiæ productivum; Eucharistia enim vitam æternam dare nequit nisi gratiam conferat. Et vero in Eucharistia, ex probatis, continentur corpus, sanguis et anima Christi : porro nulli dubium est rem, in qua continetur Christus totus, esse gratiæ productivam ex se ipsa, id est, *ex opere operato.* — 4. Signum permanens, ut constat, — tum ex mandato Apostolis imposito consecrandi corpus Christi; — tum ex præ-

cepto fidelibus dato carnem Filii hominis manducandi, ejusque sanguinem bibendi; — tum ex fine illius sacramenti, quod, cum pro objecto habeat nutritionem spiritualem, perseverare debet quamdiu erunt homines hac cœlesti alimonia indigentes. Ergo.

Prob. 2. *Traditione*, nempe tum unanimi SS. Patrum et theologorum consensu; — tum praxi utriusque Ecclesiæ, Occidentalis scilicet et Orientalis; — tum denique constanti omnium catholicorum fide.

Prob. 3. *Ratione* convenientiæ quam affert Angelicus Doctor (3 p., q. 73, a. 1) : « Sacramenta enim ordinantur ad subveniendum homini in vita spirituali, quæ vitæ corporali conformatur, eo quod corporalia spiritualium similitudinem gerunt : porro ad vitam corporalem, præter generationem, per quam homo vitam accipit, et augmentum quo homo perducitur ad perfectionem vitæ, etiam requiritur alimentum, quo conservetur in vita. Ergo et ad vitam spiritualem, præter baptismum qui est spiritualis regeneratio, et Confirmationem, quæ est spirituale augmentum, oportuit esse sacramentum Eucharistiæ, quod est spirituale alimentum. »

64. Scholium. Hic requirere solent theologi quandonam Eucharistiæ sacramentum institutum fuerit. — Certum est equidem atque indubitatum Christum pridie mortis suæ in ultima Cœna Eucharistiam instituisse. Verum gravis exsurgit controversia qua die ultimam Cœnam celebraverit. Hujus autem quæstionis gravitas ex eo præcipue provenit quod, si Christus manducaverit pascha cum Judæis, usus fuerit pane azymo, ac proinde legitima est praxis Ecclesiæ Romanæ pane azymo utentis in conficienda SS. Eucharistia.

Innumeræ propemodum dantur opiniones circa præsentem quæstionem; at communiter docent theologi Eucharistiam a Christo institutam fuisse die seu luna decima quarta exeunte, hoc est, feria quinta ad vesperam. Quod ut stabiliant, duo asserunt, nempe — 1. Christum in ultima Cœna pascha legale eum discipulis celebravisse; — 2. Christum pascha manducavisse eodem die ac Judæos.

Et quidem — 1. Christus celebravit pascha legale; nam legitur (*Marc.*, XIV, 12) : « Quo vis eamus et paremus tibi ut man-

» duces pascha... Et paraverunt pascha. Vespere autem facto... » discumbentibus eis, et manducantibus, ait Jesus, etc. » Idem habetur apud S. Matthæum et S. Lucam. Quibus in textibus expresse dicitur Christum celebrasse pascha : porro pascha illud est pascha legale, tum quia simpliciter dicitur pascha, tum quia S. Lucas ait (XVII, 7) : « Venit autem dies azymo- » rum, in qua necesse erat occidi pascha; » quæ verba de solo veteri paschate intelligi possunt. Talis est insuper Ecclesiæ persuasio, dicente Trid. (sess. 22, cap. 1) : « Celebrato veteri pascha, novum instituit pascha. »

2. Christus manducavit pascha eodem die ac Judæi. (*Marc.*, XIV, 12) : « Primo die azymorum quando pascha immo- » labant (Judæi) dicunt ei discipuli : Quo vis eamus, et pare- » mus tibi ut manduces pascha... Et paraverunt pascha. » (*Luc.*, XXII, 7) : « Venit dies azymorum in qua necesse erat » occidi pascha... et paraverunt pascha. » Unde sic : Christus manducavit pascha quando illud immolabant Judæi, primo die azymorum, die quo necesse erat illud occidere; ergo illud manducavit eodem die ac Judæi. — Et vero, si ita non egisset Christus, hac de re a Judæis certe accusatus fuisset, quod tamen non factum fuit. — Insuper si Christus non manducasset pascha decimo quarto die, facile erat quartodecimanos confundere, hac sola ratione, quod tamen nunquam fecerunt sancti doctores.

Objiciuntur plures Script. textus : — 1. (*Joan.*, XIII, 1) : « Ante diem festum paschæ, sciens Jesus quia venit hora » ejus et Cœna facta. » — RESP. Ante diem paschæ naturalem quæ incipit media nocte, *conc.;* legalem, *subd.* : solemnem, *conc.;* ante diem paschæ simpliciter, *neg.;* pascha enim celebrabatur die decima quarta ad vesperam, et solemnitas die sequenti habebatur (Num., XXVIII, 16).

2. (*Joan.*, XVIII, 28) (Judæi) « non introierunt in prætorium » ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha. » — RESP. Hujus paschæ nomine intelligendi sunt panes azymi ac victimæ pacificæ quæ his diebus immolabantur (*Deut.*, XVI, 2). « De ovibus et bobus... »

3. (*Joan.*, XIX, 14) « Erat autem parasceve paschæ hora quasi

sexta, » quando Christus crucifixus est. — RESP. Agitur de parasceve sabbati magni paschæ; tum quia pascha non habebat parasceve, tum quia illud expresse dicitur (*Marc.*, XV, 42): « Erat parasceve quod est ante sabbatum. »

§ II. Quid in Eucharistia sacramenti rationem habeat?

65. Opiniones. Non una est ea de re theologorum sententia; nonnulli propriam rationem et essentiam sacramenti reposuerunt in consecratione; quidam in sumptione; alii in speciebus consecratis, vel in ipso corpore Christi; alii tandem in corpore et speciebus simul. Communius vero theologi, maxime inter Thomistas, docent rationem constitutivam sacramenti Eucharistiæ reponendam esse in speciebus consecratis, prout continent corpus et sanguinem Christi; cum quibus sequentem assertionem statuimus :

Assertio : *Species consecratæ, ut continentes corpus et sanguinem Christi, totam sacramenti Eucharistiæ essentiam constituunt.*

PROB. 1. *Auctoritate Catechismi Romani* his verbis (p. 2, *de Euch.*, n. 8) hanc sententiam tradentis : « Diligenter observandum est, multa in hoc mysterio esse quibus aliquando sacramenti nomen sacri scriptores tribuerunt. Interdum enim et consecratio et perceptio, frequenter vero et ipsum Domini corpus et sanguis qui in Eucharistia continetur, sacramentum vocari consuevit : inquit enim S. Augustinus sacramentum hoc duobus constare, visibili scilicet elementorum specie, et invisibili carne et sanguine ipsius Domini nostri Jesu Christi : atque ad eumdem modum hoc sacramentum adorandum esse, nimirum corpus et sanguinem Domini intelligentes, affirmamus. Verum hæc omnia minus proprie dici sacramenta perspicuum est : *ipsæ autem panis et vini species veram et absolutam hujus nominis rationem habent.* »

PROB. 2. *Doctrina SS. Patrum et theologorum*, qui *species* appellant sacramentum. Juxta S. Thomam (3. p. q. 73, art. 6) in hoc sacramento tria considerare possumus, quorum unum est « id quod est *sacramentum* tantum, quod est panis et vinum, » nimirum *species panis et vini.*

PROB. 3. *Ratione.* In eo enim reponenda est ratio sacramenti Eucharistiæ, in quo et quidem solo reperiuntur conditiones essentiales hujus sacramenti : atqui solæ species consecratæ essentiales sacramenti Eucharistiæ conditiones verificant. Nam Eucharistiæ essentiale est quod sit signum sensibile, gratiam significans et conferens, ac in re permanenti positum : porro hujusmodi conditiones — 1. *reperiuntur in speciebus consecratis*, quippe quæ sub sensibus cadunt, gratiam hominis per modum spiritualis alimoniæ sanctificantem significant et producunt, et corpus Christi, quamdiu integræ supersunt, realiter præsens continent. — 2 *In solis speciebus consecratis reperiuntur.* Alia enim, in quibus essentiam hujus sacramenti reponere solent theologi, — vel rationem signi sensibilis non habent : hujusmodi est corpus Christi a speciebus sejunctum; — vel gratiam non immediate conferunt : talis est consecratio; — vel non sunt quid permanens, sicuti est sumptio Eucharistiæ, quæ cæteroquin sacramentum jam confectum supponit, nec a solo ministro perficitur. Ergo species consecratæ, ut continentes corpus et sanguinem Christi, totam sacramenti Eucharistiæ essentiam et constituunt.

Notandum est tamen consecrationem non se habere mere accidentaliter ad rationem sacramenti. Species enim consecratæ essentialiter ordinem dicunt ad consecrationem seu verborum prolationem tanquam ad causam efficientem, imo et formalem, quatenus per verba determinatæ sunt ad significandum et continendum corpus Christi, quod quidem intelligitur per species formaliter ut consecratas.

66 Corollaria. Ex his *colliges* — 1. sacramentum Eucharistiæ recte definiri a nonnullis theologis *species panis et vini consecratas sub præscripta verborum forma, continentes corpus et sanguinem Christi, ad spiritualem animæ refectionem producendam.*

Colliges — 2. sacramentum Eucharistiæ, etsi in essentialibus cum cæteris conveniat, in pluribus tamen ab iisdem differre; nam — 1. dum reliqua sacramenta solam gratiam conferunt, Eucharistia non tantum gratiam producit, sed ipsum continet gratiæ auctorem; — 2. in aliis sacramentis, materia

quæ adhibetur non in aliam substantiam mutatur; id vero contingit in Eucharistia, ubi panis et vinum in corpus et sanguinem Christi convertuntur; — 3. cætera sacramenta in actione transeunte consistunt et usu perficiuntur; at Eucharistia, postquam consecratione perfecta fuerit, tamdiu perdurat quamdiu species sensibiles panis et vini incorruptæ supersunt.

Colliges — 3. Eucharistiæ sacramentum etiam *in facto esse* spectatum, haud secus ac alia sacramenta, rebus et verbis constare. Etsi enim, peracta consecratione, verba consecratoria formaliter transierint, recte tamen dicitur ea virtualiter remanere; quod sufficit ut sacramentum ex illis componi affirmari possit.

§ III. An et qua ratione sacramentum Eucharistiæ unum ac multiplex dici potest?

Duplex est signum sensibile in Eucharistia, species panis et species vini; iterum species consecratæ sunt numero plures in diversis ecclesiis ubi asservantur ac diversimode considerari possunt. Quæritur ergo 1. an et quatenus Eucharistiæ sacramentum sit specie unum; 2. qua ratione numerice multiplicetur.

I. *De unitate specifica sacramenti Eucharistiæ.*

67. Certum est speciem panis a vini specie physice differre. Sed hic Eucharistiam consideramus in genere *morali*, seu sub ratione signi, sub quo est sacramentum, et sequentem assertionem statuimus:

Assertio: *Etsi existat sacramentum Eucharistiæ sub alterutra specie panis et vini consecrata, attamen unum est specifice sacramentum.*

Prob. 1ª pars, nempe *existere Eucharistiæ sacramentum sub alterutra specie panis et vini consecrata.*

1. *Praxi et sensu totius Ecclesiæ.* Certum est fidelibus communicantibus tradi solam panis speciem: atqui semper creditum fuit SS. Eucharistiæ sacramentum ab ipsis suscipi; ergo praxis et sensus totius Ecclesiæ demonstrant SS. Eucharistiæ

sacramentum in sola specie panis aut vini consecrata subsistere.

2. *Rat. theol.* Habetur sacramentum, quando datur signum aliquod permanens et gratiæ ex *opere operato* productivum : atqui, quando existit species panis vel vini consecrati, habetur signum permanens, a Christo institutum, gratiæ ex opere operato productivum, ex probatis ; ergo datur SS. Eucharistiæ sacramentum.

Nec dicatur solam speciem panis vel vini non esse signum completum refectionis spiritualis quæ fit in Eucharistia, cum ad perfectam refectionem requirantur potus et cibus ; nec proinde sacramenti completi rationem habere. — Fatendum est equidem perfectius significari refectionem spiritualem duabus quam unica specie : attamen unica specie sufficienter exprimitur, et tota confertur sacramenti gratia, cum *de fide* sit Christum totum sub utraque specie consecrata contineri.

PROB. 2ª PARS, nempe *sub duabus speciebus unicum esse specie sacramentum*,

1. *Conc. Florent. et Trid.*, quæ definiunt septem esse sacramenta, nec plura, nec pauciora ; ergo non duplex est specie SS. Eucharistiæ sacramentum.

2. *Catechismo Conc. Trid.* (p. 2, *de Euch.* n. 10) : « Licet sint duo elementa, panis scilicet et vinum, ex quibus integrum Eucharistiæ sacramentum conficitur, non tamen plura sacramenta, sed unum esse, auctoritate Ecclesiæ docti confitemur ; aliter enim septenarius sacramentorum numerus, quemadmodum semper traditum, atque conciliis Lateranensi, Florentino et Tridentino decretum est, constare non poterit. »

3. *Rat. theol.* Sacramentum est specie unum quando una tantum est res significata : porro in Eucharistia unica est res significata, scilicet refectio spiritualis, ad quam ordinantur corpus et sanguis Christi, sicut ad unicam refectionem materialem ordinantur potus et cibus ; ergo unicum est sacramentum Eucharistiæ, quod cibo et potu spirituali perficitur, sicut refectio corporalis cibo et potu materiali perficitur ; ergo unicum est Eucharistiæ sacramentum.

II. *De multiplicatione numerica sacramenti Eucharistiæ.*

68. — I. *In fieri*, seu ratione *consecrationis*, qua Christus sub speciebus panis et vini fit præsens, multiplicatur sacramenti confectio, ratione numeri consecrationum distinctarum; nam ad sacramenti confectionem requiruntur et sufficiunt materia, forma et minister cum intentione faciendi quod facit Ecclesia : porro in omni actu consecrationis distincto hæc omnia reperiuntur; ergo tot sunt Eucharistiæ confectiones numerice quot sunt consecrationes distinctæ. Hinc confectio sacramenti Eucharistiæ non multiplicatur ratione numeri specierum; et sacerdos indigne consecrans non tenetur in confessione declarare numerum vel quantitatem specierum consecratarum; quia numerus nec multiplicat peccata, nec mutat, nec graviter auget peccati malitiam.

69. — II. *In facto esse*, id est, post consecrationem, multiplicatur præsentia Christi, ratione specierum, id est, sacramentum existit ubicumque sunt species divisæ; nam Eucharistia *in facto esse* spectatur ratione signi jugiter subsistentis et gratiam producentis; porro signa illa numerari debent juxta numerum specierum, quæ sunt inter se divisæ; ergo toties est sacramentum quot sunt species divisæ a se invicem.

Debent vero esse divisæ illæ species; secus, unicum daretur signum, non multiplex. Quando autem dividuntur species, multiplicantur sacramenti signa; nec ulla ad id requiritur forma, quia non fit novum sacramentum, sed multiplicantur solum illius signa; sicut, cum aqua dividitur in partes, non fit aqua nova, sed facta dividitur in multas potationes.

70. — III. *In sumptione*, multiplicatur Eucharistiæ sacramentum, ratione numeri refectionum spiritualium. Eucharistia enim est instituta per modum convivii spiritualis, ac proinde de illa loquendum est veluti de convivio materiali ob analogiam : atqui unitas vel pluralitas in convivio materiali non desumitur ex unitate vel pluralitate ferculorum, neque etiam ex una vel pluribus actionibus præparatoriis; sed, cum unum convivium possit constare ex uno vel pluribus ferculis, possitque pariter confici una vel pluribus actionibus, et vicissim

multiplex convivium unica actione continua possit obtineri, desumenda est ista unitas aut pluralitas ex numero refectionum corporalium; ergo similiter unitas vel pluritas numerica in sacramento Eucharistiæ non sumitur ex unitate vel pluralitate specierum præcise, vel ex una aut multiplici consecratione, sed ex ordine ad unam vel multiplicem refectionem spiritualem.

Unde, si unus simul vel continuatim sumat plures hostias, est unum sacramentum, quia unica est refectio; si idem pluries in diverso tempore sumat, sunt plura sacramenta, quia sunt plures refectiones. Item si plures ex eadem hostia sumant, singuli suscipiunt sacramentum, quia plures sunt refectiones; tot sunt enim refectiones quot refecti.

Hinc — 1. sacerdos qui in Missa sumit species tum panis, tum vini, imo diversas particulas super corporale inventas, vel plures parvas hostias in præsenti vel præterito sacrificio consecratas, unicum suscipit sacramentum; quia hæc ad unicam ordinantur refectionem spiritualem.

Hinc — 2. non susciperetur sacramentum, si species consecratæ non pervenirent ad stomachum vel antea in ore dissolverentur; quia hæc ad essentiam refectionis materialis pertinere judicant scientiæ periti; cavendum est ergo ne sacræ species in ore disolvantur; quia, quamvis juxta medicos remaneat substantia panis, deest tamen signum sacramentale seu species panis. — Sed sufficit ut sacræ species ad stomachum perveniant, licet postea in ipso non dissolvantur; nam in hoc tantum consistit manducatio. Ita Suarez, de Lugo, Billuart, etc.

CAPUT II.

DE MATERIA ET FORMA SACRAMENTI EUCHARISTIÆ.

Triplex erit articulus; — 1us de materia; — 2us de forma Eucharistiæ. — 3us de conditionibus requisitis ut materia formæ subjici queat.

ARTICULUS I.

De materia sacramenti Eucharistiæ.

71. Errores. Circa materiam sacramenti Eucharistiæ erraverunt Artotyritæ, qui cum pane et caseo simul conficiebant Eucharistiam; — Aquarii, qui aqua tantum utebantur in calice consecrando; — Calvinus et nonnulli ejus asseclæ, qui in casu necessitatis pro pane et vino substitui posse omnia, quæ similem habent alimoniæ analogiam, arbitrantur; — Græci schismatici, qui Ecclesiæ Romanæ odio obcæcati, panem azymum rejiciunt, solumque fermentatum adhibendum esse docent.

Catholica vero doctrina, his erroribus opposita, tenet duplicem esse materiam remotam sacramenti Eucharistiæ, panem scilicet ex tritico confectum, azymum vel fermentatum pro disciplina Romanæ vel Græcæ Ecclesiæ, et vinum de vite cui admisceatur paululum aquæ. Dicemus itaque — 1. de pane eucharistico; — 2. de vino eucharistico.

§ I. De pane eucharistico.

Duplici assertione doctrinam catholicam vindicabimus.

72. Assertio 1ª. — *Prima sacramenti Eucharistiæ remota materia est panis, non quilibet, sed triticeus.*

Prima pars, scilicet *Eucharistiæ remotam materiam esse panem.*

Est de fide, utpote definita in concilio Lateranensi IV (cap. *Firmiter*), et in concilio Tridentino (sess. 13, can. 10), transsubstantiationem definientibus, sed præsertim in concilio Florentino infra allegando. — Constat vero

1. *Scriptura sacra*: nam Christus adhibuit panem, ex verbis institutionis Eucharistiæ supra citatis, panemque adhiberi præcepit, dicens: « *Hoc facite in meam commemorationem.* »

2. *Traditione.* Ecclesia enim semper pane usa est tanquam materia necessaria, uti invicte demonstrant — tum Patres jam allegati ubi de transsubstantiatione, — tum doctores ac theologi, — tum ritualia omnia, — tum demum concilia ipsa

contra veteres hæreticos docentia materiam a pane distinctam non esse adhibendam, vel simpliciter panem esse materiam hujus sacramenti; quod magis patebit ex dicendis.

3. *Ratione* innuitur. « Sicut enim, inquit S. Thomas (3 p. q. 74, art. 1), aqua assumitur in sacramento baptismi ad usum spiritualis ablutionis, quia corporalis ablutio communiter fit in aqua; ita panis et vinum, quibus communius homines reficiuntur, assumuntur in hoc sacramento ad usum spiritualis manducationis. »

CONSTAT 2ª PARS, scilicet, *non panem quemlibet, sed triticeum tantum esse materiam Eucharistiæ sacramenti*,

1. *Traditione*. Legitur enim in concilio Florentino (sess. ultima): « Item (diffinimus) in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici; » et in decreto ad Armenos: « Tertium est Eucharistiæ sacramentum, cujus materia est panis triticeus: » denique et in missali Romano, cui alia suffragantur missalia: « Si panis non sit *triticeus*, non conficitur sacramentum. »

2. *Ratione theologica*; quippe eo pane conficienda est Eucharistia, quem Christus in ultima Pœna consecravit et consecrandum præcepit: atqui hic fuit panis triticeus, — tum quia in Palæstina, sicut et in aliis calidioribus regionibus, panis usualis est triticeus, nec alius sub generali panis designatione intelligitur; — tum etiam quia triticeo pane præcipue ad festum paschale et ad esum agni vescebantur Judæi; — tum demum quia verisimile non est optimum panem in instituenda Eucharistia non adhibitum a Christo fuisse, cum panes propositionis, qui hujus sacramenti figura erant, conficiendi essent ex simila, id est, ex flore farinæ triticeæ.

Hinc 1. *Quidquid panis vocari nequit non est apta materia ad validam SS. Eucharistiæ confectionem.* — Conficitur autem panis ex farina aqua naturali subacta et puro igne cocta. Unde nec farina aquæ non immixta, nec cruda, nec oleo vel butyro vel lacte mixta, potest esse Eucharistiæ materia; quia non est panis proprie et simpliciter dictus. Si panis substantiæ aliqua materia extranea adderetur in minima quantitate, ita ut juxta sensum communem dici posset simpliciter panis,

remaneret materia eucharistica sufficiens; unde putat Suarez immixtionem parvæ quantitatis salis illius validitati non obstare, quia ita fert usus communis in quibusdam regionibus (disp. 44, sect. 2). Panis substantialiter corruptus, qui vulgo cognoscitur ex mutatione coloris, saporis et aliis signis, non est materia sufficiens in Eucharistia, ut patet.

Hinc 2. *Omnis panis qui dici non potest simpliciter triticeus, non est materia valida sacramenti Eucharistiæ.* Itaque valide consecrari non potest panis hordeaceus, vel avenaceus, vel confectus ex castaneis, fabis, amygdalis, vel ex radicibus aut aliis similibus. Si autem pauca hordei vel alterius substantiæ grana miscerentur, adeo ut juxta prudentium hominum æstimationem panis remaneat vere triticeus, valide in eo consecratur. Quidam existimarunt cum S. Thoma consecrari posse panem secalitium, eo motivo innixi quod secale sit frumenti genus ex tritico in exilibus terris seminato proveniens; at, cum hæc ratio habeatur hodie ut falsa, dicendum est panem secalitium non esse sufficientem Eucharistiæ materiam.

73. Assertio 2ª: *Panis triticeus, sive azymus sit, sive fermentatus, est materia valida sacramenti Eucharistiæ; jure autem ecclesiastico, azymo pane Latini, fermentato autem Græci uti tenentur.*

PRIMA PARS ASSERTIONIS EST DE FIDE, dicente conc. Florentino, in decreto unionis: « Definimus..., in azymo, sive fermentato pane triticeo corpus Domini veraciter confici. » Constat vero

1. *Ex constanti usu et praxi* utriusque Ecclesiæ. Compertum est enim ex conciliis et historiæ documentis Latinos panem azymum ad conficiendam Eucharistiam a primævis sæculis adhibuisse; imo hunc ab Apostolorum principe B. Petro invectum fuisse usum multi volunt, prout innuit S. Leo IX a Michaelis Cærularii calumniis Ecclesiam Romanorum vindicans; nec ipsi Græci ante Photium, intrusum et schismaticum, latinorum praxim reprehenderunt. Pane autem fermentato a longo tempore utuntur Græci, absque Latinorum animadversione. Porro hujusmodi praxis arguit alterutrius panis indifferentem esse usum quoad sacramenti valorem, dummodo ex tritico constet, ut Græci in concilio Florentino confessi sunt. Ergo.

2. *Ratione.* Si azymus fermentatusve panis triticeus æque non valerent ad consecrationem, esset quia non convenirent in ratione panis, cum materia sit eadem. Atqui uterque panis dicitur panisque habet rationem, siquidem farina constat quæ aqua naturali coagmentatur et puro igne coquitur. Ergo.

CONSTAT 2ª PARS ASSERTIONIS, scilicet, *jure ecclesiastico, azymo pane Latinos, fermentato autem Græcos uti teneri*, ex decreto Conc. Florentini supra citato, quod, postquam definivit in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici, addit « sacerdotes in alterutro ipsum Domini corpus conficere debere, juxta suæ Ecclesiæ sive Orientalis sive Occidentalis consuetudinem. » —Idem expresse definierunt S. Pius V et Benedictus XIV : nec ipsi laïci ab hac lege pro communione percipienda eximuntur, quando sui ritus Ecclesias adire possunt.

74. Quæritur 1. *An quandoque liceat sacerdoti Latino uti pane fermentato.*

RESP. 1. Licet, si agatur de sacrificio eucharistico, quod, consecrato calice, compleri nequit nisi cum pane fermentato.

RESP. 2. Non licet, ut populus die dominica Missam audiat; nec ut infirmus suscipiat viaticum, quia in hoc casu præferenda est reverentia erga tantum sacramentum utilitati proximi, cui tale sacramentum non est necessarium simpliciter; non obligat autem in ista circumstantia præceptum divinum de viatico suscipiendo, ob incommoda inde secutura. Ita probabilius theologi communiter, inter quos S. Lig. (lib. 6, n. 203).

RESP. 3. Dubitatur an sacerdos Latinus inter Græcos degens possit uti pane fermentato, quando nulla ibi datur latina Ecclesia, nec adest scandalum. Affirmant multi; ita P. Antoine, Suarez, Tournely, S. Ligor.; negant alii non pauci quibus prædicta ratio non videtur sufficiens, ut sacerdos, sine S. Pontificis dispensatione, possit ritum suum deserere, et pluribus nituntur SS. Pontificum decisionibus. Ita Billuart, Bouvier et imprimis Caron in notis additis Tractatui *de divinis Mysteriis* a Collet exarato.

75. Quæritur 2. *An constans semper fuerit usus panis fermentati apud Græcos, et azymi apud Latinos.*

Resp. Circa antiquitatem et perpetuitatem usus panis tum azymi, tum fermentati, non concordant auctores. — 1. S. Thomas existimat inductum a Christo et Apostolis azymorum morem in utraque Ecclesia perseverasse usque ad hæresim Ebionitarum, quibus ne circa legalium observationem consentire viderentur catholici, fermentatum azymo substituerunt. Postea vero extincta Ebionitarum hæresi, rediit Ecclesia Occidentalis ad pristinum in azymo consecrandi morem, Orientalibus fermentatum retinentibus. — 2. Docent alii cum Sirmundo Ecclesiam latinam per octo et amplius sæcula fermentatum adhibuisse, et in ea post exortum schisma Photii, IX sæculo, usum azymi cœpisse. — 3. Alii cum Mabillonio opinantur azymi panis usum ab Apostolis temporibus in Ecclesia Latina fuisse perpetuum ac nusquam interruptum.— 4. Card. Bona vult usum fermentati apud Græcos constantem ac perpetuum fuisse, apud Latinos vero azymi perinde ac fermentati usum pro variis temporum, locorum ac personarum circumstantiis viguisse, nec ante sæculi decimi initium, azymum communi lege fuisse receptum. Quidquid sit, parvi interest; unusquisque rem expendat et judicet.

Cæterum nemo nescit cum quanta cura tum apud Latinos, tum apud Græcos, panis eucharisticus confectus fuerit (Vide Chardon: *Histoire des sacrem. Cursus compl.*, t. XX, col. 242).

76. Quæritur 3. *Quænam ad consecrationem requiratur panis quantitas, forma et integritas.*

Resp. 1. *Circa quantitatem* panis consecrandi, nihil fuit determinatum a Christo; sed sedulo abstinendum est a consecranda illa panis quantitate quæ corporis Christi profanationi facilem locum daret. Usu potiusquam aliquo præcepto positivo, major hostia pro celebrante quam pro aliis est consecranda; ad parvam igitur hostiam licite adhibendam etiam publice, secluso scandalo, sufficit ut secus infirmus absque viatico moriatur, ut plebs missa careat die dominica; privatim autem, deficiente majori hostia, minorem adhibere licet ad propriam pietatem fovendam. Ita Bouvier.

Resp. 2. Quod ad *formam* panis attinet, juxta antiquam Ecclesiæ praxim panis consecrandus debet esse exilis et figura

rotundus. Illius autem panis qualitates in sequentibus versibus enumerantur :

> Candida, triticea ac tenuis, non magna, rotunda,
> Expers fermenti, non salsa sit hostia Christi.

Resp. 3. Quoad *integritatem*, eucharisticus panis debet esse integer *ratione materiæ*, id est, non corruptus vel maculatus; si enim graviter, quamvis non substantialiter, esset corruptus vel maculatus, grave esset peccatum. Debet esse pariter integer ratione *formæ*, id est, non fractus; fractura quippe notabilis aliquid indecens et scandalosum præ se fert.

Quomodo autem in Missa defectus panis emendandus sit, alibi dicetur.

§ II. De vino eucharistico.

Quid requiratur ex necessitate sacramenti, quid ex necessitate præcepti, declarabunt assertiones sequentes :

77. Assertio 1ª : *Præter panem triticeum, vinum de vite materia est etiam remota Eucharistiæ sacramenti.*

De fide est, utpote implicite definita tum in concilio Lateranensi X (cap. *Firmiter*), tum in concilio Tridentino (sess. 13, can. 2). Insuper Encratitæ a vino in Eucharistia abstinentes, seu Aquarii, semper habiti sunt ut hæretici.

Prob. 1. *Scriptura sacra.* (Marc., xiv, 23) : « Et accepto » *calice*, gratias agens dedit eis; et biberunt ex illo omnes et » ait illis : Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro » multis effundetur. Amen dico vobis, quia jam non bibam de » *hoc genimine vitis*, usque in diem illum, quum illud bibam » novum in regno Dei. » (I *Cor.*, ii, 25) : « Hoc facite, quo- » tiescumque bibetis, in meam commemorationem. » Unde sic : Illud est materia sacramenti Eucharistiæ quod Christus adhibuit, et adhiberi præcepit : atqui Christus in Eucharistia conficienda vinum adhibuit et adhiberi præcepit. Ergo.

Prob. 2. *Traditione.* Conc. Flor. hæc habet in decreto ad Armenos : « Tertium est Eucharistiæ sacramentum, cujus materia est panis triticeus et *vinum de vite.* » Idem supponit concilium Tridentinum in cunctis sessionis 13 capitibus; nec unquam vini nomine aliud in Ecclesia intellectum est, quam

liquorem e fructu vitis expressum : « Nam, ut ait Catechismus Romanus, Dominum Salvatorem vino in hujus sacramenti institutione usum esse semper docuit catholica Ecclesia, cum ipse dixerit : « Non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum. »

Prob. 3. *Ratione*, quam sic exponit S. Thomas (3, q. 74, art. 5) : « Ad materiam sacramentorum assumitur quod proprie et communiter habet talem speciem : proprie autem vinum dicitur quod de vite sumitur ; alii vero liquores vinum dicuntur secundum quamdam similitudinem. »

Ex his colliges *omnem liquorem, qui, juxta consuetum loquendi modum, dici non poterit vinum ex vite, non esse materiam aptam ad SS. Eucharistiam conficiendam.*

Hinc 1. Certa et valida est SS. Eucharistiæ materia vinum album aut rubrum, Gallicum vel Hispanicum, indigenum vel extraneum..., dummodo ex uvis expressum. Vinum extraneum caute tamen adhibeant sacerdotes, quia sæpe concinnatum est : « Si vinum cœperit tantum acescere vel corrumpi, vel si fuerit aliquantulum acre, vel mustum de uvis modo expressum, conficitur quidem sacramentum, sed conficiens graviter peccat » (Rubrica *de Defectibus.*). S. Congreg. S. Officii, die 12 jul. 1706, declaravit liquorem ex uvis pressis ope cujusdam fermentationis expressum in Æthiopia, ubi aliud vinum deficit, usitatum esse materiam validam et licitam » (Ferraris, v. *Euch.*, art, 2, n. 34).

Hinc 2. invalida materia est succus ex pomis, cerasis, aliisve fructibus expressus ; item liquor in uva adhuc contentus ; item vinum acetum vel corruptum ; quia ista omnia, juxta communem loquendi modum, non sunt vinum. Pariter non videretur materia sufficiens vinum quod arte chimica conficeretur ; quia, quamvis nonnisi ex elementis vinum componentibus efficeretur, non esset vinum de vite, et generatio vitis.

Hinc 3. materia dubia foret vinum congelatum ; multo probabilius tamen foret valida hujusmodi consecratio ; nam vinum congelatum vini substantiam retinet, in stomacho omnes vini effectus producit, et rubrica dicit : « Si in hieme sanguis congeletur in calice, involvatur calix pannis calefactis,... donec li-

quefiat. » Ergo retinet speciem vini; Ergo valide, licet illicite, consecrari potest.

78. Assertio 2 : *Aqua vino miscenda est in calice consecrando, non tamen de necessitate sacramenti, sed probabilius de necessitate præcepti apostolici.*

CONSTAT PRIMA PARS, scilicet *aquam vino miscendam esse*. Nam conc. Flor. ait : « Decernimus ut etiam ipsi Armeni se cum universo orbe christiano conforment, eorumque sacerdotes in calicis oblatione paululum aquæ admisceant vino. » Conc. Trid. (sess. 22, cap. 7) dicit : « Monet S. Synodus præceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent; » et (sess. 22, c. 9) ait : « Si quis dixerit... aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem, anathema sit. » Ita fert tota Traditio et demonstrat praxis universalis Ecclesiæ.

CONSTAT SECUNDA PARS, nempe *aquam non esse vino miscendam de necessitate sacramenti*. Nam rubrica *De defect.* fert : « Si celebrans ante consecrationem calicis advertat non fuisse appositam aquam, statim ponat eam, et proferat verba consecrationis. Si id advertat post consecrationem calicis, nullo modo apponat, quia *non est de necessitate sacramenti.* » Et hæc quidem merito; nam conc. Flor. non dicit vinum et aquam, aut mixtum ex vino et aqua materiam esse sacramenti Eucharistiæ, sed simpliciter dicit materiam calicis esse vinum de vite, cui modicissima aqua misceri debet.

CONSTAT TERTIA PARS, scilicet *de necessitate præcepti apostolici requiri mixtionem aquæ*. Nam conc. Flor. sine adnotatione ulla hæc Julii I refert verba : « Calix dominicus, juxta canonum præceptum, vino et aqua permixtus debet offerri. » Conc. Trid. expresse dicit (sess. 22, cap. 7) : « Monet S. Synodus, præceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent. »

Illius vero præcepti auctor nominari nequit; Alexander I, qui a quibusdam desiguatur, asserit hanc praxim a Patribus fuisse acceptam; unde merito dici potest illam ab Apostolis ortum ducere, juxta principium a S. Augustino prolatum : Quod nec in Scriptura inventum, nec conciliis traditum, sed semper

retentum est, nonnisi ab apostolica traditione venire credendum est. — Hujus autem præcepti rationes tradit conc. Trid., dicendo aquam esse vino miscendam « tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur; tum etiam quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit. Quod sacramentum hac mixtione recolitur; et cum aquæ in Apocalypsi beati Joannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repræsentatur. » Fatentur omnes præceptum illud esse grave et sub mortali obligare.

79. Quæritur 1. *Quænam debeat esse ad Eucharistiam conficiendam vini qualitas et quantitas.*

RESP. 1. Quoad vini *qualitatem*, parvi interest, ut dictum fuit, quænam sit ejus qualitas, modo sit ex uvis expressum. Advertunt tamem auctores communiter non adhibendum esse vinum gustui vel olfactui ingratum, ob reverentiam SS. Sacramento debitam, nec nimis jucundum aut generosum, ob alicujus delectationis sensualis periculum.

RESP. 2. Quoad vini consecrandi *quantitatem*, nihil in hoc puncto ab Ecclesia definitum fuit. Non sufficit una aut altera gutta vini; tum quia Christus dixit : *Bibite*, quod verbum aliquid amplius designat; tum quia ita fert usus communis; tum quia difficiliter adhiberetur aqua miscenda. Sufficere videtur ea vini quantitas qua calicis fundus obtegitur.

80. Quæritur 2. *Quænam debeat esse tum qualitas tum quantitas aquæ miscendæ.*

RESP. 1. Aqua miscenda est aqua naturalis; unde non licet, etiam in casu necessitatis, aliam aquam, v. g., rosaceam adhibere.

RESP. 2. Juxta conc. Flor. præcipitur sacerdotibus ut *paululum aquæ* admisceant vino; et additur : « vino *modicissima* aqua misceri debet; » inde concludunt auctores unam aut alteram guttam sufficere. Probabiliter, inquiunt multi, potest infundi aqua usque ad octavam partem vini; imo usque ad quintam, juxta de Lugo (d. 4. n. 38). Addit Busembaum sufficere ut aqua tertiam partem non excedat. Sed hæc ultima sententia non videtur admittenda in praxi; quamvis enim tertia pars non corrumpat vinum, si sit generosum, sacerdos non

debet nisi paucas infundere guttulas, v. g., octo vel decem. — Quod si casu nimiam aquæ quantitatem infuderit, iterum aliqua quantitas vini erit adjicienda. Si ea aquæ quantitas adhibita fuisset, ut materia, omnibus attentis, amplius vinum simpliciter dici non posset, invalidum foret sacramentum. — Juxta decisionem S. C., 12 aug. 1854, non licet cochlearis usus ad aquam in calicem infundendam.

81. Quæritur 3. *Quid fiat aqua vino mixta.*

Res. Tenendum est aquam in Christi sanguinem immutari; illud constat — 1. *Traditione.* S. Ambr. (lib. 4, *de Sacram.* c. 4, n. 19), ait : « Vinum cum aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis consecratione verbi cœlestis. » — 2. *Conc. Trid.* declarante quod post consecrationem remaneant tantum species panis et vini; porro id falsum esset, si insuper aqua in calice existeret. — 3. *Rath. th.* Vera esse debent consecrationis verba, tum in Christo, tum in presbyteris : porro vera non essent, si aqua in sanguinem non verteretur; nam verba consecrationis ista sunt : *Hic est calix sanguinis mei :* porro ista non essent vera, seu in calice non esset simpliciter et unice sanguis Christi, si adhuc permaneret aqua; ergo post consecrationem non superest aqua : ergo mutatur in sanguinem Christi. — Disputant theologi an aqua fiat vinum antequam in Christi sanguinem immutetur; at probabilius negatur, quia non sunt multiplicanda miracula sine evidenti ratione.

ARTICULUS III.

De forma Eucharistiæ.

82. Opiniones. Catholici auctores omnes quidem docent ad Eucharistiam conficiendam, sicut ad cætera sacramenta, requiri formam, seu verba quibus consecratio perficiatur; sed inter eos plures, præsertim ante concilium Tridentinum, dici posse censuerunt cum Innocentio III (l. 4, *Myst. Missæ*, cap. 6), Christum in cœna voluntatis imperio aut benedictione consecrasse, et postea verba tradidisse quibus Apostoli ac sacerdotes deinceps consecrationem efficerent. — Alii plus æquo sententiæ nonnullorum Græcorum schismaticorum indulse-

runt, qui in concilio Florentino asserere visi sunt non solis verbis Dominicis, sed etiam precibus liturgicis adjunctis confici corpus et sanguinem Christi. — Alii, Scoto duce, arbitrati sunt verba Christi efficacia non esse nisi præmissis verbis : *qui pridie,... similiter postquam cœnatum est,* quia sacerdotem in persona Christi loquentem inducunt, sensumque verborum consecrationis determinant. — Denique inter scholasticos, præsertim Thomistas, controvertitur utrum in consecratione calicis præter verba : *Hic est calix sanguinis mei,* alia essentialia sint.

Quid de his sentiendum sit, sequentibus assertionibus declarabitur.

83. Assertio 1ª : *Christus Eucharistiam instituens, panem et vinum non solo imperio voluntatis, nec prævia benedictione, sed verbis consecravit.*

Prob. 1. *Scriptura sacra.* Juxta Evangelistas et B. Paulum (I *Corinth.*, XI, 5) Christus acceptum panem Apostolis distribuit, dicens : *Hoc est corpus meum... hoc facite in meam commemorationem ;* — similiter et calicem, his verbis : *Hic est sanguis meus... hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.* Unde sic : quæ nunc faciunt sacerdotes, qui in hoc Apostolis successerunt, hæc ipse fecit Christus, quem imitari jussi sunt : atqui sacerdotes verbis a Christo in cœna prolatis consecrant. Ergo et in ore Christi hæc verba consecratoria fuerunt.

Prob. 2. *SS. Patribus.* Tertullianus (l. 4, *contr. Marcion.*, c. 40) ait : « Acceptum panem et distributum discipulis, corpus suum illum fecit, *hoc est corpus meum dicendo.* » — S. Joannes Chrysost. (Hom. 3, in II *Tim.*) inquit etiam : « Quemadmodum *verba quæ locutus est Christus, eadem sunt quæ nunc quoque pronuntiant*, ita et obligatio eadem est. » S. Joan. Damascenus expressius dicit : « Sicut Deus dicendo : *fiat lux*, fecit lucem ; ita dicendo : *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, perfecit hoc sacramentum. »

Prob. 3. *Concilio Trident.* (sess. 13, c. 1) ubi dicitur : « Hoc admirabile sacramentum in ultima Cœna instituit (Christus), cum, *post panis vinique benedictionem*, se suum

corpus præbere ac sanguinem disertis *ac perspicuis verbis* testatus est. Quæ verba a sanctis Evangelistis commemorata, et a divo Paulo postea repetita sunt. » In quo textu duo sunt advertenda : primum, Christum instituisse Eucharistiam post benedictionem; secundum, hanc institutionem peregisse *perspicuis verbis*, quæ commemorant Evangelistæ et S. Paulus, se corpus suum ac sanguinem præbere testando. Ergo non per benedictionem præviam aut distinctam ab illis verbis Eucharistiam confecit. Ergo illis verbis ipse consecravit. Unde Catechismus conc. Trid. (2 p. *de Euch.*, 20), relatis verbis Christi, ait : « Quæ quidem consecrationis forma, cum a Christo Domino servata sit, ea perpetuo catholica Ecclesia usa est. »

Prob. 4. *Ratione theol.* Ad dignitatem et omnimodam excellentiam tanti sacramenti pertinebat, ut ipse Christus illius conficiendi formam in ipsa institutione usurparet, quam Apostolis tradebat. Ergo verbis quæ in sacris Litteris consignantur vere consecravit.

Hæc nostra assertio a theologis habetur ut certa, non tamen ut expresse definita, nec proinde de fide dicenda est.

84. Assertio 2ª : *Eucharistia verbis Dominicis, non sacerdotis precibus consecratur.*

Prob. 1° pars, scilicet, *Eucharistiam verbis Dominicis consecrari :*

1. *Scriptura sacra.* Christus enim, ut modo diximus, postquam pronuntiaverit hæc verba : *Hoc est corpus meum : Hic est sanguis meus*, subjunxit : *hoc facite in meam commemorationem :* atqui mandatum *hoc facite* non solum ad id quod egerat, sed etiam ad verba maxime pertinere intelligendum est, quia verba actioni Christi significationem sacramentalem præcipue tribuunt. Ergo.

2. *Conciliis.* In concilio Florentino Græci confessi sunt, « verba Dominica esse illa quæ mutant et transsubstantiant panem et vinum in corpus verum Christi et sanguinem. » Postea Eugenius IV in decreto ad Armenos dixit : « Forma hujus sacramenti (Eucharistiæ) sunt *verba Salvatoris*, quibus hoc confecit sacramentum. Sacerdos enim in persona Christi

loquens hoc conficit sacramentum. » — Item concilium Trid. (sess. 13, c. 3) asserit statim *post consecrationem*, et quidem *vi verborum*, corpus et sanguinem Christi sub speciebus panis et vini existere : quæ quidem consecratio indubie in Ecclesia catholica complectitur verba Dominica.

3. *Ratione theol.* — Sic arguit catechismus Romanus (*loc. cit.*) : « Forma ea est, qua illud significatur, quod in hoc sacramento efficitur. Cum autem hæc verba id quod fit significent ac declarent, hoc est, panis conversionem in verum Domini nostri corpus, sequitur formam in illis verbis constituendam esse. »

Secunda pars assertionis, nempe *Eucharistiam precibus sacerdotis non consecrari*, vix indiget probatione. Argumenta enim allata, si attente spectentur, statuunt verba Dominica formam esse adæquatam hujus sacramenti. Nonnullas tamen rationes theologicas addendas ducimus, quibus apertius convellatur eorum opinio, qui Græcorum quorumdam placitis adhærere videntur, inter quos P. Le Brun in suo opere de sacra Liturgia, ubi contendit invocationem, quæ apud Latinos verba institutionis præcedit ac in omnibus liturgiis invenitur, ad validitatem consecrationis necessariam esse. Et vero

1. Ex decreto Eugenii IV supra citato, forma Eucharistiæ sunt verba Salvatoris, quibus hoc confecit sacramentum : atqui preces liturgicæ, sive Eucharistiam præcedant, sive subsequantur, non pertinent ad verba quibus Christus hoc sacramentum confecit. Ergo.

2. Ex eodem decreto, sacerdos Eucharistiam consecrat, loquens in persona Christi : porro sacerdos liturgicas preces recitans non loquitur in persona Christi, sed Ecclesiam repræsentat. Ergo.

3. Forma Eucharistiæ est ex institutione divina et eadem apud omnes : atqui preces liturgicæ sunt tantum ex institutione ecclesiastica, et variæ in diversis Ecclesiis. Ergo rationem formæ non habent.

4. Sacerdos independenter a precibus quibuscumque, et in persona Christi verba Dominica super panem et vinum proferens, verum dicit : ergo id efficit quod significant verba.

Ergo Christum præsentem sistit sub speciebus. Aliunde nemo non videt verba Dominica significationem integram ac proinde efficaciam completam habere.

5. Preces quæ in liturgia Latina consecrationem antecedunt et in liturgia Græca subsequuntur, eamdem vim obtinere debent : atqui nullam vim habent quæ subsequuntur, cum statim post prolata verba Dominica Christus etiam apud Græcos proponatur adorandus. Ergo.

6. Denique confirmatur ex confesso Græcorum in concilio Florentino, qui de sua fide ab Eugenio IV interrogati, ea quæ diximus responderunt, asseverantes insuper se per preces, quæ verba Dominica subsequuntur, non petere absolute ut fiat corpus Christi, sed ut fiat ipsis salutare in remissionem peccatorum.

85. Assertio 3ª. *Sola verba :* HOC EST CORPUS MEUM, *et :* HIC EST CALIX SANGUINIS MEI, *aut :* HIC EST SANGUIS MEUS, *Eucharistiæ conficiendæ essentialia sunt.*

PROB. Si enim alia verba essentialia essent, certo aut verba quæ ex Evangelio deprompta utramque consecrationem præcedunt, aut verba quæ in calicis consecratione subsequuntur : atqui neutrum :

Non primum, seu, *verba quæ utramque consecrationem præcedunt essentialia dici nequeunt*, ut voluit Scotus.

Nam — 1. pleraque hæc verba mere sunt narrativa, nec consecrationis rationem habent. — 2. Si quædam ex illis hanc rationem obtinerent, certe hæc ipsius Christi : *Accipite et comedite*, etc : porro, etsi S. Matthæus et S. Paulus referant hæc verba a Christo fuisse prolata, tamen S. Marcus solum ponit verbum *sumite*, S. Lucas autem nullum refert : quod certe concipi nequit, si verba præfata essentialia forent. Ergo. — 3. Patres in prima assertione citati consecrationem a Christo peractam his tantum verbis tribuerunt : *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*, non vero præcedentibus. Ergo. — 4. Hæc ultima verba significant id omne quod consecratione efficitur. Ergo sola sunt essentialia. — Nec dicatur cum Scoto ea quæ præcedunt ideo requiri, ut sacerdos non in propria persona, sed in persona Christi loquatur. Nam in hoc sacramento, sicut

et in cæteris, ut sacerdos in persona Christi loquatur, satis est si ea proferat quæ Christus determinavit cum intentione eum repræsentandi; nec ullæ, ut probavimus ubi de intentione ministri sacramentorum, requiruntur circumstantiæ extrinsecæ.

Non secundum, seu *ad essentiam formæ SS. Eucharistiæ non etiam pertinent verba quæ vocem* SANGUINIS *subsequuntur.*

Etenim — 1. singula hæc verba non leguntur apud singulos Evangelistas : nulli referunt has voces *æterni*, *mysterum fidei;* particulæ *pro vobis* omittuntur a S. Matthæo et S. Luca; tacet S. Marcus *in remissionem peccatorum;* S. Paulus autem vocibus *novi Testamenti* tantum utitur: porro vix credibile est verba essentialia ab auctoribus sacris prætermissa fuisse. Ergo. — 2. Eadem fere varietas in antiquis Græcorum liturgiis deprehenditur: atqui tamen nunquam habita est ut invalida consecratio his ritibus peracta. Ergo. — 3. Illa verba sola essentialia sunt quæ habent sensum completum et id omne significant quod efficitur; atqui verba *hic est calix sanguinis mei* sensum integrum præ se ferunt et transsubstantiationem perfecte significant. Ergo. — Et vero cætera verba, si attente expendantur, aliquid tantum accidentale et consecrationi extrinsecum exprimunt, nec est proinde quod requirantur.

Nec dicatur ad rationem sacrificii pertinere, ut significetur sanguis Christi tanquam effusus illiusque virtus. Nam hoc ipso quod vi verborum ponitur ex una parte corpus, et ex altera sanguis, mystice significatur separatio sanguinis a corpore ejusque effusio; quod quidem sufficit ad rationem sacrificii, quin exprimatur virtus exinde consequens. Cæterum in ipsa dignitate victimæ oblatæ et commemoratione sacrificii crucis implicite hæc virtus significatur; nec est ratio cur potius requirantur hæc verba : *qui pro vobis effundetur*, quam ista, *quod pro vobis tradetur*, in prima consecratione : atqui, licet hæc ultima verba fuerint a Christo prolata, hæreticum esset dicere ea requiri, cum in tota Ecclesia Latina omittantur. Ergo.

Quod autem pro calice consecrando ultima verba in Missalibus inscribantur iisdem litteris majusculis ac prima, unum probat, ea scilicet ad integritatem formæ pertinere, cujus signi-

ficationem, ratione præsertim sacrificii, penitus complent, ac proinde de necessitate præcepti exigi, non vero de necessitate sacramenti.

Hæc conclusio communius a theologis admittitur; remanet tamen solide probabilis sententia opposita, quæ pluribus videtur a S. Thoma propugnata fuisse; quod vero attinet ad eorum opinionem qui Eucharistiæ valide conficiendæ præsupponi volunt verba : *qui pridie, etc., similiter postquam cœnatum est*, a Suarezio habetur ut improbabilis; sed S. Ligorio et etiam aliis non omni probabilitate destituta videtur, nec proinde negligenda est in praxi, ut infra dicemus.

86. Quæritur 1. *Quo sensu intelligi debeant singula consecrationis* verba.

Resp. 1. Pronomina *hoc* et *hic* usurpanda sunt *substantive*, non *adjective*, ad designandam indeterminate substantiam præsentem sub speciebus; et id quidem merito : nam, cum in enuntiatione formæ significanda sit conversio panis in corpus et vini in sanguinem Christi, oportuit in subjecto ejus poni aliquid quod ad demonstrandum panem et vinum vel corpus et sanguinem Christi indifferens esset et commune utrique termino, ita ut in initio propositionis supponeretur pro termino *a quo*, et in fine per prædicatum determinaretur ad supponendum pro termino *ad quem*. Hoc autem commodius fieri non potuit quam per pronomen demonstrativum, quod veluti indefinite significat.

Resp. 2. Verbum substantivum *est* in præsenti, nec sumitur pro *significat* ut volunt hæretici, nec pro verbo *fit*, sed pro naturali connexione extremorum, designatque conversionem unius in aliud *in facto esse*, non vero *in fieri* intelligendam; cujus quidem locutionis rationem affert S. Thomas (3 q. 78, a 2), dicens ita debuisse significari conversionem, tum quia non est successiva, sed instantanea, nec prius fit quam cum facta sit; tum quia forma artis perfecta, ad quam conformatur forma sacramenti, quando præsertim cadit in rem permanentem, ut optime adnotat Suarezius, repræsentat opus quale esse debet in termino actionis, non quale est in fieri, et ideo accommodatissime significatur per modum rei jam existentis. Aliter

quidem videntur res se habere in creatione, in qua Deus imperative dicit: *fiat lux;* sed creando effective operatur Deus, dum in Eucharistia potentiam suam exerit prævia significatione formæ, quæ vere est effectiva rei significatæ; et ideo ad designandum ultimum terminum consecrationis recte adhibetur verbum substantivum indicativi modi et præsentis temporis.

Resp. 3. Verba *corpus*, *sanguis*, designant substantiam corporis aut sanguinis, id est, non materiam nudam, sed compositum ex materia et forma abstrahendo ab anima, vel forma cadaverica quam habuit corpus aut sanguis Christi triduo mortis. Ratio est quia fit directe conversio a substantia materiali in substantiam quæ retineat corporeæ organisationis speciem; et inde contingit, ut anima, quatenus dat esse animatum et humanum, nullatenus designetur, imo nonnisi late significetur quatenus dat esse corporeum. Ideo autem sanguis a corpore separatus significatur, ut perfecta sit ratio sacrificii et convivii; ipsa locutio *calix sanguinis mei*, quæ idem sonat ac *sanguis meus in hoc calice contentus*, usurpata est ad expressius significandum sanguinem ut potabilem; sanguis enim Christi in hoc sacramento apponitur, ut sit potus fidelium; hoc autem non habet ex se, et proinde non immerito designatus est in Ecclesia Latina per vas huic usui accommodatum.

Resp. 4. Vox *meum* quæ complet panis consecrationem, item et *mei* in calicis consecratione, non significant directe corpus et sanguinem, quibus determinandis apponuntur, pertinere ad personam Christi ratione unionis hypostaticæ; sed idem esse corpus sub panis speciebus, eumdemque sanguinem sub speciebus vini, quæ in ipso Christo, in cujus persona hæc verba proferuntur: in hac enim identitate consistit Eucharistiæ mysterium, ultimusque significatur consecrationis terminus; et quia adesse nequit res significata nisi miraculosa conversione, quæ a solo Deo perfici potest, minister in hoc sacramento perficiendo non habere debet alium actum, nisi prolationem verborum. Quæ quidem etiam optime significant vocabula *meum*, *mei*, quibus sacerdos in persona Christi loquens inducitur (Cf. S. Thom., 3, q. 78, art. 1).

Resp. 5. Per verba quæ in calicis consecratione subsequuntur, « designatur, inquit Doctor Angelicus (*loc. cit.*, art. 3), virtus sanguinis effusi in passione, quæ operatur in hoc sacramento » nempe : ad adipiscendam æternam hæreditatem, obtenta prius justitia gratiæ, quæ est per fidem (*Rom.*, III, 25) in sanguine Christi, nec non ad removendum impedimenta utriusque prædictorum, scilicet peccata.

Eadem de causa, in consecratione panis Christus quidem addidit verba, *quod pro vobis tradetur*, quæ in Ecclesia Græca retinentur; sed Ecclesia Latina satis esse existimavit ad passionem Christi commemorandam, virtutem sanguinis exprimi, in cujus effusione sacrificium Christi consummatum est.

87. Quæritur 2. *Quænam mutatio in forma Eucharistiæ sacramenti veritatem tollat.*

Resp. Explanata consecrationis utriusque forma, jam inferre licet :

1. *Invalidam* esse consecrationem, si dicatur : *Hic* (adverbialiter) *est corpus meum, sanguis meus.* Dixi *adverbialiter*, quia si *hic* masculine pro neutro ponatur, valet, etsi non secundum grammaticam. — Invalide etiam consecratur his verbis : *Hic panis est corpus meum, hoc vinum est sanguis meus; hoc corpus est meum, hic sanguis est meus*; — *Ecce corpus meum, ecce sanguis meus;* — *hoc fit, vel hoc sit corpus meum, hoc convertitur in corpus meum*; *hoc sit substantia mea, hoc est corpus Christi.* Revera enim mutatur sensus formæ, tum quia pronomina *hoc* et *hic* non sumuntur indefinite et substantive; tum quia prætermittitur copula conveniens instantaneæ conversioni; tum quia insufficienter exprimitur conversionis ultimus terminus; tum quia non proferuntur verba in persona Christi.

2. *Dubiam* esse consecrationem sic enuntiatam : *Illud est corpus meum, ille est sanguis meus, hoc est caro mea,* eo quod pronomen *illud, ille*, non sit demonstrativum rei præsentis; *caro* autem codistinguitur ab ossibus et nervis, quæ sunt de ratione corporis organis instructi. Quidam etiam dubium movent de forma quam refert S. Lucas (XXII, 20) : « Hic est calix » novum Testamentum in sanguine meo qui pro vobis funde-

tur; » sed immerito, ut nobis videtur; eadem enim remanet significatio sacramentalis ac in forma communiter usurpata.

Similiter controversia est de hac forma : *Hoc enim corpus meum; hic calix sanguinis mei.* Validam alii eam asserunt, licet graviter illicitam, quia, etsi subintelligatur verbum *est*, eadem est vis propositionis et idem sensus : familiare enim est Latinis, Hebræis et Syris illud verbum in enuntiatione subintelligere; nec etiam constat Christum, qui hebraice loquebatur, hoc verbo usum esse, maxime cum in græco textu non sit expressum apud Lucam (XXII, 20) referentem consecrationem calicis. — Alii et quidem communissime tenent invalidam esse consecrationem, si verbum *est* subintelligatur; nam, licet hoc verbum in oratione continua ex adjunctis quandoque subaudiatur, res aliter se habet in propositione absoluta præsertimque practica. Atqui consecrationis forma absolute profertur; nec est tantum assertoria, sed ita practica, ut sit etiam factiva rei quam enuntiat : imo rei, quæ, nedum contingat naturaliter et intelligi possit, omnino contra naturæ ordinem efficitur, rationemque transcendit. Verbum igitur substantivum subaudiri nequit. Nec interest quod S. Lucas illud omiserit in forma calicis; in hoc enim corrigendus est tum ex aliis Evangelistis, et ex B. Paulo (I *Cor.*, XX, 25) qui formæ iisdem terminis conceptæ verbum *est* inseruit; tum ex versione Vulgata, quæ textum S. Lucæ refert, præfato verbo non omisso, cuique suffragantur omnes aliæ antiquæ versiones; tum demum ex praxi Ecclesiæ, cui omnes liturgiæ in hoc consentiunt.

Quidquid autem sit de speculativa quæstione, certum est in praxi repetendam esse consecrationem, si verbum *est* fuerit omissum.

At 3. valet consecratio, quamvis sit illicita, si sacerdos dicat : *Hic cibus, hic potus, hic calix*; vel *hæc res, hoc contentum sub his speciebus est corpus meum, sanguis meus*; vel *meum corpus, meus sanguis*, vel *substantia corporis mei, substantia sanguinis mei.* Ratio est quia manet idem sensus, nec fit mutatio substantialis formæ.

88. Quæritur 3. *Quomodo proferenda sit Eucharistiæ forma?*

Resp. 1. Forma panis in panem, et forma calicis in vinum proferenda est; secus enim omnino deesset significatio ac proinde efficacia sacramentalis. Hinc si quis verba calicis in panem ex inadvertentia, nec panem certe, nec probabilius calicem consecraret propter defectum intentionis.

Resp. 2. Verba consecrationis recitanda sunt *assertive* simul et *significative*, non *historice* tantum; scilicet, etsi hæc verba incœptam narrationem continuent, non tamen per modum narrationis tantum proferenda sunt, sed etiam applicando eorum significationem sacramentalem ad materiam præsentem, panem nempe et vinum, ut in corpus et in sanguinem Christi transsubstantientur. Ratio est quia sacerdos nonnisi in persona Christi practice loquens perficit Eucharistiam, ut habet Eugenius IV in decreto ad Armenos. In praxi tamen, nulla difficultas occurrere potest; sufficit quippe, ut sacerdos id facere intendat quod Christus instituit et Ecclesia usurpat; eo ipso enim vult Christi personam gerere et verba sacramentaliter proferre.

Resp. 3. Vix ulla omissio, additio aut mutatio in verbis consecratoriis dari postest, quæ ob peculiarem reverentiam huic sacramento debitam a peccato gravi excusetur. De his mutationibus hæc habet Rubrica Missalis : « Si quis autem aliquid diminueret vel immutaret de forma consecrationis et verba idem non significarent, non conficeret sacramentum. Si vero aliquid adderet quod significationem non mutaret, conficeret quidem, sed graviter peccaret. »

Attamen gravis peccati arguendus non videtur sacerdos, qui etiam voluntarie vocem *enim* omitteret in utraque forma, quia vox illa verbis Christi ab Ecclesia addita non est hujus momenti, ut sub gravi cadat præcepto, nisi ex contemptu legislatoris omittatur; daretur tamen peccatum veniale. — Ita contra plures Suarez, S. Ligorius, Gury, etc.

Resp. 4. Forma practice adhibenda ad Eucharistiam conficiendam est pro consecratione panis : *Qui pridie quam pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, et elevatis occulis in cœlum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit, fregit, deditque discipulis*

suis dicens : accipite et manducate ex hoc omnes : HOC EST ENIM CORPUS MEUM. Et pro consecratione calicis : *Simili modo postquam cœnatum est, accipiens et hunc præclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens, benedixit, deditque discipulis suis, dicens : accipite et bibite ex eo omnes :* HIC EST ENIM CALIX SANGUINIS MEI, NOVI ET ÆTERNI TESTAMENTI (MYSTERIUM FIDEI), QUI PRO VOBIS ET PRO MULTIS EFFUNDETUR IN REMISSIONEM PECCATORUM. *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.*

Constat ex universali praxi Ecclesiæ et ex ejus præcepto in Missali Romano. Ratio autem cur verbis consecratoriis semper præmitti debeant verba *qui pridie* et *simili modo*, est — tum quia, hoc modo expressius demonstratur sacerdotem in persona Christi loqui; — tum quia ut jam dictum fuit, non prorsus negligenda videtur opinio Scoti asserentis hæc verba præmittenda esse, etsi tenuiter tantum sit probabilis, eo quod in sacramentis tutior pars eligatur necesse est. — Hæc ultima ratio a fortiori valet pro verbis *novi et æterni sacramenti*, etc.; quibus forma calicis completur.

Hinc — 1. si prolata fuerint consecrationis verba, omissis *qui pridie* vel *simili modo*, ea recitare debet sacerdos et consecrationem iterare sub conditione mentali, modo tamen ita omissa fuerint, ut sensus eorum generalis corruptus fuerit, nec jam intelligi queat sacerdotem in persona Christi locutum fuisse. In hac enim sola hypothesi valet ratio Scoti, nec nisi gratis exigeretur singula hæc verba adamussim recitari ad validam Encharistiæ confectionem. Imo si sacerdos hæc verba omissa fuisse recordaretur tantum post missam, anxius esse non deberet, quia probabilissime valide consecravit. — Curet pariter sacerdos, ne moram notabilem inter verba *manducate ex hoc omnes* vel *bibite ex eo omnes* et ipsam formam interponat, sed ea proxime conjungat, quia verba formæ cum narratione præcedenti unicum sermonem constituunt.

Hinc — 2. si in consecratione calicis prætermissa fuerint verba *novi et æterni Testamenti*, etc., repetenda est sub conditione calicis forma, nisi statim advertat sacerdos. Attamen, quia juxta communiorem et longe probabiliorem sententiam

valida fuerit consecratio, non iterum applicare tenetur sacrificium sacerdos qui hujus omissionis post missam finitam conscius est.

Hinc — 3. quoties repetenda est forma Eucharistiæ, ratione materiæ vel consecrationis dubiæ aut insufficientis, incipiendum est a verbis *qui pridie* vel *simili modo*. Ita fert expressis terminis Rubrica Missalis, et ratio patet ex modo dictis. — Non facile tamen admittenda est, juxta S. Ligorium, hujusmodi repetitio, nisi *valde probabiliter* dubitet sacerdos se aliquid omisisse, ut loquitur Rubrica (tit. 5, n. 2), his verbis: « Si celebrans non recordetur se dixisse ea quæ in consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari. Si tamen certo ei constet se omisisse aliquid eorum que sunt de necessitate sacramenti, resumat formam. Si vero valde probabiliter dubitat se aliquid essentiale omisisse, iteret formam, saltem sub tacita conditione.»

ARTICULUS III.

De conditionibus requisitis ut Eucharistiæ materia formæ subjiciatur.

Quæstio moveri potest tum de præsentia, tum de determinatione, tum de unione utriusque materiæ. Quid vero tenendum sit, declarabunt sequentes assertiones, ex quibus nonnulla consectaria deducere fas erit.

89. Assertio 1ª: *Eucharistiæ materia sacerdoti consecranti ita sensibiliter et moraliter præsens sit necesse est, ut vera sint pronomina demonstrativa formæ.*

Ratio evidens est; secus enim non daretur sacramentum, nec etiam sacrificium, quod supponit victimam præsentem.

Ut autem habeatur præsentia illa sensibilis simul et moralis, quam exigunt pronomina demonstrativa *hoc* et *hic*, non requiritur ut materia videatur, vel tangatur, sed satis est — 1. si sensu perceptibilis sit, sive in se, sive in alio, v. g., in toto seu cumulo cujus est pars, vel in continente aut vase ad illam recipiendam destinato; — 2. si loco ita sit propinqua taliterque exposita, ut secundum morem et usum hominum, judicio pru-

dentis viri, præfata pronomina eam designare intelligantur. Equidem illa propinquitas non est stricte determinabilis; alii siquidem viginti passus, alii triginta, alii quadraginta assignant; sed tamen apparet dari distantiam intra quam omnes admittunt consecrationem esse validam, et ultra quam dubia reputanda est.

Hinc I. Quod attinet *ad materiam panis*, — 1. *valida* est consecratio panum qui sub aliis latent, vel qui in pixide super corporale reponuntur, quamvis sacerdos eam non aperuerit, nec in oblatione, nec in consecratione. Valida est pariter panum consecratio a sacerdote cæco facta, quamvis illos non tangat. — 2. *Invalida* est consecratio hostiarum quæ in tabernaculo includuntur, vel post altare reponuntur, vel longe distant, v. g., centum passibus. Item invalida est consecratio particularum, quæ sensibus percipi nequeunt et a toto separantur. — 3. *Dubia* est consecratio, si panis sit sub mappa, sub corporali, quod se per modum potius separantis quam tegentis habet.

Hinc II. Quoad *materiam vini*, non requiritur ad validam consecrationem ut videatur vinum, et ideo valide consecraretur etiamsi calix non discooperiretur. — Notandum est cum pluribus non requiri, imo non probari, praxim illorum sacerdotum qui ita os admovent ut halitum in vinum vel panem inspirent: parum conveniens videtur illa praxis erga SS. Eucharistiam.

90. Assertio 2ª: *Consecranda materia debet esse in individuo ita determinata per sacerdotis intentionem, ut a communi separari possit.*

Ratio desumitur tum ex indole pronominum *hoc* et *hic*, quæ sicut materiam præsentem, ita in individuo determinatam requirunt; — tum ex necessitate intentionis ministri, quæ non datur nisi habeat objectum determinatum; — tum ex eo quod actio quælibet, præsertim vero omnino particularis et practica, circa singularia et determinata versatur; — tum demum ex eo quod hostiam semel consecratam cum particula communi confundi nefas est.

Non tamen requiritur, ut fiat hæc determinatio, intentio

ministri actualis, sed sufficit virtualis, quæ præcessit et perseverat, ut diximus ubi de ministro sacramentorum. Imo, juxta plures, sacerdos Eucharistiam conficere intendens, implicite renovat intentionem semel pro semper habitam, eo fine ut pro casu dubio materiam determinaret; si vero nihil ipse determinaverit, secundum Ecclesiæ intentionem semper agere merito censendus est; quæ si dubia sit, consecratio et ipsa dubia erit.

Hinc — 1. *Invalida* esset consecratio, si sacerdos simpliciter dixisset, nihil addendo : volo consecrare tertiam partem harum hostiarum, vel decem ex illis. — Nec etiam defectu intentionis, quæ nonnisi illicite haberetur, reputandæ sunt consecratæ guttæ calicis cuppæ exterius adhærentes.

Hinc — 2. *Valida* esset consecratio, si dixisset sacerdos : volo consecrare tertiam, quintam aut sextam hostiam; quia his et similibus, illicite quidem, sed vere determinatur materia consecranda. *Valida* pariter est consecratio undecim, v. g., hostiarum, quamvis sacerdos ex errore credat esse tantum decem hostias. Ratio est quia intentio illius principalis est consecratio hostiarum præsentium, quas ex errore judicat esse numero decem.

Hinc — 3. *Dubia* est consecratio guttarum vini quæ intra cuppam calicis existunt, quia ex una parte sacerdotis intentio non debet esse diversa ab Ecclesiæ intentione; ex altera autem parte non constat an Ecclesia velit nolitve hujusmodi consecrationem. In praxi, ante consecrationem debent abstergi sedulo, sed sine scrupulo; post consecrationem nil agendum est, sed sumendæ sunt sicut guttæ consecratæ. Dubia est quoque, imo probabilius invalida consecratio ciborii ex oblivione extra corporale relicti, quia hæc consecratio illicita est ex prohibitione Ecclesiæ, nec ideo sacerdos præsumendus est illam voluisse. — Idem dicendum, juxta Benedictum XIV, de hostiis extra lapidem consecratum casu positis, nec ad cumulum pertinentibus. Imo vix dubitari posset de invaliditate consecrationis, si hostiæ etiam convenienter, sed inscio sacerdote apponerentur.

In dubio an aliquæ hostiæ sint consecratæ, non licet eas fidelibus dare, nec etiam moribundo alias sine viatico mo-

rituro, tum ob adorationem quæ illis exhiberetur, tum ob verba quibus communio vel viaticum fidelibus datur. — Hæc hostiæ possunt vel a sacerdote sumi post sanguinis sumptionem, ut volunt multi; vel religiose asservari, ut dicunt alii, et crastina die super altare reponi, sacerdote missam simpliciter dicente, cum intentione illas omnes hostias consecrandi quæ consecratione indigent; qua agendi ratione omnes hostiæ certo erunt consecratæ.

Nec objiciatur insufficientem videri materiæ determinationem, cum nesciat sacerdos quas hostias vere consecret. — Resp. : Non valet ista ratio, — tum quia, in Nativitate Domini, in secunda et tertia Missa eadem est ignorantia; sunt enim particulæ sanguinis quæ in calice remanserunt, et quas a particulis vini sacerdos secernere nequit; — tum quia nullus unquam requisivit, ut sacerdos certe sciat numerum consecrandarum hostiarum; — tum quia, peracta consecratione, nullum superest dubium, omnesque sciunt nullam esse hostiam quæ consecrata non fuerit.

91. Assertio 3ª : *Necessaria est utriusque materiæ consecratio ex præcepto divino, non vero de necessitate sacramenti.*

Probatur prima pars, nempe, *necessariam esse utriusque materiæ consecrationem ex præcepto divino,*

1. *Scrip. S.* (*Luc.*, xxiii, 19) : « Hoc facite in meam commemorationem; » quæ verba, juxta Apostolum (I *Cor.*, ii, 24), post consecratum calicem rursus edidit Christus; ex quibus colligit Ecclesia a Christo Apostolis datum fuisse mandatum utriusque speciei simul consecrandæ.

2. *Conc. Trid.* quod (sess. 22, cap. 1), ait : « (Christus Dominus) corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit; ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis... ut sumerent, tradidit; et eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba : Hoc facite in meam commemorationem; uti semper catholicà Ecclesia intellexit et docuit. »

3. *Rat. th.* Christus instituit consecrationem corporis et sanguinis sui per modum sacrificii incruenti : porro sacrificium incruentum non est completum, si corpus et sanguis mystice

non separentur vi verborum, ac proinde si non detur utriusque speciei consecratio. — Tale est autem illud præceptum, ut doceant auctores Ecclesiam ab eo dispensare non posse; et revera omnes dispensationes quæ super eo datæ dicuntur a SS. Pontificibus, ut apocryphæ habentur.

PROBATUR SECUNDA PARS, nempe, *utriusque speciei consecrationem non esse necessariam necessitate sacramenti, id est, validam esse unius speciei consecrationem seorsim ab alia.*

1. Res ab omnibus agnoscitur quando, tempore consecrationis prioris speciei, sacerdos alteram speciem consecrare intendebat; nam Ecclesia, ante calicis consecrationem, semper adoravit Christum præsentem sub specie panis, consecratione illius peracta.

2. Multi docent validam esse consecrationem unius speciei, etiamsi, illam consecrando, alteram speciem consecrare non intendat sacerdos; nam, juxta Ecclesiæ doctrinam, sacramenta tribus perficiuntur, scilicet : materia, forma et ministro cum intentione faciendi quod facit Ecclesia : porro hæc tria reperiuntur in prædicto casu; ergo. Ita communius auctores.

Aliter tamen sentit de Lugo cum aliis pluribus, ob sequentem rationem quam gravem judicat S. Ligorius; ratio sacramenti, inquit de Lugo (disp. 19, n. 103), dividi nequit a ratione sacrificii; sacerdos enim non accepit potestatem conficiendi hoc sacramentum, nisi sacrificando, ut patet ex forma ordinationis : « Accipe potestatem offerre sacrificium tam pro vivis quam pro defunctis. » Unde cum ad essentiam sacrificii, saltem juxta communem sententiam, pertineat consecratio utriusque speciei, sequitur eum qui utramque non intendit consecrare speciem, non intendere sacrificium offerre, nec proinde velle, saltem implicite, consecrare; unde in illo ministro deest intentio faciendi quod facit Ecclesia.

Ex his *colliges* — 1. nullo in casu posse sacerdotem unius tantum speciei consecrationem intendere, etiam ne ægrotus viatico careat. — 2. Sacerdotem sedulo intendere debere studio rubricarum de defectibus, ne unica tantum consecretur species.

CAPUT III.

DE EFFECTIBUS SACRAMENTI EUCHARISTIÆ.

92. Recensentur eucharistiæ effectus. Singularem hujus sacramenti efficaciam ipse Christus describit his verbis (*Joan.*, VI, 55-57) : « Qui manducat meam carnem et bibit meum » sanginem, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in » novissimo die. Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere » est potus. Qui manducat meam carnem et bibit meum san- » guinem, in me manet et ego in eo. » Concilium vero Florentinum in decreto ad Armenos hæc habet : « Omnem effectum quem materialis cibus et potus quoad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando et delectando, sacramentum hoc quoad vitam operatur supernaturalem. » Ex his jam colligi potest sanctissimum Eucharistiæ sacramentum mirabiles effectus producere tum in animam cujus vitam supernaturalem auget ac conservat, viresque per peccatum deperditas reficit; tum in corpus, quod per intimam sui unionem cum corpore Christi in pristinam integritatem aliquatenus restaurari merito dixerimus. Sed fusius explicandi sunt hi effectus; quod ut debito cum ordine præstemus, seorsim expendere juvat : — 1° an et quomodo SS. Eucharistia vitam supernaturalem in nobis augeat et conservet; — 2° an et quatenus peccata remittere valeat; — 3° an et qua ratione vim suam ad ipsa suscipientium corpora protendat.

§ I. An et quomodo SS. Eucharistia vitam supernaturalem in nobis augeat et conservet?

93. Certum est ac de fide tenendum vitam supernaturalem ab Eucharistia perfici, seu, aliis verbis, in eis qui ad hoc sacramentum digne accedunt, gratiam sanctificantem, virtutes infusas et dona Spiritus sancti augeri. Illud satis constat ex dictis in Tractatu *de Sacramentis in genere*, ubi probatum fuit omnia novæ

Legis sacramenta gratiam sanctificantem obicem non ponentibus *ex opere operato* conferre. Cum autem omnia sacramenta vivorum, dum gratiæ sanctificantis augmentum conferunt, vitam supernaturalem in nobis augeant, hic tantum inquirendum habemus quanam ratione peculiari id sibi vindicet sanctissimum sacramentum. Sint itaque sequentes assertiones :

94. Assertio 1ª : *Modus peculiaris, quo a SS. Eucharistia vita supernaturalis augetur, in hoc potissimum continetur, quod fideles digne communicantes cum Christo et inter se per caritatem uniat.*

Enuntiata assertio duo includit, nimirum *per Eucharistiam fideles uniri* 1° *cum Christo;* 2° *inter se.* Jam vero

PRIMUM CONSTAT — 1. *ipsis verbis Christi* dicentis (*Joan.*, VI, 57) : « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, *in* » *me manet et ego in eo*, » id est, intime mihi unitur, et quidem ita ut non me mutet in se, sed in me mutetur. Hæc autem unio, de qua loquitur Christus, non physica, sed moralis, non corporalis, sed spiritualis est, qua videlicet ipsa anima per affectus intime Christo conjungitur.

2. *Testimoniis SS. Patrum*, qui hanc fidelium cum Christo unionem præclaris encomiis extollunt egregiisque comparationibus illustrant. Sic S. Cyrillus Alex. (l. 4 *in Joan.*, cap. 17), vulgatam sed pulcherrimam similitudinem adducens, scribit : « Sicut si quis ceræ liquefactæ aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commisceat necesse est, sic qui carnem et sanguinem Domini recipit, *cum ipso ita conjungitur*, ut *Christus in ipso* et *ipse in Christo inveniatur.* » S. Leo Magnus (*Serm.* 63, *de pass. Dom.* 12, c. 7), hæc etiam habet : « Non enim aliud agit participatio corporis et sanguinis Christi, quam ut *in id, quod sumimus, transeamus.* »

His SS. Patrum testimoniis consonat concilium Florentinum de Eucharistia dicens : « Hujus sacramenti effectus, quem in anima operatur digne sumentis, est *adunatio hominis ad Christum.* »

3. *Ratione theologica.* Nam in hoc sacramento non per elementum quod nobis applicetur, Christus nos sanctificat, sed ipse per se sub symbolis sacramentalibus ad nos venit, ipse

nobis se conjungit, et nobiscum veluti commiscet : porro hæc unio sacramentalis ad id natura sua tendere debet, ut illam cum Christo efficiat unitatem, qua ipse in nobis maneat et nos in ipso maneamus. Ergo. — Et vero Christus sacramentum Eucharistiæ ad modum cibi et potus instituit, ut in effectibus alimoniæ corporalis adumbratos intelligeremus mirabiles hujus spiritualis alimoniæ in animam effectus : atqui proprium est alimenti quod in substantiam ejus qui alitur per nutritionem convertatur et unum fiat cum illo. Ergo is esse debet effectus cibi eucharistici, ut per caritatem nos cum Christo velut in unum coagmentet.

_SECUNDA PARS ASSERTIONIS, videlicet *per Eucharistiam fideles inter se uniri*, pariter constat

1. *Scriptura sacra.* Christus enim id non obscure innuit, dum Apostolos in ultima Cœna alloquens, dilectionem proximi speciatim commendavit. Unde Apostolus caritatem fidelibus et ipse maximopere commendans, ad Eucharistiam appellabat dicens (I *Cor.*, x, 17) : « Quoniam unus panis, unum corpus » multi sumus, omnes qui de uno pane participamus. »

2. *Auctoritate concilii Tridentini* (sess. 13) dicentis : « Eucharistiam Salvator noster in Ecclesia sua tanquam symbolum reliquit *ejus unitatis et caritatis, qua Christianos omnes inter se conjunctos et copulatos esse voluit.* » Et (cap. 2 ejusdem sess.) item declarat Christum voluisse, ut Eucharistia sit « symbolum *unius illius corporis*, cujus ipse caput existit, cuique nos *tanquam membra arctissima* fidei, spei et caritatis connexione *adstrictos esse* voluit, ut idipsum omnes diceremus nec essent in nobis schismata. »

3. *Doctrina SS. Patrum.* Ait quippe S. Chrysostomus (Hom. 24, *in* I *Cor.*, n. 2) : « Sicut panis ex multis granis constans unitus est, ita ut grana nusquam appareant, sed sint quidem, non manifesta autem sit illorum differentia propter conjunctionem, *sic nos et mutuo et cum Christo conjungimur.* Non enim ex altero corpore hic, ex altero ille, sed ex eodem ipso omnes... Si autem ex eodem, et idipsum efficimur omnes, cur non *eamdem caritatem exhibemus, et ea ratione unum efficimur?* » Non aliter sentit S. Augustinus qui (tract. 26, in

Joan., n. 13), postquam dixisset quod fideles per sacram communionem fiant corpus Christi, exclamat : « O sacramentum pietatis, *o signum unitatis, o vinculum caritatis!* »

4. *Ratione theologica.* Eucharistia enim apponitur in Ecclesia ad modum convivii ; porro qui de una mensa participant, jucundissimo nexu inter se uniri solent, nec quidquam convivis convenientius magisque necessarium excogitari potest quam caritas, pax et animorum concordia. — Præterea materia ex qua conficitur Eucharistia non obscure insinuat, ut jam dictum fuit, vinculum amoris quo Christi fideles vinciri debent. — Demum Eucharistia nos cum Christo intime conjungere nequit, nisi membris corporis ejus mystici pariter nos arctissime uniat. Ergo.

Ex his statim concludere fas est quid in hoc primario et principali Eucharistiæ effectu huic sacramento vere proprium et peculiare sit. « Cætera sacramenta vivorum, inquit Suarez (in 3. S. Thomæ, disp. 63, sect. 1, n. 3), non ordinantur per se primo et directe ad nutriendam caritatem propter solam majorem perfectionem ejus, majoremque unionem cum Christo ; sed ordinantur ad speciales effectus, propter quos conferunt specialia auxilia et aliquod augmentum gratiæ. At vero hoc sacramentum per se primo ordinatur ad perficiendam unionem cum Christo et cum corpore ejus. »

95. Assertio 2ª : *Eucharistia est de se efficax ad excitandum animi devotionem et caritatis fervorem, cum speciali spiritus suavitate ac dulcedine.*

Prob. 1. *Scriptura sacra*, nempe — tum ex his quæ de manna effectibus variis in locis leguntur, quia constat manna fuisse unam ex potissimis figuris hujus sacramenti ; — tum præsertim ex ipsa Christi promissione (*Joan.*, VI, 56) : « Caro mea » vere est cibus et sanguis meus vere est potus ; » ex qua colligit concilium Florentinum hunc cibum spiritualiter conferre eos effectus quos corporalis cibus materialiter confert, quorum unus est *oblectare viventem et vires confortare.*

Prob. 2. *Traditione.* Nam SS. Patres haud raro hunc effectum commemorant. Pro omnibus audiatur S. Ambrosius (lib. *de Myst.*, cap. 8), dicens « hoc sacramentum *inebriare*

affectus fidelium, ut curam sæculi hujus, metum mortis sollicitudinemque deponant; » et in alio loco : « *Cor nostrum* esca ista *confirmat*, et potus iste *lætificat cor hominis*. — Idem docet Clemens V cum concilio Viennensi : « In hoc sacramento, inquit, habetur *omne delectamentum et omnis saporis suavitas, ipsaque dulcedo Domini degustatur*. » — Accedit auctoritas D. Thomæ (3 p. q. 79, art. 1, ad 2), dicentis : « Per hoc sacramentum, quantum est ex sui virtute, non solum habitus gratiæ et virtutis confertur, sed etiam excitatur in actum, secundum illud (II *Corinth.*, v, 14) : « Caritas Christi urget nos. » Et inde est quod ex virtute hujus sacramenti anima *spiritualiter reficitur* per hoc quod anima *spiritualiter delectatur* et *quodam modo inebriatur dulcedine bonitatis divinæ*, secundum illud Cant. (v, 1) : « Comedite, amici, et bibite, et *inebriamini*, « *carissimi*. » — Tandem Ecclesia ipsa decantat : « Panem de cœlo præstitisti eis *omne delectamentum* in se habentem. »

Prob. 3. *Ratione theologica.* Eucharistia enim ordinata est, ex antea dictis, ad nutriendam et fovendam amicitiam : porro illud potissimum fit ferventioribus amoris ac devotionis affectibus. Ergo. — Præterea Christus in hoc sacramento, ut dicit Tridentinum, divitias amoris sui erga homines veluti effudit : ergo etiam debet in eo existens eosdem homines ad sui amorem vicissim et peculiari modo excitare. — Tandem delectatio natura sua consequitur perceptionem et amorem rei præsentis amatæ. Ergo.

Hic tamen notandum est hujusmodi effectum, etsi ex parte sacramenti sit infallibilis, non raro tamen ex parte subjecti impediri, sive quia homo, temporalibus curis occupatus, ad præsentiam Christi attendere non potest, quantum opus esset ad prædictam delectationem experiendam; nec proinde cooperari auxiliis quibus excitatur ad eliciendos vividos fidei, spei et caritatis actus, ex quibus oritur dulcedo illa; — vel quia rerum temporalium affectu præpeditus et quasi humore diverso præoccupatus, animæ palatus cœlestem cibum non sapit; — vel etiam quia corpus, adversa valetudine gravatum aut vehementi aliquo dolore affectum, virtutem animæ debilitat ad sentiendam dulcedinem et delectationem spiritualem.

Unde non est cur conscientiæ timoratæ et qui moralem diligentiam adhibent, ut digne accedant ad hoc sacramentum, contristentur aut nimium timeant, si fortasse, dum communicant, nec fervorem illum caritatis, nec dulcedinem ac suavitatem illam sentiant, quam diximus esse effectum hujus sacramenti; possunt enim non recipere hunc effectum quia forsan tunc illis non expedit, præsertim quatenus interdum redundat in inferiorem appetitum, aut etiam quia, licet sine peccato gravi, negligenter tamen et naturaliter distracti accedunt. Imo non raro accidit ut viri piissimi, Deo rem ita disponente ad virtutis exercitium, dulcedinem hanc sibi deesse existiment, eo quod occulte menti infunditur, nec sensibus percipi potest.

Itaque ejus præsentia præsertim ex effectibus dignoscenda est, juxta effatum S. Augustini : « Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est. »

96. Assertio 3ª : *Sacramentum Eucharistiæ confert etiam ex opere operato actuale Dei auxilium ad peccata vitanda, superandas tentationes et virtutes exercendas.*

Prob. 1. *Scriptura Sacra.* Nam (*Joan.*, VI, 49 et seq.) hæc leguntur : « *Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.* Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* » Porro his verbis luculenter declaratur homines per Eucharistiam a peccatis præservari, atque ideo contra carnis, mundi et dæmonis tentationes præmuniri, ita ut virtutes exercere valeant. Ergo. — Ad hoc etiam propositum accommodari solet illud Psalmi XXI (℣. 6) : « Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me. »

Prob. 2. *Concilio Tridentino*, quod (sess. 13, cap. 2) dicit : « Salvator noster... sumi voluit sacramentum hoc tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vita illius, qui dixit : Qui manducat me, et ipse vivet propter me; et tanquam antidotum quo... a peccatis mortalibus præservamur. » Item (cap. 8) fideles exhortatur « ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint, et is vere eis sit animæ vita, et perpetua sanitas mentis, cujus vi-

gore confortati, ex hujus miseræ peregrinationis itinere ad cœlestem patriam pervenire valeant. » Quod autem hic effectus non fiat nisi per auxilia actualia, omnino perspicuum est.

Prob. 3. *SS. Patribus.* S. Ignatius martyr (*Epist. ad Eph.*, n. 20) Eucharistiam appellat « *pharmacum immortalitatis et antidotum ne moriamur*, sed semper vivamus in Jesu Christo. » S. Cyprianus (epist. 54), ad Cornelium scribit : « Idoneus esse non potest ad martyrium qui ab Ecclesia non armatur ad prælium, et mens deficit, quam non recepta Eucharistia *erigit et accendit.* Sed audiatur præ cæteris S. Joannes Chrysostomus (hom. 46, *in Joan.*, n. 3 et 4) : « Ab illa ergo mensa recedamus *tamquam leones ignem spirantes, diabolo terribiles*... Hic sanguis *salus animarum* nostrarum est; hoc abluitur anima, hoc ornatur, hoc *incenditur*... Ex hac mensa fons scaturit, fluvios emittens spirituales... Si quis æstuat, hunc adeat fontem et ardorem temperet. » Hæc et similia testimonia omnino aperta sunt, nec aliter intelligi queunt nisi de gratiis actualibus in sacra communione acceptis, quarum ope idonei efficimur ad tentationes superandas virtutesque exercendas.

Prob. 4. *Ratione.* Eucharistia, secundum doctrinam D. Thomæ, (3 p. q. 79, art. 6), considerari potest sub duplici ratione, prout scilicet hominem per caritatem Deo conjungit et Christi passionem significat : porro utroque modo nos a peccato præservat; nam per hoc quod Christo conjungit per gratiam, animam roborat contra interiora corruptiva, juxta illud S. Augustini : « Augmentum caritatis est diminutio cupiditatis » ; in quantum vero signum est passionis Christi per quam victi sunt dæmones, omnem dæmonum impugnationem repellit. Ergo.

Merito igitur Eucharistia nominatur *panis fortium*, quin tamen exinde concludere fas sit eos qui hoc sacramentum digne suscipiunt, impeccabiles evadere. Ratio est, inquit Angelicus Doctor (*loc. cit.*, ad 1), quia « effectus hujus sacramenti recipitur in homine *secundum hominis conditionem*... Sed homo in statu viæ est hujus conditionis, quod liberum ejus arbitrium potest flecti in bonum et malum. Unde licet hoc sacramentum, quantum est de se, habeat virtutem præserva-

tivam a peccato, non tamen aufert homini possibilitatem peccandi. »

97. Corollarium. Ex hucusque dictis jam inferre licet gratiam sacramentalem Eucharistiæ sacramenti nihil aliud esse, ut jam monuimus in Tractatu *de Sacr.*, *in genere* (n. 52), nisi gratiam habitualem, cum vigore et ordine ad auxilia pro anima spiritualiter nutrienda et specialiter Deo unienda per ferventiores actus virtutum. Verum enim vero proprius singulorum sacramentorum effectus ex natura uniuscujusque dignoscitur; id enim quod significant singula operantur : atqui Eucharistia, cum sit instituta per modum cibi et potus, vitæ supernaturalis refectionem apprime significat. Ergo illam producit, videlicet, gratiam sanctificantem per intimiorem cum Christo unionem in homine adauget, virtutes ejus perficit, eumque, mediantibus auxiliis actualibus, vegetiorem et fortiorem ad opera vitæ divinæ exercenda efficit.

Notandum vero est peccata venialia, præsertim si sint deliberata ac frequenter repetita, etsi hujusce effectus consecutionem non totaliter impediant, obstare tamen perfectæ illi nutritioni quæ per spiritualem dulcedinem caritatisque fervorem completur (Cf. Tract. de *Sacramentis in genere*, n. 117.)

98. Quæritur 1. *Quandonam Eucharistia gratiam causet.*

Resp. Eucharistia gratiam causat in instanti extrinseco manducationis, in quo verum est dicere : jam manducatio facta est. Eucharistia enim, sicut et cætera sacramenta, gratiam producit dum applicatur; porro applicatur per manducationem, cum instituta sit ut cibus. Ergo.

Si vero petatur quandonam manducatio censeatur completa, dicere fas est eam completam censeri, non quando cibus masticatur in ore, sed quando trajicitur per guttur, et stomachum attingit. Ratio est quia cibus non nutrit, nisi sit in stomacho (Vide etiam quæ dicta sunt in eodem Tractatu, n. 70).

Disputant autem theologi utrum hoc sacramentum causet gratiam *ex opere operato*, non solum quando actu manducatur, seu quando completur manducatio, sed etiam toto tempore quo species manent in stomacho, si, dum Christus præsens est,

homo sese magis ac magis disponat (Cf. Suarez, in 3 p., disp. 62, sect. 7).

99. Quæritur 2. *Utrum major gratia conferatur communicanti sub utraque specie quam sub una.*

Resp. Nullam gratiam ad salutem necessariam conferri communicanti sub utraque specie, quæ communicanti sub una non conferatur, definivit concilium Trid. (sess. 21, cap. 3) dicens : « Fatendum est, etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi ; ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem defraudari, qui unam speciem solam accipiunt. » Quæstio ergo est tantum an non conferatur major gratia, licet non necessaria ad salutem.

Quidam cum Vasquezio docent hanc gratiam esse majorem, quia Christus bis sumitur. Sed juxta communissimam doctrinam, qui sub duplici specie communicat majorem gratiam *regulariter* non accipit ; nam illa major gratia conferri nequit — 1. *ratione specierum* ; cum species ex se vim causandi gratiam non habeant. Neque — 2. *ratione significationis* : quælibet enim species totum Christum concomitanter significat : porro in sanctissima Eucharistia tota gratia a Christo provenit, effectusque sacramentalis minime attenditur secundum modum significandi. Neque — 3. *ratione rei contentæ*, siquidem non dividitur Christus, sed totus est sub utraque specie. Nec dicatur Christum bis recipi, quando sumuntur duæ species ; quia moraliter unica est Christi receptio, cum illud fiat in ordine ad unicam refectionem — Dixi *regulariter*, seu per se loquendo ; quia si in sumptione secundæ speciei augeretur fervor caritatis, tunc per accidens et ob illud caritatis augmentum, major obtineretur gratia.

100. Quæritur 3. *Utrum sanctissimæ Eucharistiæ sumptio aliis quam sumentibus prosit.*

Resp. SS. Eucharistia, quatenus est sacramentum, non prodest *ex opere operato* aliis quam sumentibus, quia accipitur ut cibus ; cibus autem ex se non prodest nisi sumenti. Potest tamen SS. Eucharistia aliis vivis et defunctis prodesse *ex opere operantis* ; — sive quia est opus bonum et præstantissi-

mum, quod per meritorum communicationem potest esse utile aliis, tam vivis quam defunctis. Insuper plures actus boni et laboriosi communionem comitantur, actus scilicet contritionis, confessionis et plurium virtutum; — sive quia cum per susceptionem SS. Eucharistiæ augeatur gratia et incendatur caritas, preces communionem concomitantes et subsequentes sunt ferventiores et efficaciores ad impetranda postulata pro se et pro aliis. Merito itaque S. Congregatio Concilii auctoritate Apostolica damnavit librum Theophili Reynaud, in quo communio pro defunctis impugnabatur.

§ II. An et quatenus Eucharistia peccata remittere valeat?

101. Status quæstionis. Peccati nomine tria venire possunt, nempe peccata mortalia, peccata venialia et pœnæ peccatis debitæ. Porro — 1. circa peccata mortalia, Ecclesia docet contra Lutheranos Eucharistiam per se et ex primaria institutione nullatenus ea dimittere; — 2. quod vero attinet ad peccata venialia, communiter docent theologi hoc sacramento directe et ex propria virtute illa deleri; — 3. quoad pœnas peccatis debitas, communis sententia pariter tenet SS. Eucharistiam, prout est sacramentum, non quidem directe et vi sacramenti, sed tamen ex consequenti et ex quadam concomitantia, has remittere; sed de his fusius agendum est. Itaque

102. Assertio 1ª : *Eucharistia per se et ex primaria institutione peccata mortalia non dimittit.*

Prob. 1. *Scriptura Sacra.* B. Paulus (I *Cor.*, xi, 27), postquam Eucharistiæ institutionem narraverit, hæc addit : « Itaque qui» cumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Do» mini *indigne*, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet » autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bi» bat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi man» ducat et bibit. » Unde sic ; juxta Apostolum, qui *indigne*, id est, in statu peccati mortalis, Eucharistiam sumit, obnoxius evadit pœnæ quam meretur is qui corpus et sanguinem Domini violaverit et crucifigendum tradiderit; ac proinde, ne tanti criminis reus fiat, debet homo, antequam ad sacram mensam accedat, seipsum probare, seu conscientiam suam ab omni

nquinamento peccati saltem gravis diligenter emundare. Ergo, non ad remissionem peccatorum mortalium Eucharistia sumitur, sed post peccatorum remissionem acceptam.

Prob. 2. *Traditione* SS. Patres unanimi ore in eadem doctrina consentiunt. Pro omnibus audiatur S. Ambrosius, qui (lib. 6, *in Luc.*, c. 9, n. 71) ita se habet : « Nemo cibum accipit Christi *nisi fuerit antea sanctus*, et illi qui vocantur ad cœnam, *prius vocando sanentur*... Ubique igitur mysterii ordo servatur, ut prius per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, postea alimonia mensæ cœlestis exuberet. »

Accedit auctoritas *concilii Trid.*, quod, postquam (sess. 13, c. 5) anathemate percusserit eum qui dixerit, « præcipuum fructum sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum », vel etiam (can. 11 ejusdem sess.) « solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimum Eucharistiæ sacramentum », sequentem addit declarationem : « Et ne tantum sacramentum indigne, atque adeo in mortem et condemnationem sumatur, statuit et declarat ipsa sancta Synodus illis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessarii, necessario præmittendam esse confessionem sacramentalem. »

Prob. 3. *Ratione*. Eucharistia, ut jam dictum fuit, ad modum cibi et potus, ut esset spiritualis animarum nostrarum alimonia, instituta est : porro cibus et potus non dantur mortuis sed viventibus, et natura sua ordinantur ad vitam conservandam et augendam, non vero ad eam, si amissa fuerit, recuperandam. Ergo Eucharistia ex primaria sua institutione *directe* et *per se* non ordinatur ad peccatum mortale remittendum, per quod homo vitam supernaturalem amittit.

An autem *indirecte* et *per accidens* hoc sacramentum primam gratiam peccati mortalis remissivam producat, controvertitur inter theologos. Confer quæ hac de re diximus in Tractatu de Sacramentis in genere n. 51.

103. Assertio 2ª : *Eucharistia peccata venialia remittit.*

Constat 1. *Testimoniis SS. Patrum*, qui Eucharistiam appellant *cœlestem et quotidianam animæ nostræ medicinam*, *reme-*

dium quo omnis morbus spiritualiter extinguitur. Ita S. Ambrosius (lib. *de Sacram.*, c. 4, n. 25), S. Chrysostomus (hom. 4, *in Matth.*, 2, a. 9), S. Augustinus (Epist. 54, *ad Janua.*, n. 4).

Constat 2. *Auctoritate concilii Tridentini* declarantis Christum Eucharistiam instituisse « ut esset antidotum quo liberamur *a culpis quotidianis.* » Suffragatur Catechismus Rom. ejusdem concilii jussu editus, qui (pars 2, *de Euch.*, n. 53) ait : « Quidquid caloris ardore anima amisit, dum levi aliqua in re parum offendit, totum id Eucharistia, *eas ipsas minores culpas abstergens*, restituit. »

Constat 3. *Ratione.* Nam Eucharistia duplici modo operatur, nempe : 1° *immediate, directe et ex opere operato*, quatenus est cibus animæ. Sicut autem cibus corporalis restaurat vires, quæ quotidie deperduntur per actionem coloris naturalis, ita cibus eucharisticus restaurat vires spirituales, quæ quotidie deperduntur per calorem concupiscentiæ. — 2° *Mediate, indirecte* et *ex opere operantis*, quatenus auget caritatem, non tantum quoad habitum, sed etiam quoad actum et fervorem, qui cum repugnet peccato veniali, illud tollit (Cf. S. Thomas, 3, q. 79, art. 4).

Ad hunc autem effectum obtinendum, duo requiruntur ex parte suscipientis, nempe 1° ut obicem non ponat affectum ad venialia retinendo; et 2° ut aliquam attritionem explicitam aut implicitam habeat. Ratio est quia hujusmodi remissio venialum non fit, nisi dependenter a libera arbitrii nostri cooperatione. Unde, ut observat Collet, si quis de tribus tantum dolet, trium veniam obtinebit, non autem eorum quibus adhærere perseverat.

104. Assertio 3ª : *Eucharistia, etiam prout est sacramentum, pœnas temporales peccatis debitas non quidem directe, sed indirecte et ex consequenti, remittit.*

Primum, scilicet *Eucharistiam non directe remittere pœnas temporales peccatis debitas*, exinde patet, quod illud sacramentum institutum fuit non ad satisfaciendum, sed ad nutriendum et uniendum cum Christio.

Secundum vero, nimirum *per Eucharistiam easdem pœnas indirecte remitti*, constat

1. *Doctrina SS. Patrum*; nam S. Ambrosius (Exp. *in Psal.* CXVIII, n. 48) inquit : « Itaque paratus adsiste, ut corpus edas Domini Jesu, in quo *remissio peccatorum est*, postulatio divinæ reconciliationis et protectionis æternæ. » S. Joannes Damascenus (lib. 4 *de Fide*, c. 15) : « Fit igitur iis qui fide digni assumunt, *in remissionem peccatorum*... Comburit peccata nostra, curat morbos et *omnimoda damna*. » His verbis generalibus ipsas peccati pœnas includi merito asseritur.

2. *Ratione*. Eucharistia, ut jam dictum fuit, auget et inflammat caritatem : porro « ex fervore caritatis, ait S. Thomas (q. 79, art. 5), aliquis consequitur remissionem non solum culpæ, sed etiam pœnæ. » Ergo Eucharistia, si non directe, saltem consequenter et per concomitantiam ad principalem effectum, remissionem pœnæ operatur.

Non tamen tota pœna peccato debita per Eucharistiam remittitur; sed, juxta D. Thomam (*loc. cit.*), « homo per hoc sacramentum remissionem pœnæ consequitur, » secundum modum suæ devotionis et fervoris.

De vi satisfactoria Eucharistiæ, prout est sacrificium, infra dicemus.

§ III. An et qua ratione efficacia sanctissimi Eucharistiæ sacramenti ad ipsa suscipientium corpora protendatur?

Circa corporales Eucharistiæ effectus tria inquiri possunt, videlicet — 1° utrum ex digna hujus sacramenti susceptione peculiaris oriatur habitudo inter corpus Christi et corpus suscipientis; — 2° an idem sacramentum sit de se efficax ad moderandum peccati fomitem, aliosve effectus in appetitu sensitivo excitandos; — 3. utrum et quatenus futura corporis resurrectio specialis sit Eucharistiæ effectus. Quid de his sentiendum sit, breviter declarabunt sequentes assertiones :

105. Assertio 1ª : *Quando Eucharistia digne suscipitur, ex corporali sumptione sacramenti peculiaris oritur affinitas Christum inter et suscipientem, vi cujus Christus carnem suscipientis velut suam speciali titulo considerat.*

Prob. 1. Ex *declarationibus SS. Patrum*. S. Cyrillus Hierosol. (*Cathec. 4. Mystag.*) dicit hoc sacramentum « animam

et *corpus sanctificare*, » et in alio loco per Eucharistiam fideles cum Christo *concorporeos* et *consanguineos* fieri. — S. Gregorius Nyssenus (*Orat. catech.* c. 37) hæc scribit : « Sicut parum fermenti sibi assimilat totam aspersionem, ita corpus a Deo morte affectum, cum fuerit intra nostrum, *totum ad se transmutat et transfert*. — Similia habet S. Augustinus : « Humana caro, inquit, quæ erat peccato obnoxia et ideo mortua, carni ejus mundæ unita et incorporata, unumque cum illo effecta, vivit de spiritu ejus, sicut vivit corpus de spiritu suo. » Hæc sufficiant ut jure concludamus specialem adesse habitudinem Christum inter et suscipientis carnem.

Prob. 2. *Ratione*. Quando Christus digne sumitur, non tantum vere ac proprie intra suscipientem constituitur, sed etiam ab ipso veluti quodam amplexu corporali apprehenditur. Porro talis amplexus fieri nequit quin caro suscipientis contactu sanctissimæ carnis Christi quodam modo consecretur, ipsique speciali affinitate conjungatur. Unde, ut egregie observat Card. Franzelin (*de Eucharistia*, thesis 19) : « Quamvis corpora nostra, quamdiu per statum gratiæ templa sunt Spiritus Sancti, sint per hoc ipsum *membra Christi de ossibus ejus* et *de carne ejus* (I *Cor.*, VI, 15, 19; *Eph.*, V, 30; *Heb.*, II, 14), hæc tamen mystica unitas carnis nostræ cum carne Christi suam pleniorem consummationem et velut sacramentalem consecrationem accipit, per conjunctionem glorificati corporis et sanguinis ejus cum ipsis corporibus nostris ; in qua conjunctione celebrantur nuptiæ Agni cum sponsa sua Ecclesia, adhuc peregrinante in membris singulis, quæ jucundiores et plenioris unitionis solum celebrabuntur in patria. Sic igitur ex sacramentali conjunctione oritur peculiaris illa affinitas, qua Christus sponsus considerat carnem digne manducantium carnem ejus et bibentium sanguinem ejus speciali titulo ut carnem suam. »

106. Assertio 2ª : *Eucharistia vim habet peccati fomitem moderandi, aliosque bonos effectus in appetitu sensitivo operandi.*

Prob. 1. *Ex SS. Patribus*. S. Joannes Damascenus (lib. 4, c. 14) dicit hoc sacramentum *cedere in animæ et corporis præ-*

sidium, et infra, corpus et sanguinem Christi ad animæ et *corporis nostri incolumitatem tendere*. — S. Gregorius Nyssenus (*Orat. Catech.*, c. 37) Eucharistiam vocat « salutare medicamentum *pravas nostri corporis affectiones* corrigens. » Eodem sensu dicit S. Bernardus (*Serm. de Cœna Dom.*) hoc sacramentum *minuere sensum in minimis*.

Prob. 2 *Ratione*. Eucharistia, ex jam dictis, caritatem auget ac nutrit; porro, ut ait S. Augustinus (lib. 83, quæst. 36) augmentum caritatis est diminutio cupiditatis. Ergo. Ita post D. Thomam (3 p., q. 79, art. 6), ipse Catechismus Rom. (p. 2, *de Euch.* n. 55) dicens : « Carnis etiam libidinem cohibet ac reprimit (Eucharistia); dum enim caritatis igne animos magis incendit, concuspicentiæ ardorem restinguat necesse est. »

Disputant vero theologi utrum Eucharistia hunc effectum producat, non tantum *indirecte*, id est, per augmentum gratiæ et caritatis, ut modo dictum fuit, sed etiam *directe*, seu per aliquam in corpus ipsum actionem. Negat S. Thomas, dicens (*loc. cit.*) « hoc sacramentum non directe ordinari ad diminutionem fomitis. »

E contrario affirmat Suarez et contendit Eucharistiam directe in corpus operari, tum moderando imaginationem vel appetitum, quibus excitantur phantasmata, tum alterando corpus seu temperamentum ejus eodem modo quo extrema unctio reddit sanitatem corpori, si illud bono animæ expediverit (disp. 64, sect. 1).

107. Assertio 3ª : *Eucharistia digne suscepta verum jus ad gloriosam resurrectionem corpori confert.*

Prob. 1. *Scriptura sacra*. Christus enim ait (*Joan.*, VI, 55) : « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, » habet vitam æternam, et *ego resuscitabo eum in novissimo* » *die*. » Quibus verbis intelligere debemus gloriosam corporis resurrectionem, non ea solum ratione huic sacramento promitti, quia gratiam, quæ est semen gloriæ, confert; id enim omnibus sacramentis competit; sed quia futura gloria corporis specialis est effectus Eucharistiæ.

Prob. 2. *Traditione*. SS. Eucharistia a Patribus Nicænis

vocatur *symbolum resurrectionis;* a S. Ignatio *pharmacum immortalitatis.* — S. Irenæus (lib. 5, c. 2, n. 3) ait : « Nostra corpora ex ea (Eucharistia) nutrita et reposita in terram, et resoluta in ea, resurgent in suo tempore, Verbo Dei resurrectionem eis donante, in gloriam Dei Patris, qui huic mortali immortalitatem circumdat, et corruptibili incorruptionem donat. » — Concil. Trid. (sess. 13, cap. 2) dicit de eodem sacramento : « Salvator noster... pignus præterea id esse voluit futuræ nostræ gloriæ et perpetuæ felicitatis. » Jam vero hæc omnia manifeste evincunt gloriosam corporis resurrectionem huic sacramento specialiter promissam fuisse.

Prob. 3. *Ratione.* Nulla sane alia ratio a priori afferri potest quam voluntas Christi hunc effectum sacramento corporis sui annectentis; attamen quasdam congruentias proponit Suarez (*loc. cit.,* sect. 2), nempe decuit Christum specialiter promittere immortalitatem corporibus quæ corpori Christi per Eucharistiam conjunguntur — tum ad augendam nostram spem et devotionem ac reverentiam erga hoc sacramentum; — tum ad significandam efficaciam vivificæ carnis Christi, quæ futura est causa proxima nostræ resurrectionis et immortalitatis; — tum denique, addit Card. Franzelin (*loc. cit.*), ad conformandam carnem nostram carni suæ incorruptibili ac glorificatæ, hic quidem in exilio non per absolutam immunitatem a corruptione et concupiscentia, sed, quantum patitur conditio præsens, per specialem titulum ad perfectam incorruptibilitatem et glorificationem.

Attamen non concordant auctores in determinanda natura hujus vitæ æternæ pignoris, quod ex digna Eucharistiæ sumptione corpora nostra percipiunt. Juxta quosdam, quorum nomina tacet Suarez (cf. *loc. cit.*), illud pignus situm esset in aliqua qualitate physica, quæ manens in nostris corporibus instar seminis, radix esset futuræ resurrectionis. Pia est hæc opinio, sed nulla ratione solida nititur, ac ideo ab omnibus hodie rejicitur. — Juxta Suarez, quem sequuntur plerique theologi, hoc gloriæ pignus in eo consistit quod his qui Eucharistiam digne susceperunt, proprio et speciali titulo gloria dabitur propter specialem conjunctionem et affinitatem cum

Christo ex hoc sacramento ortam (cf. n. 123); quod tamen ad perfectionem gloriæ parvi aut nihil refert, quanquam fortasse aliquod accidentale gaudium possit inde accrescere illis qui reipsa hoc sacramentum suscipiunt, non vero aliis, etsi voto aut desiderio illud suscipiant.

CAPUT IV.

DE MINISTRO SACRAMENTI SS. EUCHARISTIÆ.

Tria veniunt expendenda, nempe — 1. quis sit minister Eucharistiæ; — 2. an et quandonam adsit obligatio Eucharistiam dispensandi; — 3. quænam requirantur ad licitam SS. Eucharistiæ dispensationem.

§ I. Quid sit minister Eucharistiæ.

108. Errores. Minister Eucharistiæ duplex est, consecrationis unus, dispensationis alter. Jam vero circa ministrum Eucharistiæ consecrandæ errarunt — 1. Gnostici hanc potestatem mulieribus concedentes. — 2. Waldenses, qui laicis probis jus tribuebant quod pravis sacerdotibus denegabant. — 3. Lutherus, docens jure divino omnes christianos esse sacerdotes, sed neminem, nisi ad hoc munus electus fuerit, illud extra necessitatem exercere debere ob nimiam quæ in Ecclesia sequeretur confusionem.

His prænotatis, sequentes statuimus assertiones:

109. Assertio 1ª: *Jure divino soli presbyteri sunt ministri SS. Eucharistiæ conficiendæ.*

Est de fide. Conc. Trid. (sess. 22, can. 2): « Si quis dixerit illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos sacerdotes, aut non ordinasse ut *ipsi aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum:* anathema sit. » Præiverant concilium Later. IV. dicens: « Hoc sacramentum, nemo potest conficere, nisi *sacerdos qui rite fuerit ordinatus* »; et concilium Nicænum, ubi (cap. 18) diaconi qui

Eucharistiæ presbyteris ipsis dispensandæ jus sibi arrogaverant, hac potissimum ratione comprimuntur, quod « nec regula, nec consuetudo tradidit, ut ab his qui *potestatem non habent offerendi* illi qui offerunt corpus Christi accipiant. »

Prob. 1. *Script. S.* (*Luc.*, xxii, 19). Post institutionem SS. Eucharistiæ, dixit Jesus : « Hoc facite in meam commemorationem. » Unde sic : Illi soli sunt ministri Eucharistiæ conficiendæ, qui hanc potestatem soli a Christo acceperunt, qui soli a Traditione habiti sunt ut ministri illius sacramenti, et qui demum soli tenentur ad implendum Christi præceptum circa confectionem SS. Eucharistiæ : atqui — soli presbyteri potestatem conficiendæ SS. Eucharistiæ in persona Apostolorum acceperunt, siquidem tunc soli erant cum Christo Apostoli; aut, si alii cum Apostolis essent, cum de Apostolis solis semper fiat mentio, judicandum est ad illos solos prædicta verba directa fuisse. — Soli presbyteri a Traditione habiti sunt ut ministri SS. Eucharistiæ conficiendæ, ut constat tum ex SS. Patrum scriptis, tum ex eo quod ii qui contrariam tenuerunt sententiam, semper ut hæretici damnati fuerunt. — Soli sacerdotes judicati fuerunt ligati præcepto conficiendæ Eucharistiæ, ut ipse Lutherus fatetur; ergo.

Prob. 2. *Ex SS. Patr.*, qui expressis verbis dicunt diaconos non posse conficere, sed tantum ministrare Eucharistiam. S. Hieron. contra Luciferianos : « Hilarius, cum *diaconus* de Ecclesia recesserit, *neque Eucharistiam conficere potest*, episcopos et presbyteros non habens. » S. Epiph. (*Hær.*, 79, n. 4) : « *Neque diaconis* in ecclesiastica regula concreditum est *peragere mysteria,* sed ministrare tantum dum perficiuntur. »

Prob. 3. *Praxi Ecclesiæ.* Constat historiæ monumentis Eucharistiam olim ad absentes missam fuisse, anachoretas eam a sacerdotibus accepisse et secum detulisse, presbyteros non sine magno vitæ periculo in martyrum carceribus sacra mysteria celebrasse : porro hæc omnia supponunt sacerdotes, et quidem solos, esse consecrationis SS. Eucharistiæ ministros. — Insuper solis sacerdotibus in ordinatione confertur potestas Eucharistiam conficiendi. Ergo proprium est sacerdotum hoc sacramentum consecrare.

Diaconi vocantur quidem in Pontificali *comministri et cooperatores corporis et sanguinis Domini*, quia presbyteros adjuvant proxime in Missæ sacrificio, et quia cum illis panem et vinum offerunt; sed ex eo perperam concluderetur illos esse vere Eucharistiæ ministros, etiam extraordinarie. Ita constanter docuit et docet Traditio.

110. Assertio 2ª: *Minister Eucharistiæ dispensandæ ordinarius jure divino est solus sacerdos, extraordinarius vero diaconus.*

PROB. 1ª PARS — 1. *Auctoritate.* Conc. Trid. (sess. 13, c. 8) ait: « Semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut laici *a presbyteris communionem acciperent;* presbyteri autem celebrantes seipsos communicarent. » — Ecclesia decantat: « Cujus officium committi voluit *solis presbyteris*, quibus sic congruit, ut sumant et dent cæteris. »

2. *Rat. theol.* Ad sacerdotes pertinet Eucharistiæ dispensatio — tum quia ipsi soli sunt ministri consecrationis, quæ fit præsertim in ordine ad sumptionem ac proinde ad distributionem; — tum quia presbyteris demandatur cura animarum, ad quam plurimum inservit SS. Eucharistiæ sumptio, ac proinde distributio; — tum quia, ob reverentiam huic sacramento debitam, a nulla re contingatur conveniens est nisi consecrata; manus autem sacerdotis specialiter consecratæ sunt.

PROB. SECUNDA PARS, nempe, *diaconum esse ministrum extraordinarium dispensationis Eucharistiæ*,

1. *Scriptura sacra* (*Act.*, VI, 3), ubi videre est diaconos electos fuisse ut ministrarent *mensis;* porro sub eo nomine intelligebatur etiam mensa Eucharistica.

2. *Traditione.* Conc. Nicæn. I (can. 14) ait: « Si non fuerit in præsenti vel episcopus vel presbyter, tunc ipsi *diaconi proferant et edant.* » Idem asserunt SS. Patres et admissum est in Ecclesia.

Quod autem diaconi non sint ministri Eucharistiæ dispensandæ nisi extraordinarii, ac proinde sine speciali delegatione hoc sacramentum ministrare non possint, plurimis constat testimoniis. Ait quippe Conc. Arelat. I (can. 15): « In secre-

tario diacono inter presbyteros sedere non liceat, vel corpus Christi *præsente presbytero tradere non præsumat.* » Gelasius (*ad episc. Lucaniæ*, c. 3), scribit : « Diaconi sacri corporis Christi prærogationem *sub conspectu Pontificis seu presbyteri*, nisi his absentibus, *jus non habent exercendi.* »

Hinc — 1. Potest diaconus, et proinde debet, viaticum ministrare, in casu necessitatis, absente presbytero : ita auctores communiter.

Hinc — 2. Peccat mortaliter diaconus ministrando SS. Eucharistiam sine licentia episcopi aut saltem parochi. — Dixi : *Aut saltem parochi*, quia plures contendunt, nec irrationabiliter, in casu gravis necessitatis, puta, si in tempore Jubilæi omnes sacerdotes sint præoccupati ad audiendas confessiones, diaconum posse a parocho delegari ad ministrandam SS. Eucharistiam.

Hinc — 3. Præter diaconos nullus est alius, proprie loquendo, minister extraordinarius SS. Eucharistiæ dispensandæ.

Ratio est quia minister extraordinarius ille est qui ex ordinatione inchoatam habet potestatem ministrandi sacramentum : atqui præter diaconos nullus est, ne subdiaconus quidem, qui potestatem habeat, etiam inchoatam, dispensandi Eucharistiam.

Dicitur : *proprie loquendo*, quia quandoque quidam, præter diaconos, ministrarunt SS. Eucharistiam; sic in prima Ecclesiæ ætate fideles, ob persecutionis periculum, SS. Eucharistiam apud se servabant, et propria manu sumebant; sic disputatur an tempore pestis, deficientibus presbyteris et diaconis, non possit episcopus delegare subdiaconum ad dispensationem Eucharistiæ; sed illi omnes non sunt nisi ministri improprie dicti.

111. Assertio 3ª : *Jure ordinario non omnes sacerdotes, sed ii tantum qui jurisdictionem habent, Eucharistiam dispensare possunt.*

Prob. 1. *Jure canonico* statuente (Clem., lib. 5, tit. 12, cap. 1) « religiosos qui clericis aut laicis sacramentum extremæ-unctionis vel Eucharistiæ ministrare... præsumpserint,

excommunicationis sententiam incurrere ipso facto, per Sedem Apostolicam tantum absolvendos. » Cur hæc censura, si nulla requireretur jurisdictio? — Idem decernunt plurima concilia particularia, præsertim Carthag. I (can. 7) et Milevitanum (can. 18).

Prob. 2. *Universali et constanti Ecclesiæ praxi.* Semper enim mos in Ecclesia fuit neminem Eucharistiam dispensare, nisi de licentia illius cui hæc dispensatio specialiter demandata fuit.

Prob. 3. *Ratione.* Eucharistiæ dispensatio est actus ad bonum Ecclesiæ regimen spectans : ergo his solis competit qui regendi potestate potiuntur. — Præterea pastoribus cura pascendi oves incumbit : porro Eucharistiæ administratio est præcipuus pastoralis muneris actus. Ergo.

Hinc — 1. Sacerdos qui sine ulla jurisdictione Eucharistiam ministrat, mortaliter peccat. Hæc autem jurisdictio potest esse *ordinaria* vel *delegata*. Jurisdictionem ordinariam habent Summus Pontifex erga omnes fideles, episcopus in sua diœcesi, parochus relative ad suos parochianos. — Jurisdictione delegata potiuntur hi omnes qui eam acceperunt ab eo qui ordinariam habet, aut saltem consensum illius, cui competit dispensatio facienda, prudenter *præsumere* possunt.

Hinc — 2. Jurisdictionem sufficientem habent — illi quibus permittitur missam in aliqua ecclesia celebrare, nisi tamen contrariam voluntatem manifestaverit parochus vel superior; — ille qui missam celebrat in oratorio privato, in quo, cum licentia superiorum, asservatur SS. Eucharistia. Si non adesset SS. Eucharistia, licentia celebrandi non importaret facultatem Eucharistiæ dispensandæ; merito tamen præsumitur superioris concessio.

At communio paschalis, prima infantium communio, imo plurimis in locis secunda, et viaticum jure vel consuetudine parocho reservantur. Excipitur pro viatico casus urgentis necessitatis, in quo licentia parochi absentis aut impediti merito præsumitur; imo in tali casu quilibet sacerdos, parocho injuste repugnante, viaticum ministrare potest, quia tunc jure præsumit licentiam Episcopi.

Religiosi SS. Eucharistiam ministrare possunt in suis ecclesiis vel per se, vel per alios sacerdotes, excepto tamen die Paschatis. Si vero, extra casum necessitatis, absque licentia parochi viaticum ministrare præsumerent, excommunicationem ipso facto, ex jam dictis, incurrerent (Cf. const. *Apost. Sedis*, Excom. simp. reserv. n. 14).

112. Quæritur 1. *An plures sacerdotes eamdem materiam simul consecrare valeant.*

Resp. Id certo fieri potest, si materia omnibus moraliter præsens sit, et omnes verba consecrationis simul pronuntient et finiant. Prolatis quippe verbis formæ, species certo sunt consecratæ; sed consecratio uni potius quam alteri tribui non potest.

Controvertitur tamen an neo-sacerdotes cum Episcopo in ordinatione celebrantes reipsa consecrent. Quidam negant — tum quia materia non est sufficienter præsens; — tum quia formam nonnisi post episcopum pronuntiant; — tum quia sub specie vini non communicant.

Alii vero probabilius affirmant — 1. quia in Pontificali Romano « monetur Episcopus ut bene advertat quod secretas morose dicat et aliquantulum alte, ita ut ordinati sacerdotes possint secum omnia dicere, et præsertim verba consecrationis quæ dici debent eodem momento per ordinatos quo dicuntur per pontificem. » Quæ quidem monitio inutilis foret, si novi sacerdotes non consecrarent, sed verba consecrationis materialiter tantum et recitative proferrent. — 2. Ibidem dicitur quod neo-sacerdotibus non datur absolutio ante communionem, quia concelebrant pontifici. — 3. In consecratione episcopi, apud Latinos consecrandus et consecrator simul consecrant eamdem materiam; item apud Græcos in locis in quibus unicum est templum, presbyteri episcopum circumstantes cum illo consecrant. — Nec objiciantur rationes alterius sententiæ; nam respondere fas est satis esse ut materia sit moraliter præsens; — neo-sacerdotes non habere intentionem absolutam consecrandi, sed hypotheticam, si nempe finiant prolationem formæ cum episcopo; — illos non communicare sub utraque specie, quia non sunt principales celebrantes, et sufficere ad perfectio-

nem sacrificii quod principalis celebrans, qui est episcopus, utramque speciem sumat. Ita Billuart.

113. Quæritur 2. *An liceat aliquando SS. Eucharistiam sibi dispensare.*

Resp. 1. *De fide* est sacerdotem celebrantem posse seipsum communicare; nam conc. Trid. (sess. 13, can. 10) ait : « Si quis dixerit non licere sacerdoti celebranti seipsum communicare : anathema sit. » Et vero Eucharistia est sacramentum simul et sacrificium : porro de natura est sacrificii, ut sacerdos participet victimæ, quod fit per communionem; ergo naturaliter communionem sibi ministrare debet celebrans. — Sacerdos autem non celebrans non debet, extra casum necessitatis, communionem sibi ministrare, quia extra Missam non est sibi minister, ac proinde communionem, sicut alii fideles, suscipere debet. At tenent omnes *in casu necessitatis* sacerdotem posse seipsum communicare, quia illud nullo jure prohibetur; imo tenetur sic communicare ob præceptum divinum. — Auctores communiter ulterius progrediuntur et dicunt sacerdotem posse etiam se communicare in festivitate solemni, dummodo desit alius sacerdos, et secluso scandalo; quia nulla est irreverentia erga sacramentum, nec aliqua Ecclesiæ prohibitio (Vide S. Lig., n. 138).

Resp. 2. Potest etiam eamdem ratione diaconus seipsum communicare in casu necessitatis. Ita communius auctores. Quoad clericos inferiores et laicos, refert Benedict. XIV, (*de Syn.*, lib. 13, c. 19, n. 23-25), plures modos quibus sacra communio peste infectis dari potest. Porro inter hos modos unum probat in quo infirmi SS. Eucharistiam sibi ministrant; ergo *et laicis* non est omnino interdictum ut se communicent. — Extra hunc casum pestis, valde controvertitur inter doctores an, urgente extrema necessitate, laicus possit propria manu et sine ullo sacerdotis ministerio se communicare; Bened. XIV (*ibid.*, n. 27) nihil pronuntiat, sed aperte inclinat in opinionem Suarezii, qui affirmative respondet, tum quia consuetudo ecclesiastica non obligat cum tanto incommodo; ita etiam sentire videtur S. Ligor. (n. 237). — At communius tenent auctores, saltem in Gallia, laicum seipsum communicare non posse,

etiam in casu necessitatis, tum ob contrariam Ecclesiæ praxim, tum ob scandali periculum (Vide Gousset, n. 203, Bouvier) : — Inde concludendum non posse clericum inferiorem et laicum SS. Eucharistiam in casu necessitatis aliis ministrare.

§ II. An et quandonam adsit obligatio Eucharistiam dispensandi?

114. — I. Omnibus fatentibus, ille qui curam animarum habet tenetur sub gravi fidelibus SS. Eucharistiam ministrare in Paschate et in articulo mortis, sive per se, sive per alium ; in his quippe temporibus debent fideles suscipere SS. Eucharistiam ; ergo et ad illam ministrandam tenentur pastores. Imo tenetur parochus investigare infirmos Eucharistiam non petentes, ut eam ipsis ministret, saltem si sint in gravi mortis periculo; ratio est quia officium est boni pastoris curare, ut ovibus suis in tanto periculo constitutis tam salutare remedium suppeditetur.

115. — II. Debent pastores SS. Eucharistiam ministrare quoties fideles eam rationabiliter petunt, et quidem sub gravi si ex denegatione notabile nocumentum patiantur, v. g., in tempore Jubilæi, vel gravis tentationis, vel in præcipuis anni festivitatibus. Si autem semel aut iterum denegaretur sine nocumento gravi ex parte fidelium, leve tantum esset peccatum. Hinc debet viaticum in eadem infirmitate iterum ac tertio administrari, si ægrotus exposcat (Bened. XIV, *de Syn.*, l. 7, c. 12, n. 5).

116. — III. Disputant auctores an tempore pestis teneantur pastores ad ministrandam SS. Eucharistiam. — Prima sententia negat ; quia, cum sacramentum illud non sit ad salutem necessarium, non videtur quomodo pastores tenerentur ad tantum obeundum periculum; nituntur insuper decisione S. Cong. quæ a S. Carolo interrogata hac de re, respondit parochos ad duo tantum sacramenta ministranda, baptismum scilicet et pœnitentiam, teneri. Ita Salm. et inclinat S. Lig., n. 233. — Secunda sententia, seclusis quibusdam casibus quos enumerat Benedictus XIV (*de Syn.*, lib. 13, c. 19, n. 8), dicit pastores teneri sub gravi; quia praxis piorum sacerdotum, bonum animarum et scandalum vitandum illud postulant, et sic

fuit præscriptum in conc. Mediol. V. Ita Suarez, Vasquez, Collet et inclinat Bened. XIV. — Tertia sententia distinguit : vel qui peste infecti sunt pœnitentia simul indigent, vel non; *si prius*, dari debet Eucharistia, quia, cum parochus teneatur pestifero pœnitentiam conferre, non multo majori sese exponit periculo SS. Eucharistiam ministrando, et maximum tamen commodum ægroto confert; si *posterius*, non tenetur; quia non gravis est necessitas, et grave existit periculum. Ita Billuart. Hæc ultima sententia sat probabilis videtur, cum isto tamen moderamine quod, si parochus ob ingravescentem pestem teneatur vivere cum pestiferis, ut in tempore pestis Mediolanensis, non graviori se exponit periculo SS. Eucharistiam ministrando; secus vero, si de unico ægroto peste infecto ageretur; difficile enim diceretur parochum debere huic unico infirmo qui pœnitentiæ sacramentum suscepit, SS. Eucharistiam præbere cum evidenti mortis periculo, nec multi sunt, ut putamus, qui contrarium asserant.

De obligatione SS. Eucharistiam quandoque denegandi sat dictum fuit in Tract. *de Sacr. in genere*. Neque etiam hic movetur quæstio de obligatione Eucharistiam dispensandi ex caritate.

§ III. Quænam servanda sint ad licitam SS. Eucharistiæ dispensationem?

117. — I. De tempore convenienti. 1. Generatim qualibet anni die dari potest SS. Eucharistia. Excipitur dies Parasceves, in qua non datur nisi periculose ægrotantibus; excipitur etiam sabbatum sanctum, nisi consuetudo contraria adsit; talis autem consuetudinis existentiam supponens DD. Gousset (n. 206) simpliciter affirmat communionem illa die dari posse.

2. Per se loquendo, ait S. Lig. (n. 252), qualibet diei hora communio dispensari potest, quia circa hoc nulla adest prohibitio. Generatim, nisi adsit causa rationabilis, si Missa non celebretur, dari non debet communio nocte, nec multo post meridiem.

3. « Communio populi, inquit Rituale Romanum, intra Missam statim post communionem sacerdotis celebrantis fieri de-

bet, nisi quandoque ex rationabili causa post Missam sit facienda; cum orationes quæ in Missa post communionem dicuntur, non solum ad sacerdotem, sed etiam ad alios communicantes spectent. » Nullum tamen exstat præceptum vi cujus communio solum intra vel post missam distribui debeat. Facillime præsertim concedenda est communio extra missam infirmis, pueris, senibus et iis omnibus qui, ob stomachi debilitatem, jejunium protrahere nequeunt. — In Missa quæ in media nocte dicitur die natali Domini, dari non debet communio; at in pluribus diœcesibus Galliæ dari potest ex indulto speciali R. Pontificis. — In Missa *de requiem* dari potest communio, etiam cum particulis in hac Missa non consecratis; imo illam dare licet immediate ante vel post Missam in paramentis nigris, juxta recentem decisionem S. Cong. Rit., 23 Julii 1868 (Bened. XIV, *de Sac. Missæ*, lib. 3, c. 18, n. 12).

118. — II. De loco competenti. Dari potest communio in omnibus ecclesiis parochialibus. — Dari pariter potest in omnibus ecclesiis vel oratoriis publicis, sive in illis asservetur, sive non asservetur SS. Eucharistia. — Datur etiam in oratoriis privatis in quibus servatur SS. Eucharistia; in aliis requiritur ordinarie licentia, ut ministrari possit communio ex particulis in Missa consecratis (Bened. XIV, *de Missæ sacr.*, lib. 3, c. 18, n. 14, et *epist. encycl. Magno, ad episcop. Poloniæ*, 2 jun. 1751, § 23).

119. — III. De modo legitimo. *Quoad communionem dandam intra Ecclesiam*, sedulo legantur et serventur rubricæ. Quædam tamen pro nonnullis casibus extraordinariis adnotare juvat :

1. Si sacerdos infirmitate laboret in pollice ac indice, secluso casu gravissimæ necessitatis, v. g., viatici ægroto morti proximo ministrandi, Eucharistiam aliis digitis ministrare non potest (S. Ligorius, n. 244). Etsi enim tota manus sit consecrata, duo digiti ex ritu Ecclesiæ ad hoc munus exercendum specialiter sunt destinati.

2. Si hostia cadat in mappam, cujus vice nec manutergium nec velum calicis adhibere licet, signetur locus, deinde abluatur et aqua in piscinam projiciatur. — Si in terram, locus sta-

tim tegatur aliqua re munda et postea abluatur. Ita Rubrica quæ tamen, juxta communem sententiam, non obligat sub gravi, nisi ageretur de sacra specie vini. — Quando autem hostia tangit vultum, barbam aut vestes communicantis, omittenda est purificatio, ad vitandam admirationem, turbationem vel offensionem populi. — Si decidat in sinum aut intra vestes mulieris, ipsa mulier ope purificatorii mundi vel etiam digitis illam extrahere debet et porrigere sacerdoti, a quo deinde illam in os recipiat; sed abluantur digiti et aqua in piscinam projiciatur. In hoc casu, si opus sit, recedat in aliquod sacellum vel in sacristiam. — Demum si intra clausuram monialium, monialis communicanda particulam lingua sumat et locus abluatur; quod si nulla sit communicanda, particula patena aut palla suscipiatur sacerdoti tradenda vel etiam, si aliter fieri nequit, ipsa manu suscipiat et, facta communione, pavimentum radat. Imo ipse sacerdos potest in hoc casu clausuram ingredi et facere quæ præscribuntur. Id hodie saltem in Galliis licitum est (Gousset, n. 213).

3. Deficientibus hostiis, licite dividuntur, ex communi sententia et praxi generali, modo adsit justa causa, v. g., si desit alia missa vel fideles exspectare non possint. Ita etiam S. R. Cong., in resp. data die 16 martii 1833. Attamen sacerdos tunc dividat singulas particulas in duas tantum vel ad summum tres partes; secus enim vix cum reverentia debita daretur communio. — Imo licite in hoc casu detraheretur pars majoris hostiæ a sacerdote sumendæ, non tantum pro viatico ad moribundum deferendo, sed etiam ad communicandum fidelem qui sine incommodo exspectare non posset. At non licet devotionis gratia plures particulas uni communicanti, vel unam majorem dare.

Quoad autem communionem infirmis ministrandam, hæc notanda sunt :

1. Extra necessitatem, ad nullum ægrotum deferri debet viaticum, quin prius audita fuerit ejus confessio, imo quin paulo ante invisus fuerit, ita ut moralis existat certitudo illum esse rite dispositum, sive ex parte animæ, sive ex parte corporis. — Valde convenit ut confessarius ipse infirmo viaticum deferat

ad facilius tollendas anxietates quæ in anima ægrotantis exsurgere possunt. Si confessarius viaticum deferre nequeat, cura hæc alteri sacerdoti approbato demandetur. Dicit enim Rituale Romanum : « Deposito sacramento super mensa, sacerdos accedat ad infirmum ut cognoscat num sit bene dispositus ad suscipiendum sacrum viaticum, et utrum velit aliqua peccata confiteri; et illum audiat, atque absolvat, quamvis prius deberet esse rite dispositus, nisi necessitas aliter urgeat. »

Quid vero sacerdoti agendum, si forte ad infirmum cum SS. Sacramento adveniens, ejusque confessionem excipiens, eum indispositum inveniat? Nihil sane intentatum relinquere debet confessarius, ut infirmum ad meliorem frugem adducat. Si nihil proficiat, inducendus est, ut, finita confessione, publice declaret se Eucharistiam recipere nolle; quo præstito jam evanescit difficultas. Si autem id declarare noluerit, et communionem exigat, Eucharistia ei, licet indisposito, denegari non potest, propter sacramentale sigillum, nullo unquam prætextu frangendum.

2. Quod ad modum SS. Sacramentum deferendi attinet, hæc notanda sunt : — 1. Deferri debet hoc sacramentum decenti habitu, superposito mundo velamine, manifeste atque honorifice, ante pectus et cum omni reverentia et timore, semper lumine præcedente. Sacerdos induatur superpelliceo et stola, et sub umbella incedat (Rit. Rom.). Si infirmo longe distanti deferenda sit SS. Eucharistia, in extremitate vici vel urbis datur benedictio fidelibus, et recedit populus; tunc sacerdos parvulam pyxidem cum bursa collo appendit; birettum, juxta plures (Gury, n. 209, Gousset, 249), aut etiam pileum, si necesse sit, sumit, equumque mansuetum ascendit, si placet, et, comite clerico facem ferente, procedit (S. Congreg. Rit., 23 maii 1846 et 12 decemb. 1857). — 2. Disputant auctores an in necessitate liceat administrare viaticum sine vestibus sacris, et probabilius affirmant, quia, secluso scandalo, Ecclesia non censetur obligare voluisse in tali casu, præsertim ob divinum præceptum suscipiendi SS. Eucharistiam in articulo mortis. — 3. Noctu hoc sacramentum deferri non debet, nisi necessitas urgeat (Rit. Rom.). Excipiuntur communitates quæ SS. Sacra-

mentum in suis sacellis asservant; cessat enim irreverentiæ periculum. — 4. Urgente necessitate, licet currere deferendo viaticum; ita probabiliter S. Lig. (n. 242); quia urgens necessitas deferendi viaticum moribundo excusare potest a majori decentia in incessu; sedulo removendum est scandalum. — 5. Absque episcopi licentia non debet SS. Eucharistia deferri secreto infirmis, ob ista verba Rit. Rom. : « Deferri debet hoc sanctum sacramentum manifeste atque honorifice. » — Excipiendus est casus in quo, ob parentum impietatem, sacerdos nonnisi secreto viaticum moribundo dare potest.

3. Quoad ipsam sacramenti ministrationem, — 1. probabile est sacerdotem posse aliquando viaticum ministrare, omissis illis verbis in Rit. præscriptis : « *Accipe viaticum*, et adhibendo formam communem, si nempe infirmus magno afficeretur mœrore ex communione per modum viatici suscepta. — 2. Si guttur ægroti ita aridum sit ut sacram particulam trajicere nequeat, nunquam speciem vini ei dare licet; tunc cessat præceptum viatici, sed sequenti modo procedatur; os et guttur aqua vel vino madefiat, detur ei particula non consecrata, et si illam deglutire valeat, statim ipsi ministretur hostia consecrata; imo si illam difficile trajiciat, paululum aquæ aut vini præbendum est ut facilius eam deglutiat. Quidam putant in hoc casu hostiam licite imponi cochleari aqua vel vino semipleno ut ori infundatur (cf. S. Lig., n. 244); sed negant alii, eo quod talis agendi ratio consuetudini Ecclesiæ opponitur et apud nos omnino inaudita est. Attamen, juxta Benedictum XIV, tempore pestis licitum esset apponere SS. Eucharistiam in mensula ut eam sumat infirmus, vel uti cochleari modo supra indicato. — 3. Si ob tussim aliamve causam timeatur ne ægrotus hostiam non retineat, detur prius particula non consecrata, et si per aliquod intervallum abstinuerit a tussi, consecrata ministretur. Consultius est tunc sputa permittere quam impedire, ne, si retineantur, in stomachum descendant et infirmum ad vomitum provocent. — Si autem accidat ut infirmus sacram hostiam evomat et sacræ species integræ appareant, non comburendæ sunt, nec in ciborio reponendæ, sed reverenter sumendæ et asportandæ, absque ta-

men apparatu, si solæ sint; deinde in loco sacro reponantur, donec corrumpantur, et postea in sacrarium projiciantur. Quod si sacræ species non appareant, comburatur vomitus materia, et cineres in sacrarium mittantur, si commode fieri possit.

CAPUT V.

DE SUBJECTO SS. EUCHARISTIÆ.

120. Subjectum sacramenti Eucharistiæ ille est qui sacramentum istud suscipere potest, et tria quæruntur : — 1. Quinam possint sacramentum Eucharistiæ recipere; — 2. quænam sit necessitas suscipiendi hoc sacramentum; — 3. quænam dispositiones requirantur ad licitam Eucharistiæ receptionem. Unde triplex articulus; quartum addemus de frequenti communione.

ARTICULUS I.

Quinam Eucharistiæ sacramentum recipere possint?

121. Certum est solum hominem viatorem et baptizatum Eucharistiam sacramentaliter recipere posse. Ratio patet ex dictis in Tractatu *de Sacram. in genere.* — Hinc infideles, etsi Eucharistiam materialiter recipere possint, eam sacramentaliter non suscipiunt.

Utrum vero omnis homo baptizatus Eucharistiam recipere possit, sequenti assertione declaratur :

122 Assertio : *Omnis homo baptizatus Eucharistiæ sacramentaliter recipiendæ capax est.*

Prob. De adultis nulla difficultas. — Quoad autem infantes cum per baptismum effecti sint justi, et sacramenta per se operentur, modo non ponantur obices, percipiendo Eucharistiam justitiæ incrementum et percipere possunt. Præterea infantes olim in utraque Ecclesia hoc sacramento donati fuerunt. Demum hæc disciplina quæ viguit apud Latinos per decem et amplius sæcula, etiam nunc apud Græcos existit.

At juxta hodiernam Ecclesiæ disciplinam, sacram Eucharistiam infantibus præbere amplius non licet apud Latinos, uti probatur sive ex contraria consuetudine a duodecimo sæculo apud nos obtinente, sive ex S. Thoma, qui (3, q. 80, a. 9), docet « nec pueris recenter natis, nec amentibus qui nunquam usum rationis habuerunt, dandam esse Eucharistiam; » sive ex conc. Trid. (sess. 21, cap. 4), quod hodiernam praxim implicite approbat.

Rationes vero hodiernæ praxis hæ sunt : — Pretiosi sanguinis Christi periculum effusionis; nam cum infantibus SS. Eucharistia vix aliter concedi possit quam sub specie vini, imminebat periculum effusionis illius pretiosi sanguinis, ut patet. — Fidelium tepor, quo factum est ut pueri SS. Eucharistiæ assueti eam ut panem communem sumerent, deficientibusque domesticæ pietatis exemplis, in consueta irreverentia reliquum vitæ stadium decurrerent. His prænotatis, superest ut solvantur varii casus particulares. Itaque

123. Quæritur 1. *Utrum in articulo mortis communio danda sit amentibus, delirantibus et sensibus destitutis.*

Resp. 1. *Quoad amentes*, 1. Si sint perpetuo amentes, habendi sunt ut perpetuo infantes; illis proinde non est concedenda SS. Eucharistia; ita S. Thom. modo citatus et cæteri theologi.

2. Si intervalla lucida habeant, in illis licite communicare possunt; sic Rit. Rom. : « Amentibus seu phreneticis communicare non licet; licebit tamen, si quando habeant intervalla lucida, et devotionem ostendant, dum in eo statu manent, si nullum indignitatis periculum adsit. »

3. Imo qui intervalla lucida habuerunt et in mortis articulo illis carent, juxta S. Ligor. (n. 302), S. Thomam, Catechismum conc. Trid., Billuart, possunt viaticum suscipere, si illud antea postulaverint, saltem christiane vivendo, et nullum sit irreverentiæ periculum. Ratio est, inquit S. Lig. (n. 302), quia ex una parte præsumitur ille interpretative communionem petere; ex altera, huic Eucharistia adhuc necessaria esse potest, nempe si incidisset in amentiam existens in peccato mortali, de quo solum attritus fuit, nec possit Extremæ-Unc-

tionis sacramentum accipere, quia illud in eadem infirmitate jam suscepit.

Resp. 2. *Quoad delirantes*, ipsis communio dari potest, si communicare valeant, secluso irreverentiæ periculo. Optima autem praxis est ut infirmo antecedenter detur particula non consecrata, et sic appareat an decenter communicare possit. Ita Gury post S. Ligorium (n. 292).

Resp. 3. *Quoad destitutos sensibus*, ipsi sane a præcepto dispensantur, cum illius servandi sunt incapaces. Sed non ideo eximitur parochus ab obligatione sacramentum eis dispensandi, si antea dispositi fuerint. Sacramenta enim ex *opere operato* gratiam conferunt iis qui ea recipere cupierunt. Excipiendus est tamen casus in quo adesset periculum irreverentiæ. (Cf. Gury, *de Euch.*, n. 321).

124. Quæritur 2. *An communio dari possit semifatuis, epilepticis, obsessis, surdis-mutis.*

Resp. 1. *Semifatuis* communio dari potest, si sufficientem habeant instructionem, ut cœlestem hunc cibum ab aliis distinguant, raro tamen, scilicet in Paschate et in articulo mortis. Ita communiter.

Resp. 2. *Epileptici* communione privandi sunt, quando versantur in paroxysmo actuali, ob periculum proximum irreverentiæ; secus autem in cæteris temporibus.

Resp. 3. *Quoad obsessos*, distinguendum est : videlicet, ipsis deneganda est communio, si non sint sui compotes; secus, concedenda est.

Resp. 4. *Surdi-muti a nativitate*, de quibus solis sermo instituitur, *per se* Eucharistiæ suscipiendæ non sunt incapaces. Experientia enim constat eos, si recte instituantur, mysteriorum religionis notitiam acquirere posse. Quando igitur compertum est eos discretionem habere et esse sufficienter instructos, communio eis in articulo mortis et in Paschate danda est. Imo si non qualicumque, sed sufficienti aliqua discretione gaudeant, sæpius communicare poterunt (Cf. Gury, n. 322; DD. Gousset, n. 269). Deneganda est autem communio si defectu capacitatis aut eruditionis, nihil intelligant aut nulla vel insufficientia religionis signa exhibeant.

125. Quæritur 3. *An dari possit communio capite damnatis.*

Resp. 1. *Capite damnati* non sunt generatim loquendo sacra communione privandi; etenim dispositionibus requisitis ad sacram synaxim indubitanter donari possunt; nulla lege ista communio eis prohibetur; e contra jus divinum in articulo mortis communionem præcipit; et ipsi uberioribus gratiis indigent ad dolores mortis constanter perferendos.

2. Communione tamen privari possunt, ob animi perturbationem et aliqualem indecentiam, illi qui fere statim post communionem morte plectendi sunt, scilicet, ipsamet die ante meridiem; ita fert Rit. Parisiense; quam decisionem refert et approbat DD. Gousset loco citato.

In praxi nihil inconsulto episcopo faciendum est.

ARTICULUS II.

Quænam sit necessitas Eucharistiam suscipiendi?

126. Status quæstionis. Necessitas recipiendi SS. Eucharistiæ sacramentum triplici ex fonte oriri posset, nempe ex necessitate *salutis*, seu *medii*, quatenus SS. Eucharistia esset ad salutem absolute necessaria; ex necessitate *juris divini*, ob aliquod præceptum divinum; et demum ex necessitate *juris ecclesiastici*, ob Ecclesiæ mandatum.

§ I. Utrum Eucharistiæ susceptio necessaria sit necessitate medii?

127. Errores. Quidam novatores, inter quos eminent Albertinus et Dallæus, docuerunt communionem omnibus, etiam infantibus, esse necessariam necessitate medii ad salutem. Ita etiam tenuerunt ex Græcis quidam, ut Simeon Thessalonicensis et Hieremias, patriarcha Constantinopolitanus. Nec ab illis satis recessisse videtur Maldonatus, qui (*comment. in cap.* VI, *Joan.*, n. 116) scribit opinionem necessitatis Eucharistiæ per annos sexcentos viguisse in Ecclesia. Contra illos sit sequens

Assertio : *Nemini prorsus, nec infantibus, nec adultis, necessaria est SS. Eucharistia necessitate medii ad salutem.*

Est de fide, ratione parvulorum; ait enim conc. Trident.

(sess. 21, can. 4) : « Si quis dixerit *parvulis*, antequam ad annos discretionis pervenerint, *necessariam esse Eucharistiæ communionem;* anathema sit. »

PROB. 1. *Scrip. S.* (*Tit.*, III, 5) : « Salvos nos fecit per lava- » crum regenerationis. » — (*Rom.*, VIII, 1) : « Nihil ergo dam- » nationis est in iis qui sunt in Christo Jesu. » — (I *Pet.*, III, 21). « Vos salvos facit baptisma. » Porro, si ad salutem præter baptismum necessaria esset SS. Eucharistia, falso diceretur nos per baptismum salvos fieri, et nihil damnationis esse in iis qui receperunt illud sacramentum.

PROB. 2. *Praxi hodierna* Ecclesiæ, quæ, nedum curet ut SS. Eucharistia infantibus impertiatur, prohibet contra ne illis detur; ergo hoc sacramentum ad salutem essentiale non judicat Ecclesia.

PROB. 3. *Rat. theol.* Fatentur omnes gratiam sanctificantem ad salutem consequendam sufficere; porro SS. Eucharistia ad gratiam sanctificantem habendam nullatenus est necessaria; non quidem ad illam obtinendam; cum eam supponat, utpote vivorum sacramentum; — non ad illam conservandam; cum infantes non possint illam amittere, et ipsimet adulti absolute possint illam conservare per alia media, scilicet per fidei, spei et caritatis exercitium, et alia pietatis opera.

128. OBJ. (*Joan.*, VI, 54) : « Nisi manducaveritis carnem » Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis » vitam in vobis; » ergo vita, ac proinde salus, sine Eucharistia haberi nequit. — RESP. 1. Verba ista indicant præceptum positivum, non necessitatem medii; alloquitur enim Christus adultos illisque dicit : *Nisi manducaveritis;* non comprehenduntur igitur omnes homines; dum, quando de baptismo loquitur, generaliora verba adhibet, dicendo : *Nisi quis renatus fuerit...* — RESP. 2. Alii textus Script. S. et tota Traditio ostendunt hæc verba de necessitate salutis non esse intelligenda.

§ II. An et quatenus Eucharistiæ sumptio necessaria sit ex præcepto divino?

129. Circa præceptum divinum suscipiendi Eucharistiam,

duplex oritur quæstio, utrum scilicet adsit hujusmodi præceptum et an, vi ejusdem præcepti, communio sub utraque specie sumenda sit. Pro utriusque solutione sit sequens

Assertio: *Eucharistia fidelibus adultis necessaria est necessitate præcepti divini; nullum tamen exstat præceptum divinum ex quo non sacrificantes Eucharistiam sub utraque specie suscipere teneantur.*

Prima pars, nempe *Eucharistiam fidelibus adultis necessariam esse necessitate præcepti*

Prob. 1. *Script. S.* (*Joan.*, vi, 54) : « Nisi manducaveritis » carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non ha- » bebitis vitam in vobis. » Manifestum est his verbis, Deo ita providente, vitam spiritualem in ordine consueto indigere SS. Eucharistiæ alimonia, et ideo dari præceptum de suscipienda SS. Eucharistia. Ita omnes intellexere doctores.

Prob. 2. *Rat. theol.* Certum est ex Christi verbis (*Joan.*, vi), ex ipsamet SS. Eucharistiæ natura ac Ecclesiæ doctrina, sacramentum illud institutum fuisse per modum cibi et potus spiritualis; ergo præceptum suscipiendæ SS. Eucharistiæ ad vitam spiritualem servandam existit, sicut et præceptum naturale suscipiendi cibum temporalem ad vitam naturalem conservandam.

Secunda pars assertionis, nempe *nullum exstare præceptum divinum ex quo non sacrificantes Eucharistiam sub utraque specie suscipere teneantur*

Est de fide, dicente conc. Trid. (sess. 23, c. 1): « Si quis dixerit *ex Dei præcepto divino*, vel necessitate salutis *omnes et singulos* Christi fideles *utramque speciem SS. Eucharistiæ sacramenti sumere debere:* anathema sit. »

Prob. 1. *Praxi perpetua Ecclesiæ.* Quod est contra jus divinum, nec facit, nec approbat, nec tacet Ecclesia: porro, qualibet ætate, pluribus in casibus, Ecclesia permisit atque approbavit communionem sub unica specie factam; sic etiam in prima ætate — 1. sub sola specie panis dabatur quandoque communio ægrotis, ut constat exemplo senis Serapionis et S. Ambrosii morientium. — 2. Infantibus sola species vini præbebatur. — 3. Tempore persecutionum, fideles ad com-

municandum secreto solam panis speciem secum asservabant, et hæc species martyribus sola dabatur. — 4. In missis Præsanctificatorum celebrans solam panis speciem accipit; ergo praxi Ecclesiæ manifestum est communionem sub unica specie factam juri divino non adversari.

Prob. 2. *Rat. theol.* Illud jure divino necessarium non est, quod isto jure nec directe nec indirecte præcipitur : atqui communio sub utraque specie jure divino nec directe nec indirecte præcipitur.

1. Communio sub utraque specie non præcipitur *directe* jure divino, siquidem textus ab adversariis allati illius duplicis speciei necessitatem minime probant pro fidelibus; isti sunt textus : — 1. (*Joan.*, VI, 54) : « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis; » porro, ut ait conc. Trid. (sess. 21, c. 1) : « Qui dixit : *Nisi manducaveritis.....*, dixit quoque : *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum;* et qui dixit : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habebit vitam æternam*, dixit etiam : *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Ille denique qui dixit : *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo*, dixit nihilominus : *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* » Quibus verbis satis aperte indicavit Christus communionem sub specie panis sufficere ad vitam æternam; ac proinde necessariam non esse communionem sub utraque specie. — 2. (*Luc.*, XXII) : « Hoc facite in meam commemorationem. » (*Matth.*, XXVI, 27) : « Bibite ex hoc omnes. » Quæ verba equidem indicant obligationem sumendi utramque speciem. Verum illa ad solos Apostolos directa sunt, et ideo solos sacerdotes celebrantes ligant; illi vero auctores qui ea etiam ad laicos referunt, asserunt dari quidem laicis communicandi præceptum, sed non sub utraque specie. Illam autem facultatem unius speciei sumptionis aperte supponit Apostolus, dicendo (I *Cor.*, XI, 17) : « Quicumque manducaverit panem » hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. » In iis verbis, particula *vel* satis innuit aliquando disjungi panem a calice. Ergo.

2. Communio sub utraque specie non præcipitur *indirecte* jure divino; nam duplici tantum de causa præciperetur indirecte utriusque speciei sumptio, scilicet : vel quia cæteroquin non adesset significatio sacramenti, vel quia non daretur gratia : porro utrumque falsum est; nam — 1. unica specie sufficienter significatur virtus sacramenti, nempe refectio spiritualis, quia in refectione spirituali non secernitur cibus a potu, sicut in refectione materiali. — 2. Vere producitur gratia; cum sub utraque specie totus contineatur Christus. Ergo.

130. Corollarium. Ex secunda parte assertionis colliges usum calicis rite laicis interdictum fuisse. Nam ille usus rite interdictus fuit qui a legitima auctoritate et propter eximias rationes fuit interdictus : atqui usus calicis fuit interdictus a legitima auctoritate, videlicet ab Ecclesia, in conc. Constantiensi, et propter eximias rationes. Istæ numerantur : periculum effusionis, et ideo irreverentiæ; difficultas diu asservandi speciem vini, quod facile acescit; difficultas speciem vini ad ægrotos convenienter deferendi; repugnantia multorum a bibendo vino, præsertim in eo calice in quo plures biberunt; vini raritas in pluribus regionibus; confutatio hæreticorum necessitatem sumptionis utriusque speciei asserentium; demum uniformitas inter fideles obtinenda.

131. Quæritur 1. *Quandonam obliget præceptum divinum communionis.*

Resp. 1. Præceptum communionis obligat *per se* in articulo vel proximo periculo mortis, et quidem sub gravi. Ratio est quia Eucharistia instituta est ut viaticum confortans adversus hostes salutis.

Resp. 2. Idem præceptum obligat etiam *per se* aliquoties in vita. Sicut enim moreretur qui identidem cibum naturalem non sumeret, ita moreretur spiritualiter qui communione quandoque non reficeretur. Quandonam autem præcise recipienda sit Eucharistia ut mors spiritualis vitetur, præfinire non audent theologi, sed indubitanter tenent istud præceptum non obligare plus quam semel in anno; etenim Ecclesia, communionem annuam tantum præcipiendo, sat indicat non fre-

quentiorem esse obligationem ex præcepto divino ortam; alioquin in errorem fideles infallibiliter induceret.

Resp. 3. Obligat etiam aliquando *per accidens* hoc præceptum, et quidem forsan sæpius quam semel in anno, quando scilicet Eucharistiæ sumptio necessaria est ad aliquam tentationem vincendam. Hoc tam rarissime evenire potest, cum ad hoc sufficere possint alia remedia, v. g., orationes, penitentiæ.

132. Quæritur 2. *Quinam viaticum suscipere teneantur.*

Resp. Circa obligationem viatici suscipiendi, hæc dicenda sunt:

1. Omnes adulti qui sunt in mortis periculo *proximo*, tenentur communicare; si periculum mortis, quamvis reale, non sit proximum, probabilius non datur communionis præceptum; inde hortandi sunt et non cogendi ad communionem mulieres prima vice prægnantes aut difficiles partus habentes, periculose navigaturi, prœliaturi. Qui in periculo mortis proximo non suscepit communionem, mortaliter peccavit, sed ad communicandum non tenetur, transacto periculo; finis enim legis desinit.

2. In eadem infirmitate non datur obligatio viaticum bis suscipiendi, etiamsi diuturna fiat; sed ille infirmus, etiam non jejunus, potest pluries communicare, ut supra dictum est. Si, transacto periculo, sed non sanata infirmitate, novum eveniat periculum proximum, non tenetur ad denuo communicandum, sed licite id facere potest, quamvis decem vel octo dies, post prius susceptum viaticum, non elapsi fuerint.

3. Qui mane communicavit et eadem die periculum mortis proximum incurrit, potest Christi viaticum suscipere, sed ad id non tenetur. Ita probabilius, quamvis valde discrepent inter se theologi.

4. Qui post susceptum viaticum mortaliter peccavit, non tenetur rursus communicare. Si autem sacrilege communionem suscepisset, præcepto divino non satisfecisset, et ideo per se et directe ad communicandum teneretur; at per accidens, ob scandalum et infamiam, a suscipienda Eucharistia, saltem per aliquot dies, excusaretur.

5. Pueri doli capaces, qui sciunt SS. Eucharistiam a com-

muni cibo distinguere, juxta Benedict. XIV, possunt et debent viaticum sumere, teneturque parochus ad viaticum illis ministrandum. — In dubio an puer sit doli capax, probabilius danda est communio; nam hæc communio illi puero certo proficiet, et in pueri favorem judicandum est.

133. Quæritur 3. *Quinam a suscipiendo viatico excusentur.*

Resp. 1. Excusantur infirmi, quando datur impotentia physica aut moralis suscipiendi SS. Eucharistiam, sive ex parte ipsiusmet infirmi, sive ex parte ministri, sive ex parte circumstantiarum, v. g., ex impietate parentum. — Infirmus sensibus destitutus evidenter excusatur a suscipiendo viatico; utrum autem ab obligatione illud ministrandi liberetur parochus, multi negant, dummodo infirmus supponatur recte dispositus et absit omnis irreverentiæ metus; quia sacramentum operatur ex opere operato, et ideo magnum commodum ex illius susceptione infirmo proveniet (Ita Suarez, disp. 69, sect. 2; Gousset, n. 232). Gury (n. 321), hanc sententiam vocat communem. Attamen, semotis casibus extraordinariis, obligatio gravis difficile imponeretur parocho; nam solum commodum infirmi non videtur sufficiens ad tale onus ei imponendum, sicut episcopus non tenetur confirmationem ministrare infirmo absque illius gratia morituro.

Resp. 2. « Diligenter curandum est, ne iis tribuatur, a quibus ob phrenesim, sive ob assiduam tussim, aliumve similem morbum aliqua indecentia cum injuria tanti sacramenti timeri potest » (Rit. Rom.). Unde si adsit periculum ejectionis hostiæ ex parte infirmi, non datur, ut patet, obligatio viaticum suscipendi.

Resp. 3. Non deferri debet viaticum ad meretricem pœnitentem, sed in domo meretricia adhuc commorantem, idque propter decentiam et reverentiam SS. Eucharistiæ exhibendam. Exeat e domo illa infanda; tuncque, si absit scandalum, communionem suscipere poterit.

§ III. An Eucharistiæ sumptio necessaria sit ex præcepto Ecclesiæ?

Expendamus oportet — 1. an et quale præceptum ecclesiasticum SS. Eucharistiam suscipiendi detur; — 2. quos obliget

illud præceptum; — 3. quandonam obliget; — 4. ubinam implendum sit.

I. *An et quale existat præceptum ecclesiasticum suscipiendi SS. Eucharistiam?*

134. — I. Nullum esse potest dubium circa istius præcepti existentiam; dicit enim conc. Lateranense IV (can. 21) : « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio sacerdoti.... *suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum*, nisi forte de consilio proprii sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum; alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, et moriens christiana careat sepultura. » — Conc. vero Trid. (sess. 13, can. 9) addit : « Si quis negaverit, omnes et singulos fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, *teneri* singulis annis, saltem in Paschate, *ad communicandum juxta præceptum sanctæ matris Ecclesiæ*; anathema sit. »

135. — II. Præceptum istud ex omnium confesso est grave; nam est de re gravi et gravibus pœnis sancitur. Illæ tamen pœnæ non sunt *latæ*, sed *ferendæ* sententiæ; quapropter parochi propria auctoritate legis hujus infractores sepultura ecclesiastica aut ingressu ecclesiæ privare non possunt; sed prudenter, secreto, benigne et instanter monitos deberent episcopo denuntiare, qui plecteret eos canonicis pœnis, si ita judicaret. — In primis Ecclesiæ sæculis, aderat præceptum ter in anno communicandi; sic legitur (c. 16, dist. 2. *de Consecrat.*) : « Et si non frequentius, saltem in anno ter laici homines communicent, in Pascha videlicet, in Pentecoste et in Natali Domini. »

136. — III. Communio ab Ecclesia præscripta pie sancteque est facienda; unde Innocentius XI sequentem damnavit propositionem : « Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem. »

II. *Quos obliget istud præceptum?*

137. — I. *Quoad adultos*, obligantur omnes et singuli

utriusque sexus sine ulla exceptione, ut manifestum est ex decretorum verbis. — Non eximuntur proinde infirmi, ad quos a parocho deferri debet SS. Eucharistia. Si tamen infirmus, extra mortis periculum, non posset communicare jejunus, recurrendum esset ad episcopum, qui ratione habita circumstantiarum declarabit utra lex, jejunii nempe vel communionis, prævalere debeat.

138. — II. *Quoad pueros*, ex citatis conciliis tenentur ad communionem, *postquam ad annos discretionis pervenerint*; circa quam clausulam observandum est, annos discretionis non censendos esse eosdem pro communione ac pro confessione; — tum ob necessitatem disparem horum sacramentorum; qui enim peccati est capax, ad suscipiendam pœnitentiam idoneus est, aut esse potest; non ita de communione; — tum ob peculiarem excellentiam SS. Eucharistiæ, quæ speciales requirit dispositiones.

Cæterum in nostris regionibus haud raro expedit ad tempus differri primam communionem, ut pueri perfectius religionis veritates ediscant et in pietate firmentur; ideoque si episcopus annum pro prima communione præfinivit, hujus mandato standum est.

III. *Quandonam obliget præceptum ecclesiasticum communionis?*

Juxta omnes fere theologos, duplex distinguendum est præceptum in decreto conc. Lateranensis, scilicet præceptum communicandi singulis annis et communicandi in tempore paschali. — Annus autem juxta plures ab ultima communione computatur, sed juxta receptam consuetudinem a *Paschate ad Pascha* decurrit, et censetur annus esse Ecclesiasticus. His prænotatis

139. — I. Nomine Paschatis vulgo intelligitur tempus currens a dominica palmarum usque ad dominicam *in albis* inclusive; alicubi tamen, vel ex consuetudine vel ex concessione episcopi, plus temporis conceditur. Jam vero qui in hoc tempore, cum possit, non suscipit communionem, mortaliter peccat, « nisi forte, ut ait conc. Lateran., de consilio proprii sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum, » dummodo hæc dilatio non

proveniat ex culpa actuali, vel negligentia præsenti pœnitentis; hæc enim causa non est rationabilis. Nomine autem proprii sacerdotis intelligitur ille qui in tempore paschali, juxta canones, audire confessiones potest.

140. — II. Elapso tempore paschatis culpabiliter vel inculpabiliter, communiter dicunt theologi communionem esse quamprimum moraliter faciendam; quia non ad finiendam, sed ad urgendam obligationem, Paschatis tempus assignatur. Alii vero, quibus annus ab ultima communione computandus videtur, existimant non dari obligationem, nisi integer ille annus elapsus fuerit.

141. — III. Qui incœpto tempore paschali prævidet se postea non posse communicare, tenetur statim communionem suscipere. Si autem nondum incœptum fuerit tempus paschale, juxta communem sententiam non tenetur, imo non potest prævenire, quia ante illud tempus non contracta est obligatio. Sed qui aliter annum computant, pro obligatione stant, si annus elapsus sit; dilationem vero concedunt, si non elapsus nec elabendus sit annus ante tempus quo facilitas communicandi dabitur; denique si medio tempore Paschatis finiendus sit annus, attendendum est ad varias circumstantias et præsertim ad tempus quo urgebit communionis annualis præceptum.

IV. *Ubinam implendum sit præceptum communionis?*

142. — I. Communio paschalis in propria parochia est facienda, ut evincitur tum ex variis SS. Pontificum constitutionibus, tum etiam ex generali Ecclesiæ praxi; non igitur præcepto satisfacit qui communicat in Ecclesia cathedrali, vel ex ipsius episcopi manu, extra parochiam suam. « Unde, inquit conc. Remense I (tit. 7, c. 2. 1850), doceatur populus christianus triplicem sibi incumbere obligationem; primam quidem semel in anno, secundam vero in Paschate, tertiam denique in propria parœcia communicandi. »

143. — II. Præceptum communicandi in parœcia est gravis. Ratio est, quia res videtur in se gravis; quorsum enim tot constitutiones et decreta SS. Pontificum ad obligationem levem adstruendam? Ita communiter (Gury, n. 484).

144. — III. Ab ea lege eximuntur — 1. ii omnes qui licentiam communicandi extra parœciam obtinuerunt ab Episcopo vel ab ejus vicariis generalibus, vel a proprio parocho. — 2. Peregrini, vagi, qui cum propriam non habeant parœciam, ubique communicare possunt. — 3. Famuli et famulæ in monasteriis regularium degentes vel perpetui commensales; possunt enim in iis monasteriis communicare; non autem illi qui identidem in prædictis monasteriis laborant. — 4. Alumni seminariorum vel collegiorum, pueri et senes in hospitiis manentes... possunt in sacellis suis communicare in Paschate ex speciali licentia vel consuetudine.

145. — IV. Controvertitur an qui communionem paschalem non recepit in parochia sua tempore præscripto, teneatur postea in parochia sua communicare; affirmant plures, negant aliqui; ob illam controversiam hortandi sunt pœnitentes ad sic communicandum, sed non cogendi, ne ab ista communione arceantur.

ARTICULUS III.

Quænam requiratur dispositiones in suscipiente SS. Eucharistiam?

Aliæ dispositiones requiruntur ex parte animæ, aliæ ex parte corporis.

§ I. De dispositionibus requisitis ex parte animæ.

146. Certum est in suscipiente SS. Eucharistiam requiri *fidem*, sine fide enim impossibile est placere Deo (*Heb.*, XI, 6); sed sola fides non sufficit, dicente concilio Tridentino (sess. 12, can. 11) : « Si quis dixerit, solam fidem esse præparationem sufficientem ad sumendum sanctissimæ Eucharistiæ sacramentum; anathema sit. »

Itaque quæstio potissimum movetur de sanctitate seu statu gratiæ; de quo sequens statuitur.

147. Assertio : *In suscipiente SS. Eucharistiam requiritur status gratiæ.*

PROB. 1. *Scrip. S.* (I *Cor.*, XI, 27) : « Quicumque mandu-

» caverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, » reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem seip- » sum homo, et sic de pane illo edat. Qui enim manducat et » bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit. » Unde sic : Ante communionem, suscipiens, ne manducet indigne corpus Domini, debet se ipsum probare : porro hæc probatio est discussio propriæ conscientiæ et excussio peccati, ut intellexit Traditio; ergo.

Prob. 2. *Traditione;* nam, juxta SS. Patres, qui ad sacram synaxim cum peccato mortali accedunt, facinora æmulantur tum Judæorum, qui genefluctentes Christo illudebant dicentes : *Ave, Rex Judæorum;* tum tortorum qui eum clavis cruci affixerunt; tum crudelium istorum persecutorum qui martyres vivos cadaveribus fœtidis alligabant. — Concil. Trident. sanctitatis necessitatem expressis verbis declarat, ut mox videbitur. — Demum theologi in hac materia sunt concordes.

Prob. 3. *Rat. theol.* Sacramentum Eucharistiæ per modum cibi spiritualis institutum fuit : porro cibus supponit vitam in suscipiente; ergo et Eucharistia vitam spiritualem in suscipiente supponit.

Diximus in assertione *status gratiæ,* quia sufficit stricte sanctitas quæ in immunitate a peccato mortali consistit; nihil enim amplius concludi potest ex allatis superius momentis, et ita docet unanimis Doctorum opinio.

Si tamen quætio esset non de communione in se spectata, sed de frequenti communione, sanctitas major requireretur, ob reverentiam sacramento debitam et ob bonum spirituale suscipientis, non autem præcise ad vitandam sacrilegam communionem, uti infra fusius exponetur.

Cæterum juxta omnes, valde congruum est, ut fideles sese per devotionem actualem ad susceptionem SS. Eucharistiæ præparent, tum ad uberiores fructus recipiendos, tum ad removendum teporem. Unde qui de ea parum curant peccati venialis rei facile evadunt (Cf. Trac. *de Sacr. in genere*, n. 118).

148. Quæritur 1. *An et quatenus gratiæ status, de quo supra, per sacramentum pœnitentiæ acquiri debeat.*

Resp. 1. Qui conscius est peccati mortalis nondum per sa-

cramentum pœnitentiæ sive directe, sive indirecte remissi, tenetur *generatim loquendo* sacramentalem confessionem præmittere. Constat ex decreto synodi Tridentinæ, quæ exortam olim controversiam inter theologos ea de re plane submovit (sess. 13, cap. 7) his verbis : « Communicare volenti revocandum est in memoriam ejus præceptum : *Probet seipsum homo.* Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, *absque præmissa sacramentali confessione* ad S. Eucharistiam accedere debeat, quod a christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc S. Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia confessarii : quod si, necessitate urgente, sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur. » Imo (can. 11) excommunicationis vinculo innodat eum qui « contrarium docere, prædicare vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere præsumpserit. »

Præceptum autem illud confessionis præmittendæ communioni, quando suscepturus SS. Eucharistiam est sibi conscius peccati mortalis, est, juxta communiorem theologorum sententiam, divinum, et a B. Paulo his verbis : *Probet autem...* promulgatum.

Dictum fuit *generatim loquendo*, quia, ut jam patet ex ultimis verbis decreti Tridentini modo citati, dari possunt casus, in quibus Eucharistia licite suscipitur, absque confessione sacramentali, et cum solo contritionis actu, etiam ab eo qui peccati mortalis conscius est. Sed de hoc infra.

Resp. 2. Qui *dubitat* an peccatum mortale commiserit, consultius aget recurrendo ad Sacramentum pœnitentiæ. An vero teneatur non constat. Affirmant plurimi tum ob verba generalia conc. Trid., tum ob finem ab illo intentum ; alii vero hanc obligationem rejiciunt, quia suscipiens non est reipsa conscius peccati mortalis, sed de illius præsentia tantum dubitat, et ideo sufficit ut contritionis actum eliciat (S. Lig., lib. 6, n. 475). Hæc sententia firmatur rubrica de defectibus in qua legitur : « Si dubium est an in præcedenti cogitatione

fuerit peccatum mortale, *consulitur* abstinendum, extra tamen casum necessitatis. »

Resp. 3. Juxta sententiam satis communem, qui *inculpabiliter in confessione omisit* peccatum mortale, non tenetur ad confitendum ante communionem; nam peccatum illud per pœnitentiæ sacramentum vere dimissum fuit; unde suscipiens nullo pacto conscius est peccati nondum remissi per pœnitentiam, sicque et verba et mens concilii Trid. servantur.

149. Quæritur 2. *Quandonam sufficiat ad licitam Eucharistiæ susceptionem status gratiæ sine sacramento pœnitentiæ acquisitus.*

Resp. Ex Tridentino sufficit status gratiæ per contritionem acquisitus, quando urget necessitas atque deest copia confessarii.

1. *De necessitate urgente.* Necessitas debet esse urgens, id est, valde gravis, nempe, v. g., viaticum moribundo administrandum; — grave scandalum vel gravis infamia vitanda, puta, si communicaturus jam esset ad communionis mensam, vel sacerdos ad altare; si sacerdos promiserit missæ celebrationem pro officio funebri, pro matrimonio, pia sodalitate, nec eam ad alteram diem possit remittere; — obligatio missæ audiendæ pro populo, in die dominico vel festivo.

2. *De defectu confessarii.* Deficere potest confessarius physice, vel moraliter. — Deest confessarius *physice*, quando realiter absens est, vel impeditur infirmitate aliave causa quin confessionem audiat.

Deest confessarius *moraliter*, quando, licet physice præsens sit, ei tamen fieri nequit confessio, quia non vult, vel est surdus, vel linguæ ignarus, vel grave timet malum pro se vel pro alio; uno verbo, omnis ratio ab integritate confessionis eximens eximit pariter ab obligatione confitendi peccata ante SS. Eucharistiæ susceptionem. At non excusat sola verecundia seu repugnantia confitendi peccata sua tali confessario.

Deesse etiam potest confessarius, quia sacerdos præsens caret facultate audiendi confessiones, puta, ob defectum approbationis; aut quia agitur de casu reservato a quo non habet absolvendi facultatem.

In primo casu nulla est confitendi obligatio; nam vere deest copia confessarii.

In secundo casu duplex fingitur hypothesis : vel præter casum reservatum alia mortalia peccata habet sacerdos celebraturus, vel non : — *si prius*, juxta communissimam sententiam confiteri debet prædictus sacerdos, et in eo casu confessarius absolvet eum directe a non reservatis et indirecte a reservatis, quæ postea confiteri debebit approbato sacerdoti (Cf. Tract. *de Pœnitentia*, S. Ligorius, n. 263, 583). Utrum autem pœnitens declarare teneatur priori sacerdoti omnia peccata, etiam reservata, plures negant, quia de illis judex esse nequit confessarius, et quia nullus tenetur bis eadem confiteri peccata; alii e contra affirmant, ut confessarius possit prudens ferre judicium circa pœnitentis sui dispositiones, et illi convenientia dare monita. — *Si posterius*, id est, si præter casum reservatum, sacerdos celebraturus nullius peccati mortalis conscius est, tunc multi, etiam posterioris sententiæ fautores, docent sacerdotem istum ad confessionem non teneri. — Imo si confessarius absolvendi facultate gaudens denegaret absolutionem, etiam juste ob defectum signorum conversionis sufficientium in pœnitente, dum ipse pœnitens hac denegatione valde commotus, vel aliis de causis, judicaret prudenter se esse vere contritum, posset sacerdos juxta eos in hoc casu ob necessitatem et absentiam alterius confessarii sacra peragere. Sed quam difficilis est hypothesis ista, quam facilis deceptio, quam terribilis error!

Hodie in pluribus diœcesibus tollitur reservatio in hac rerum necessitate et ita fere evanescit difficultas. Sed plures objiciunt ita enervari disciplinæ vigorem.

150. Quæritur 3. *Quid sibi velit clausula* QUAM PRIMUM CONFITEATUR, *in decreto Tridentino supra citato expressa.*

Resp. Hæc clausula ad solum sacerdotem spectat verumque exprimit mandatum; nam damnata est ab Alexandro VII sequens propositio : « Mandatum Tridentinum factum sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum. »

Neque intelligenda est de confessione proxima juxta morem

sacerdotis, ob damnationem alterius propositionis (n. 39), ab Alexandro VII : « Illa particula *quamprimum* intelligitur cum sacerdos suo tempore confitebitur. » — Probabilius sufficit ut sacerdos intra triduum confiteatur : quia cum hoc præceptum sit tantum ecclesiasticum, non censetur Ecclesia velle ad illud obligare cum tanto rigore.

Si tamen sacerdos esset crastina die celebraturus, teneretur antea confiteri, non quidem propter præcedentem, bene vero propter subsequendam celebrationem. Ita omnes.

§ II. De dispositionibus requisitis ex parte corporis.

Duæ sunt dispositiones ex parte corporis requisitæ, scilicet, jejunium et decentia.

I. *De jejunio.*

151. — **I. Jejunii necessitas.** Jejunium sub gravi præcipitur; nam conc. Constantiense « declarat, decernit et definit... quod, licet Christus post cœnam instituerit, et suis discipulis administraverit sub utraque specie panis et vini hoc venerabile sacramentum, tamen, hoc non obstante, SS. canonum auctoritas et approbata consuetudo Ecclesiæ servavit et servat, quod hujusmodi sacramentum non debet confici post cœnam, neque a fidelibus recipi non jejunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis, a jure vel Ecclesia concesso vel admisso. » — Jam dixerat S. August. (*Epist.* 54, alias 118, c. 6 vel n. 8, *ad Junuarium*) : « Placuit Spiritui S. ut in honorem sacramenti in os christiani prius corpus dominicum intret quam cæteri cibi. Per universum orbem mos iste servatur. »

Docent theologi cum S. Thoma (3, q. 80, a. 8), « hanc legem jejunii institutam fuisse, sive in honorem hujus sacramenti, ut scilicet in os hominis intret nondum aliquo cibo vel potu infectum; sive propter significationem, ut scilicet detur intelligi quod Christus et caritas ejus debet primum fundari in cordibus nostris; sive propter periculum vomitus et ebrietatis, quæ quandoque contingunt ex hoc quod homines inordinate cibis utantur. »

152. — **II. Jejunii natura.** In rubricis hæc reperiuntur :

« Si quis non est jejunus post mediam noctem, etiam post sumptionem solius aquæ, vel alterius potus, aut cibi, per modum etiam medicinæ, et in quantumcumque parva quantitate, non potest communicare nec celebrare. » Jejunium itaque præscriptum est abstinentia a quacumque re, per modum cibi, potus aut medicinæ, etiam in minima quantitate, post mediam noctem. Hæc sedulo expendenda sunt.

Dicitur — 1. *abstinentia a quacumque re, etiam in minima quantitate*; quia, juxta omnium theologorum sententiam præceptum istud non admittit materiæ levitatem; unde qui micam panis vel guttulam aquæ deliberate vel indeliberate sumpsit, non potest communicare. Hinc magnum est discrimen inter jejunium *eucharisticum* et *ecclesiasticum*.

Dicitur — 2. *abstinentia a media nocte*. Sic enim semper intellectum fuit et talis est universalis Ecclesiæ praxis. « Si autem ante mediam noctem, inquit rubrica, cibum aut potum sumpserit, etiam si postmodum non dormierit, nec sit digestus, non peccat; sed ob perturbationem mentis, ex qua devotio tollitur, consulitur aliquando abstinendum. »

Dicitur — 3. *abstinentia ab omni re sumpta per modum cibi, aut potus, aut medicinæ*. Quæ verba tria requiri supponunt, ut frangatur jejunium eucharisticum, nempe :

Rem ab externo provenientem; etenim res sumptæ per modum potus, cibi aut medicinæ intromittuntur ab extrinseco in stomachum. Hinc sanguis ex capite descendens, ex gengivis manans, saliva, sputa, non solvunt jejunium, etiamsi ex proposito deglutiantur, ut expresse asserit S. Lig. (n. 279).

Rem sumptam per modum cibi, aut potus, aut medicinæ, non autem per modum salivæ et respirationis. — Hinc 1. non frangeretur jejunium, si quis respirando deglutiret casualiter, id est, non ex proposito, pulverem, guttulam aquæ, flosculum nivis, vel muscam; quia id fieret per modum respirationis, sed solveretur saccharo in os pridie misso, et post mediam noctem cum saliva paulatim deglutito; cum enim in hunc finem sumptum fuit, non est reliquum comestionis præcedentis, sed adest comestio continuata donec totaliter deglutitum fuerit (S. Lig., n. 279). — Hinc 2. si reliquiæ cibi remanentes in ore

involuntaris transglutiantur, non impediunt communionem, cum non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivæ. Si autem illæ reliquiæ ex proposito deglutirentur, non concordant theologi. Negant nonnulli talem trajectionem jejunium solvere, quia non habet rationem cibi. Sed alii affirmant; hæc enim trajectio, cum ex industria fiat, nova videtur comestio. Attamen ad cavendos scrupulos tenendum est cum S. Ligor. (n. 279) nullam esse obligationem adhibendi diligentiam ad illas extrahendas e dentibus, etiamsi prævideantur cum saliva deglutiendæ. — Hinc 3. jejunium non solvit usus tabaci *in pulvere*; nam si aliqua illius particula in stomachum transit, id fit per modum attractionis, non cibi aut potus; — nec usus tabaci *in fumo*, etiamsi fumus ex proposito deglutiatur; quia fumus non sumitur per modum cibi aut potus; — imo nec etiam usus tabaci cum masticatione; nam humor tabaci non deglutitur; aut si deglutiatur, id fit per modum salivæ; at, fatentibus omnibus, valde indecens est hæc masticatio et eam a peccato veniali non excusat S. Lig. (n. 280). — Hinc 4. non violatur jejunium, si quid in os introducatur, ut charta, jusculum, et postea rejiciatur, ac proinde licet ante communionem lavare os cum aqua, etiamsi remaneant involuntarie quædam guttulæ, quæ jam per modum salivæ deglutiuntur.

Rem in stomacho alterabilem; alioquin non esset comestio aut potatio. — Hinc 1. quidquid non est digestibile, ut lapis, ferrum,... non solvit jejunium; siquidem per modum potus, aut cibi, aut medicinæ non sumitur. — Hinc 2. e contra jejunium solvunt res in stomacho alterabiles, sive nutriant, sive non, v. g., charta, folia arborum, etc.

153. — III. Causæ excusantes a jejunio. Præcipuæ sunt:

1. *Infirmitas ad mortem*, per quam intelligitur periculum proximum mortis, sive naturalis, sive violentæ. — Durante autem periculo mortis, infirmo, etiam non jejuno, iterum dari poterit communio post aliquot dies, ut loquitur Rit. Rom.; quod de diebus octo vel decem intelligunt auctores. Standum est synodalibus statutis aliquid ea de re decernentibus. — Si infirmus pluries antea singulis hebdomadibus communionem susciperet, docet S. Lig. (n. 285) pluries pariter in hebdomada

dari posse communionem. Cum res dubia sit et quibusdam subjaceat incommodis, nihil inconsulto episcopo fieri debet.

2. *Perfectio sacrificii.* Lex prohibens ne sacrificium imperfectum remaneat, præstat legi jejunii; unde — sacerdos recordans post consecrationem se non esse jejunum prosequi debet. — Si loco vini consecrati sumpta sit aqua, complendum est sacrificium. — Si celebrans post consecrationem moriatur aut deficiat, alius sacerdos, etiam non jejunus, sacrificium perficere debet.

3. *Periculum profanationis.* Sumi debent sacræ species, etiam a non jejuno, si adsit profanationis periculum, ne, v. g., SS. Eucharistia decidat in manus impiorum; quia, inquit Billuart, quod in reverentiam sacramenti præscriptum fuit, cedere non debet in ejus irreverentiam.

4. *Sumptio particularum* quæ remanent. Si sacerdos post ablutiones, sive adhuc in altari existens, sive in sacristia, dummodo vestibus sacris non sit exutus, reperit particulas a se consecratas, potest eas sumere, quia sunt velut complementum sacrificii. Si sit vestibus jam exutus, aut si agatur de particulis ab illo non consecratis, in eo casu, si nullum sit tabernaculum, vel nullus sit mox celebraturus, vel timeatur scandalum, potest eas sumere. Si detegatur parvula hostia integra, reponi debet in ciborio; si non sit ciborium vel sacerdos mox celebraturus, in crastinum diem reservari debet, cum debita reverentia; at si nulla ibi multis diebus celebrari non debeat missa, hanc hostiam sumat, dicente rubrica : « Si non habeat quomodo honeste conservetur, posset eam ipsemet sumere. » (DD. Gousset, n. 199.)

5. *Periculum scandali vel infamiæ*; quia præceptum jejunii est præceptum humanum, quod proinde non potest cum tanto incommodo obligare; ita communissime auctores. Et certe, cum, ex jam dictis, sacerdos qui etiam ante consecrationem recordatur se aliquid comedisse, nam obligatur ad discedendum ab altari, quando sine scandalo aut infamiæ nota non potest, merito concluditur posse, propter vitandam infamiam, communionem accipi a non jejuno. — Hinc sacerdos non jejunus potest celebrare Missam die Paschæ, aut Pentecostes, aut ma-

gni concursus populi; nam ordinarie in his diebus non posset a Missa celebranda abstinere absque gravi scandalo. Utrum idem dici possit pro simplici die dominica, res a priori dirimenda non est, sed sedulo expendendum est an, attentis omnibus, grave futurum sit scandalum. Fatentur autem auctores adimpletionem legis præcipientis Missæ auditionem die dominica non sufficere per se, ut sacerdos non jejunus celebret (DD. Gousset, n. 198).

Juxta communiorem sententiam celebrari non debet Missa a non jejuno sacerdote, ne etiam infirmus sine viatico moriatur, saltem si infirmus iste in casibus ordinariis constituatur (S. Lig., n. 286).

II. *De corporis decentia.*

154. — I. Jure naturali ea requiritur corporis et vestium compositio, quæ internam animæ reverentiam et devotionem exhibeat. — Hinc mulieres accedere debent in ornatu sancto, et, si quædam ex illis valde indecenter se præsentarent, illis deneganda esset communio, juxta dicta in Tract. *de Sacramentis* (n. 104). — Hinc convenit ex decentia et humilitate christiana, ut milites communicaturi ad sacram mensam, depositis armis, accedant. Nulla tamen lege ad id obligantur.

155. — II. Nulla prorsus corporis macula per se impedit a communione suscipienda, cum Eucharistia sit tantum cibus animæ cujus puritas corporis macula minui nequit. Decentia tamen et reverentia tanto sacramento debita exigit, ut, si sordes exterius apparentes auferri possint, diligenter auferantur. — Hinc sacerdos infectus lepra aut alia infirmitate horrorem excitante, celebrare potest, non tamen in publico.

ARTICULUS IV.

De frequenti communione.

Duo circa præsentem materiam quæruntur: — 1. an frequens communio sit præscripta, aut saltem utilis; — 2. quænam dispositiones requirantur ad frequentem communionis usum.

§ I. An frequens communio sit præscripta aut saltem utilis?

156. Errores. — P. Pichon, e societate Jesu, nimio ardore flagrans erga SS. Eucharistiam, asseruit in libro cui titulus : *L'esprit de Jésus-Christ et de l'Eglise sur la fréquente communion*, frequentem imo et quotidianam communionem esse jure divino præscriptam. Contra hujusmodi doctrinam insurrexerunt ex omni regione episcopi et doctores, et ipse P. Pichon, humilitate certo ac pietate conspicuus, opus suum reprobavit.

E contra alii, e schola potissimum Janseniana, tot et tam perfectas requisierunt ad frequentem communionem dispositiones, ut nullus fere sit qui possit frequenter communicare; unde statuunt generatim perfectius et utilius esse a frequenti communione abstinere. Ita imprimis A. Arnaud in libro cui titulus : *De la fréquente communion,* qui rectius inscriberetur : *Contre la fréquente communion.*

Adversus hos errores, sequens statuitur :

157. Assertio : *Frequens communio non est quidem præscripta, sed tamen valde animabus utilis est.*

Prima pars ob omnibus admittitur; Ecclesia quippe nunquam docuit nec tenuit frequentem communionem esse præscriptam.

Secunda pars, quæ spectat *ad utilitatem communionis frequentis*, adstrui potest

1. *Praxi primitivæ Ecclesiæ*, in qua frequens communio valde commendabatur; legitur enim (*Act.*, II, 42) : « Erant » perseverantes in doctrina Apostolorum, *in communicatione* » *fractionis panis* et orationibus. » Hanc praxim suis temporibus viguisse testantur SS. Patres; nam S. Justinus (*in Apologia I*, n. 67), hæc habet : « Solis qui dicitur die, omnium qui vel ruri degunt, in eumdem locum conventus fit... et *distributio communicatioque fit eorum in quibus gratiæ sunt actæ, cuique præsenti, absentibus autem per diaconos mittitur.* » — S. Cyprian. (in *Expositione orationis dominicæ*) ait : « Eucharistiam *quotidie* ad cibum salutis accipimus. »

2. *Decisionibus Ecclesiæ.* Conc. Trid. (sess. 22, cap. 6) ait : « Optaret sacrosancta synodus, ut *in singulis Missis* fideles

adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior proveniret. » — Et (sess. 13, cap. 8) : « Paterno affectu admonet sancta synodus, hortatur, rogat et obsecrat per viscera misericordiæ Dei nostri, ut omnes et singuli, qui christiano nomine censentur... hæc sacra mysteria corporis et sanguinis ejus (Jesu Christi) ea fidei constantia et firmitate, ea animi devotione, ac pietate et cultu credant, et venerentur, ut *panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint.* » — Innocent. XI, in suo decreto, die 15 febr. 1679 dato, dicit : « Etsi *frequens quotidianusque SS. Eucharistiæ usus a SS. Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus*, nunquam tamen aut sæpius illam percipiendi, aut ab ea abstinendi certos singulis mensibus aut hebdomadis dies statuerunt...; illud omnino provideat (episcopus) ut nemo a sacro convivio, seu *frequenter*, seu *quotidie accesserit*, repellatur. » — Demum S. Congregatio concilii Tridentini damnavit episcopum qui quosdam in hebdomada dies indixerat extra quos communionem dare non licebat.

3. *Rat. theol.* Eo ipso quod Christus Eucharistiam per modum alimoniæ spiritualis instituit, sufficienter significavit hunc cœlestem cibum sæpe sæpius sumendum esse, sicut panis materialis ad vitam corporalem servandam et augendam sæpe sumitur.

158. Corollarium. His statutis, concludere pronum est omnem curam a confessariis adhibendam esse ut pœnitentes suos amore divino inflamment, et possint illos, juxta S. matris Ecclesiæ desiderium, ad frequentem, imo ad quotidianam communionem admittere. Caveant præsertim ne fideles sufficienter dispositos a sacra mensa arceant; nam, ut ait S. Lig (*Praxis conf.*, n. 152), « videtur non posse director sine scrupulo negare communionem frequentem et etiam quotidianam quibusdam animabus desiderantibus, ut proficiant in divino amore.»

Attamen maxima prudentia necessaria est in deneganda vel concedenda sacra communione; quod enim dixit de Christo B. Simeon (*Luc.*, II, 34) : « Ecce positus est hic in ruinam et » in resurrectionem multorum in Israel, » in SS. Eucharistia

præsertim verificatur; nam si Christus digne suscipiatur, augetur fides, firmatur spes et inflammatur caritas; si autem sine debitis dispositionibus accipiatur, frigescunt animi et in tepiditatem ac irreverentiam incidunt.

§ II. Quænam dispositiones requirantur ad frequentem communionem?

159. Prænotanda. Certum est — 1. *communionum numerum et opportunitatem a confessario, minime vero a pœnitente, præfinienda esse.* — « Frequens (ad Eucharistiam) accessus, inquit Innocentius XI in suo decreto, confessariorum judicio est relinquendus. » — Talis insuper agendi ratio expostulatur ab omnibus animarum directoribus, et valde convenit humilitati, submissioni ac obedientiæ requisitis in pœnitentibus.

Quod ad regulares, sive viros, sive feminas, attinet, usus communionis pro communitate ordinarie instituto ordinis ab auctoritate competenti approbato determinatur; cui proinde regulariter stare debet confessarius. Si vero ex manifestatione conscientiæ pœnitentis confessarius judicet opportunum, talem vel talem pœnitentem aliqua communione instituto ordinis permissa privare, aut alium ad frequentiorem communionem admittere, sane utrumque poterit, cum ipse, confessionis ope, plane cognoscit speciales circumstantias, propter quas specialis expostulatur agendi ratio in tali vel tali casu determinato.

Itaque nec ad superiorissam, nec ad superiorem non confessarium, pertinet ut per modum præcepti vel prohibitionis definiant quoties subditi intra mensem aut hebdomadam accedere debeant ad sacram communionem. Hi tamen, ex *potestate dominativa*, qua potiuntur, poterunt interdum, ob veram utilitatem, aliquem subditum ab una aut altera communione instituto ordinis præscripta prohibere; si alioquin ejusmodi pœna, inquit Suarez (*de Relig.*, Tr. 8, l. 2, c. 9, n. 10) sit conformis regulæ, ordinarium modum disciplinæ non excedat, et non inferatur proprie ut est spiritualis privatio, sed ut inducit aliquam notam vel ruborem. » Idem dicendum de communione frequentiori a confessario permissa, si ille aut illa

cui concessa fuit in externa agendi ratione talem se exhibeat, ut non sine scandalo aliorumve sodalium querelis frequentius communicaret (Cf. Gury, editio a P. Ballerini annotata, n. 341).

160. Certum est — 2. *communionum frequentiam ex utilitate pœnitentis determinandam esse.* — Ratio est quia Eucharistia, prout est sacramentum, ad sanctificationem suscipientium procurandam ordinatur. Caveant proinde directores ne fallantur hoc principio falsissimo quod communio habenda sit veluti *merces virtutis,* cum e contra juxta doctrinam SS. Patrum medium sit ad virtutem acquirendam.

Cæterum utilitas communionis non dijudicanda est solum ex progressu in fervorem, sed etiam ex victoria supra dæmones, ex resistentia tentationibus, ex perseverantia in operibus bonis; quæ omnia sedulo pensanda sunt. Attendat etiam confessarius ad Spiritus S. impulsum ; non enim eadem via fideles ad cœlum diriguntur : alii amore; alii timore; in istis amor præcellit, in illis vero major est timor vel reverentia in SS. Eucharistiam.

Hinc « si aliquis experimentaliter cognosceret ex quotidiana sumptione fervorem amoris augeri et reverentiam non minui, talis deberet quotidie communicare » (S. Thomas, *in Sent.*, dist. 12, q. 3, art. 1). Econtra, « si dignoscatur, non obstante frequentia communionis, animam nihil proficere in viam perfectionis, nec se emendare a culpis deliberatis, licet venialibus, v. g., si æque adhæret voluptatibus sensuum in videndo, audiendo, edendo, cum aliqua vanitate se vestiendo, tunc certe consulto restringendus erit usus communionis, ut et sic serio cogitare incipiat de sua emendatione et spirituali profectioni consulere » (S. Lig., *Prax. conf.*, n. 155). Imo expedit aliquando privare pœnitentes communione, non tantum in pœnitentiam alicujus peccati aut notabilis imperfectionis, sed etiam probationis causa, videlicet ad experiendam eorum obedientiam aut humilitatem, et præsertim ut appareat an exinde turbentur, quod argumentum esset superbiæ.

Si vero dubitetur non quidem de statu gratiæ, sed de præsentia dispositionum ad communionem plus minusve frequen-

tem requisitarum, communio potius concedatur quam denegetur. Ratio est quia in prædicto dubio certum est communionem nec sacrilegam, nec nullam fore, ac proinde aliquam gratiam sanctificantem ex opere operato ab ea producendam esse. Insuper hæc decisio conformior est tum naturæ SS. Eucharistiæ, quæ, cum sit panis quotidianus, quotidie sumi debet, nisi aliquod obstet impedimentum; tum praxi primitivæ Ecclesiæ, juxta quam omnes fideles SS. Eucharistia quotidie reficiebantur.

161. Certum est — 3. *nullum statum socialem per se removere a communione; multum tamen attendendum esse ad pœnitentis conditionem.*

Et quidem 1. nullus status per se removet a communione; in primo quippe Ecclesiæ ævo quotidie communicabant fideles, quamvis in variis societatis conditionibus versarentur. « Ceux qui n'ont pas beaucoup d'affaires mondaines, inquit S. Fr. Salesius, doivent souvent communier, parce qu'ils en ont la commodité, et ceux qui ont beaucoup d'affaires mondaines, parce qu'ils en ont la nécessité, et que celui qui travaille beaucoup, et qui est chargé de peines, doit aussi manger les viandes solides et souvente fois » (*Introduction*, p. 2, ch. 21).

At 2. multum attendendum est ad pœnitentis conditionem; ex ea enim plurimum pendet profectus spiritualis. — Hinc 1. primis conversionis temporibus, in frequentissima communione sæpe adesse potest tum superbiæ, tum desidiæ periculum. — Hinc 2. discrete permittatur communio eis qui actualiter non dant signa certa fervoris, et postea ad sacram synaxim probabilius raro accedent, ne in majorem incidant tepiditatem : quod, teste experientia, sæpe accidit. — Hinc 3. quando agitur de quibusdam tentationibus, potissimum carnis, superandis, utiliter frequentior permittitur communio; valde enim cor emundat Agnus ille totius puritatis, vires auget, fomitem peccati minuit et diaboli audaciam retundit.

His prænotatis, ad determinandum usum plus minusve frequentem communionis, sequentes communiter traduntur regulæ :

162. Regula 1ª : *Communio menstrua nemini sat disposito*

deneganda est, imo omnibus maxime consulenda, etiamsi vitam degant negotiis sæcularibus implicatam.

Ita communiter; et ratio est quia talis communio fidelibus maxime utilis est, tum ob gratiam sanctificantem sacramentis ex opere operato annexam, quamque suscipiunt fideles; tum ob varios actus pietatis, quos ante et post sacram synaxim elicere debent. Sine hac menstrua communione perdifficilis est tentationibus resistentia et in vita christiana perseverantia. Satagant igitur confessarii, ut sui pœnitentes ante et post communionem per aliquot dies quibusdam piis operibus vacent, de communione quadamtenus cogitent; tuncque sine ulla hæsitatione communionem eis permittant, etiamsi in peccata mortalia aliquoties relabantur.

163. Regula 2ª : *Communio hebdomadaria permitti potest, imo et consuli, iis qui graves culpas ex habitu non committunt communionisque desiderium habent, etsi pluribus vitiis levibus laborent, nec ullatenus sint de emendatione solliciti.* Ita S. Ligor. (*Prax. conf.*, n. 149), S. Antoninus, Scavini, Scaramelli.

Et revera personæ de quibus agitur, cum vitam christianam agant, sufficienter dispositæ sunt ut præcipuum sacramenti effectum percipiant. Aliunde hæc communio octidua non adeo frequens videtur, ut generet familiaritatem et viam torpori spirituali præbeat.

Aliter tamen sentire videtur S. Franciscus Salesius, qui (*Introd. vie dévote*, 2 p., ch. 20) ait : « Communiez tous les dimanches, Philothée; puisque, comme je le présuppose, vous n'avez nulle sorte d'affection au péché mortel, *ny-aucune affection au péché véniel*, vous estes en la vraie disposition que S. Augustin requiert... Pour communier tous les huit jours, il est requis de n'avoir ny-péché mortel, *ny-aucune affection au péché véniel*, et d'avoir un grand désir de se communier. » Hæc autem sententia, quam auctores communiter dicunt textu, non S. Augustini, sed Gennadii, sacerdotis Massiliensis, inniti, ipsamet S. Francisci experientia non parum roboratur, nec proinde parvipendenda est. Quamvis enim octidua communio, in his qui pluribus vitiis levibus laborantes, de sua emendatione parum curant, id utilitatis habere possit ut eos a

peccati lethalibus efficacius præservet, forsan timendum est, ne animæ, quæ ad perfectionem tendere debent, *si cum affectu peccandi* sacram mensam singulis hebdomadibus frequentent, exiguos fructus ex communione percipiant, imo a profectu spirituali retardentur.

Cæterum omnes fatentur expediens esse prædictis personis aliqua hebdomada communionem interdicere, ut majorem concipiant horrorem in suos defectus et majorem erga sacramentum hoc reverentiam (S. Lig.. *Prax. conf.*, n. 149).

164. Regula 3ª : *Communio frequens, seu pluries in hebdomada, permitti potest aut etiam consuli iis fidelibus, qui, licet debiles, officia boni christiani servant, Deum amare, colere et orare gestiunt, orationi mentali aliquod tempus libenter quotidie tribuunt, nec in culpas veniales sæpius labuntur, vel si labuntur, de iis dolent emendationemque proponunt.*

Ita Innocentius XI, Benedictus XIV, S. Ligorius (n. 150, 153), S. Francisus Salesius, et alii : « Præcipue monendi sunt confessarii, ait Benedictus XIV, ne frequenter ad Eucharistiæ accessum iis aut suadeant, aut permittant, qui in gravia peccata sæpe labuntur, nec de pœnitentia peragenda, suaque vita emendanda sunt solliciti; sicuti nec illis, qui etsi gravia evitent crimina, voluntatem tamen habent venialibus inhærentem; qua de re legendi sunt Fr. Salesius et Joan. Taulerus. »

Unde ad hujusmodi communionem omnino requiritur ut non adsit affectus ad peccata venialia. Ratio est, quia ille qui ita habitualiter dispositus esset ut Deo venialiter displicere vellet, hunc divinum hospitem contristaret, eum debita reverentia non coleret, mox spiritualibus assuesceret, et propter spiritualem torporem, ad hanc familiaritatem contemptui proximam, quæ tantopere formidanda est, quasi necessario perveniret. Expedit tamen aliquando, pergit S. Ligorius (n. 149), concedere communionem aliquibus, qui essent in periculo labendi in peccata lethalia, ut vires recipiant ad resistendum.

165. Regula 4ª : *Quotidiana communio iis concedenda est, qui non tantum affectu ad culpas veniales carent, sed etiam pravas inclinationes majori ex parte superarunt, piis exercitiis*

incumbunt, ad perfectionem serio tendere conantur et magnum habent communicandi desiderium.

Ita omnes Doctores in re ascetica probatissimi post S. Ligorium et S. Franciscum Salesium dicentem : « Pour communier tous les jours, il faut outre cela avoir surmonté la pluspart des mauvaises inclinations, et que ce soit par advis du Père spirituel. »

Ratio evidens est ; qui enim pluribus adhuc subjiceretur imperfectionibus notabilibus, vel ad perfectionem serio non tenderet, non videretur sufficienter dispositus ad hoc sacramentum quotidie accipiendum. Præterea ex illa quotidiana communione aliquod scandalum paterentur fideles. — Expedit tamen, si causa subsit, interdum semel, et aliquando etiam pluries in hebdomada communionem prædictis personis subtrahere.

Nec dicatur sacerdotes quotidie communicare, quamvis non semper has eximias dispositiones habeant. Nemini quidem dubium est sacerdotem celebrantem præcellenti sanctitate donari debere, quippe qui sacra mysteria suscipit et conficit. Attamen cum dispositionibus minus perfectis missam celebrare potest, tum ob eximios effectus ex Christi oblatione provenientes, tum ob necessitatem celebrandi, in qua sæpe sæpius versatur.

Ex his omnibus sequitur, ut advertit Scavini, *nullum* esse cui *menstrua* communio *consuli* non possit; *paucos* quibus communio *hebdomadaria* sit *prohibenda; paucissimos* quibus *quotidiana* sit *concedenda.*

Si autem velit confessarius animas usu communionis valde proficere, sedulo curare debet non solum ut fideles ad sacram mensam imparati et indispositi non accedant, sed etiam ut post communionem *in gratiarum actione* convenienti tempore immorentur.

166. Scholium. De communione spirituali. — Communio spiritualis dicitur : *pium desiderium Eucharistiæ sacramentum suscipiendi, cum realiter suscipi non potest.* Hinc ad eam requiritur — 1. *Actus fidei,* quo spiritualiter communicans Christum vere in Eucharistia præsentem sibi exhibeat, —

2. *Actus mentis*, quo sibi in animo fingat se jamjam ad sacram mensam accedere, et hostiam e manu sacerdotis accipere. — 3. *Actus desiderii*, quo exoptet Christum in sacramento suscipere.

Hæc communio, quæ sanctis valde in deliciis fuit et commendatur a conc. Trid. (sess. 23, c. 8), piis fidelibus valde utilis est. Etenim, si Deus præmio afficiet pium cujuscumque virtutis desiderium, quanto magis desiderium ipsummet possidendi! A confessariis igitur fidelibus sedulo insinuanda, et vehementissime commendanda est.

Communio spiritualis omni tempore, et in omni loco fieri potest, tam mane quam sero. Tempus tamen opportunius ipsius est Missæ tempus, quo scilicet sacerdos communicat; tunc enim, cum augustissimum Sacramentum oculis exhibeatur, vividius et menti repræsentetur, ardentius corda divino amore inflammabit (Gury, n. 345).

PARS III.

DE SACRIFICIO MISSÆ.

167. Prænotiones. Absolutis quæ ad Eucharistiam pertinent quatenus est sacramentum ad hominum sanctificationem ordinatum, nobis de ea agendum superest quatenus est sacrificium ad cultum divinum institutum. Ut vero quæ dicenda sunt dilucidius explanentur, nonnulla præmittenda ducimus — 1. de sacrificio generatim inspecto; — 2. de sacrificiis ante Christum usurpatis; — 3. de nomine ac definitione sacrificii Eucharistiæ. Quod attinet ad sacrificium crucis, cujus Eucharistia est viva repræsentatio et commemoratio, videatur Tractatus *de Deo Redemptore*.

I. *De sacrificio generatim inspecto.*

168. — I. Sacrificii nomen et variæ significationes.

Hæc vox *sacrificium*, quæ græce vertitur ιερουργια vel θυσια, latine idem sonat ac *sacra facere*, proprieque designat actionem qua aliquid sacrum efficitur.

Si autem vox sacrificium spectatur quoad res quibus imponitur, multiplicem sensum præ se fert. In usu profano accipitur pro abdicatione alicujus rei ad amorem erga alterum exhibendum : sic parentes pro filiis, milites pro patria, vitam *sacrificare* dicuntur. — In sensu vero religioso, qui præsertim ad nos attinet, sumitur tum pro quovis opere bono quod aliquam privationem vel difficultatem includit, juxta illud : « Qui » facit misericordiam, *offert sacrificium* » (*Eccles.*, XXXV, 4); tum pro qualibet actione quæ ad gloriam Dei et honorem refertur, secundum hæc Davidis (*Ps.* IV, 6) : « Sacrificate *sacri-* » *ficium justitiæ*, » vel (*Ps.* XLIX, 14) : « Immola Deo *sacrificium* » *laudis.* » Illas vero significationes analogas esse et metaphoricas patet ex contextu.

169. — II. Genuina sacrificii notio. Et vero sacrificium communiter definitur: *Oblatio externa rei sensibilis, per realem ejus immutationem, a ministro legitimo soli Deo facta, ex institutione publica, ad recognoscendum summam ejus excellentiam supremumque dominium, et pro statu naturæ lapsæ ad profitendum divinam justitiam hominisque reatum.*

Dicitur 1. *oblatio*, id est, doni præsentatio. Sacrificium enim est actio, non quælibet, sed quæ versatur circa aliquid extrinsecum et includit alicujus rei abdicationem. In hoc tamen indicatur tantum genus ad quod refertur sacrificium.

Dicitur 2. *externa*, scilicet, non mere ex animo, sed exterius facta. Quamvis enim Deus intueatur cor, nec egeat exteriori illius manifestatione, ab homine tamen corpore et animo constante dona sibi cum interno affectu offerri exigit, quibus publice suam religionem profiteatur.

Dicitur 3. *rei sensibilis*, seu alicujus substantiæ sive animatæ sive inanimatæ, quæ ex natura sua vel institutione positiva convenienter Deo possit offerri et hominis loco substitui, sicut exigitur ad sacrificii finem, saltem in statu naturæ lapsæ. Ideo etiam requiritur ut hæc res sive per propriam, sive per alienam mutuatamque speciem sub sensibus cadat; nec immerito

dicitur *materia sacrificii*, seu communius victima vel hostia.

Dicitur 4. *per realem ejus immutationem*. Cum enim sacrificii finis attingi nequeat, nisi protestetur homo se quidquid est aut habet a Deo accepisse mortisque reatum incurrisse per peccatum, ac proinde dignum esse Deum in cujus honorem et cultum omnia sua vitamque ipsam consumat ac destruat, nec tamen sibi mortem inferre possit, omnino requiritur rem consecratam suique loco substitutam ita immutari, ut destructa censeatur. Quod quidem duplici modo fieri potest : per physicam scilicet destructionem, aut per destructionem moralem et æquivalentem, quæ victimam in statu decliviori et ad exinanitionem naturaliter vergente constituat. Hæc autem destructio, proprie est actio sacrifica et *forma sacrificii*.

Dicitur 5. *a legitimo ministro*, quo nomine intelligitur sacerdos aut pontifex, homo scilicet specialiter ac authentice sive a Deo sive a societate deputatus ad res sacras peragendas muneraque offerenda. Enimvero sacrificium ad cultum publicum pertinet, quem pro tota societate sibi exhibitum Deus acceptat, ac propterea non ad quemlibet spectat actionem sacrificam exercere, sed ille eligendus est, qui ex hominibus assumptus eos repræsentet, et sit a Deo authentice approbatus, juxta illud B. Pauli (*Heb.*, v, 1) : « Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis. » Ita communiter auctores contra Vasquez, qui contendit privatum hominem, spectata sacrificii natura, sacrificium proprio nomine offerre posse ; sed quam immerito illud asserat, exinde colligitur quod hæc oblatio ejusdem significationis ac proinde rationis esse nequeat quam oblatio humanæ societati probata et ejus nomine facta. Imo, data institutione divina religionis, jure contigit Deum sibi reservasse sacrificii rituum ipsiusque ministri determinationem. Unde in lege naturæ, instinctu quodam divino deputabantur qui sacrificium offerrent, vel necessaria erat Patriarchæ dignitas, aut primogeniti qualitas ; in lege Mosaica, soli admittebantur filii Aaron, solo excepto sacrificio agni paschalis, qui a patrefamilias mactabatur. In nova autem lege, requiritur consecratio characterque sacerdotalis.

Dicitur 6. *soli Deo facta.* Ex dictis enim infraque evolvendis, in sacrificio res substantialis offertur, consecratur et immutatur ad profitendum summam Dei excellentiam, supremum ejus dominium et justitiam, nostramque omnimodam ab eo dependentiam. Jam vero nemo non videt ad solum Deum dirigi posse hujusmodi protestationem quæ ad latriæ cultum refertur.

Dicitur 7. *ex institutione publica.* Nam, ut jam innuimus, sacrificium pertinet ad cultum publicum et solemnem, qui scilicet nomine totius societatis humanæ Deo persolvitur; ac propterea, licet privatus eadem symbola assumere possit ad suos religionis sensus patefaciendos, nunquam tamen eis hanc valebit significationem conferre quæ cultus publici sit expressio. Per auctoritatem ergo publicam, cui subest religiosa societas, determinanda est significatio rerum et rituum quæ in sacrificio adhibentur, nec sufficit eorum significatio naturalis, aut ab homine privato indita. Cum tamen Deus sit humanæ societatis conditor ac reparator, cultus externi ac publici ordinationem quoad essentialia potuit sibi reservare et de facto reservavit. Hinc intelligitur quomodo nec in lege Mosaica, nec in Novo Testamento, sacrificii institutio in potestate Ecclesiæ fuerit; intelligitur etiam quonam pacto contingat, ut in quibusdam ritibus externis cultus christiani possit reperiri materia et forma per se sufficiens ad rationem sacrificii, etsi tamen sint tantum cæremoniæ ad veri sacrificii splendorem rerumque altissimarum quæ in eis latent contemplationem ordinatæ (Conc. Trid., sess. 22, c. 5).

Dicitur 8. *ad recognoscendum summam Dei excellentiam supremumque ejus dominium.* Quibus verbis, ut jam supposuimus, declaratur finis sacrificii primarius et absolute essentialis, ille scilicet qui *a priori* et ex natura rerum in omni generis humani statu ei competit. Quælibet enim fingatur hypothesis, sacrificium ad hunc finem offerri debuit, nempe ad significationem summæ Dei excellentiæ, supremique ejus dominii. Hæc autem significatio non re quidem, sed aspectu duplex est : nam relative ad Deum, victimæ destructio objective exprimit eam esse entis divini excellentiam ejusque supremum jus, ut omnia

coram eo veluti nihilum habenda sint et ab eo pendeant ut sint aut non sint; — relative autem ad hominem, exterius significat hujusmodi Dei excellentiam et dominium sic interius ab ipso per intellectum agnosci et per voluntatem acceptari, ut vitam suam totumque suum esse in ejus honorem impendi exoptet.

Dicitur 9. *et ad profitendum divinam justitiam hominisque reatum.* Et vero, jure divino per peccatum violato, relationes hominis cum Deo necessario immutatæ sunt, novaque in sacrificio requisita est significatio : quippe quod expressio esse debuit justitiæ divinæ reparandæ mortisque reatus homini incumbentis.

Ex quibus colliges sacrificium cum sacramento in hoc convenire quod sit in genere signi sacri et habeat materiam, formam et ministrum, unde sacramentum appellari possit; sed specifice tamen ab eo differre ratione finis proximi et significatione. Sacramenti enim finis immediatus et significatio est hominum sanctificatio; sacrificii autem, cultus summæ Dei majestati et justitiæ actu externo exhibitus.

Hinc etiam merito S. Augustinus (*de Civit. Dei*, l. 10, c. 5) hanc sacrificii definitionem tradidit : « Sacrificium visibile invisibilis sacrificii sacramentum, id est, sacrum signum est. » Nam sacrificii dignitas et valor per se desumuntur ex sacrificio interno, seu ex interna agnitione summæ Dei excellentiæ, dominii et justitiæ, et iisdem subjectione per affectum voluntatis. — Attamen fieri potuit, et revera factum est, ut sacrificiis quæ variis temporibus usurpata fuerunt specialis dignitas obvenerit, tum ex eorum relatione ad mysteria Christi quæ repræsentabant, tum ex ipsa victima, si specialis ei insit valor, uti contingit in sacrificio Christi.

170. — III. Excellentia et convenientia sacrificii. Præfata definitio innuit quidem excellentiam et convenientiam sacrificii; non abs re tamen erit utramque paulo fusius hic ostendere. Porro asserimus

1° *Nullum esse in religione actum qui sacrificio præstet.* Et vero, si *ex parte Dei* attendatur, summas ejus perfectiones mirum in modum extollit et celebrat, nempe : — *summam*

Dei excellentiam, quæ per immutationem victimæ tanta esse declaratur, ut omnes creaturæ velut nihilum coram eo habendæ sint, ac proinde destruendæ; — *sufficientiam perfectam*, quæ hoc ipso arguitur quod non serventur res illi oblatæ, juxta illud Psalmistæ (*Ps.* xv, 2) : « Deus meus es » tu; quoniam bonorum meorum non eges; » vel etiam manifestatur voluntaria rei oblatæ destructione, qua Deus ostenditur ut solus vitæ indeficientis fons inexhaustus bonique plenitudinem continens; — *dominium supremum*, cujus argumentum quoque est ille rerum usus et abusus qui ad destructionem earum usque pertingit, nec ullis limitibus constringitur; — *dignitatem primi principii ac ultimi finis*, quia substitutio victimæ pro homine ejusque consecratio ac mactatio aperte exprimit nobis Deum esse principium a quo existentia, vita, omniaque bona procedunt; nec nisi in ipso, tanquam ultimo fine ac consummatore, plenam appetitus nostri satietatem et requiem inveniri posse; — *justitiam denique, sanctitatem et bonitatem;* per sacrificium enim fatetur homo se jus divinum violasse, ac proinde reatum mortis incurrisse; omnino quoque se imparem propter suum crimen agnoscit Deo placando, cujus hæc est sanctitas ut etiam in angelis reperiat pravitatem. Substituta tamen victima pura, munda et impolluta, ostendit se a Deo sperare veniam novamque bonorum amissorum largitionem.

Si autem *ex parte hominis* spectetur sacrificium, eminenter includit cætera quæ Deo persolvere tenetur officia. Tota enim religio consistit in agnitione et professione absolutæ nostræ dependentiæ a Deo per *adorationem*, *gratiarum actionem*, *petitionem ac satisfactionem pro peccato*. Porro attributa Dei supra enumerata celebrare non possumus per sacrificium, quin hæc omnia religionis officia Deo vere ac perfecte persolvamus. Ergo.

Unde apud omnes populos sacrificia habita sunt ut suprema religio, ipsique sacerdotes ea offerentes reverentiam, honorem, auctoritatem ac peculiara privilegia semper sibi conciliaverunt, utpote mediatores Deum inter et homines, imo Dei familiares, commensales et amici.

2° *Sacrificium juri naturali valde convenire, licet ab eo non stricte exigatur.* Nam — 1. Deo debetur supremus cultus, tum interior qui præcipuus est, tum exterior qui interioris signum est ac protestatio. Atqui, ex dictis, nulla est sensuum religionis internæ protestatio expressior quam sacrificium. Ergo valde congruit honorando Deo. — 2. Homo qui corpore et anima constat, totum Deo se mancipare tenetur, et insuper cum aliis hominibus in unitatem religionis signis sensibilibus sociandus est. Atqui utrique huic fini attingendo aptissima sunt sacrificia. Ergo, si secundum suam naturam agat, tenetur homo ea offerre. Confirmat S. Thomas (2^a $2^{æ}$, q. 85, a. 1), dicens : « Ex naturali ratione procedit, ut quemadmodum dominis temporalibus aliqua offeruntur in recognitionem dominii, ita etiam Deo, tanquam supremo omnium Domino, quasdam sensibiles res in signum debitæ subjectionis et honoris offeramus; unde sacrificiorum oblatio ad jus naturæ pertinet. » — 3. Usus sacrificiorum semper et apud omnes populos obtinuit. Porro, juxta Doctorem angelicum (*loc. cit.*), « quod est apud omnes videtur naturale esse; » hinc ubique supremo numini erecta fuere simulacra, statuæ et altaria; hinc et hominibus quos popularis superstitio ut deos venerari aggrediebatur, sacrificia confestim offerebantur. Merito ergo concludere possumus sacrificia innato cuidam sensui hominis religioso apprime convenire.

Diximus *sacrificia non stricte exigi.* Jus enim naturale stricte tantum requirit, ut aliquo actu externo, sensibili ac publico, manifestetur hominis erga Deum subjectio et obsequium. Porro hoc sine sacrificio fieri potest. Ergo sacrificium jure naturali stricte non exigitur.

171. — IV. Divisio sacrificii. Multiplici modo dividitur sacrificium.

1. *Ratione sui*, in *absolutum*, quod in se completum est, neque ulla relatione ad aliud perficitur; — et in *relativum* seu commemorativum, quod, ut perficiatur, ad aliud referri debet.

2. Ratione *materiæ*, in *hostiam*, seu victimam, cujus materia erant animalia; — in *immolationem*, cujus materia desu-

mebatur ex rebus solidis et inanimatis, v. g., terræ frugibus, thure, etc.; — in *libamen*, cum liquida Deo offerebantur.

3. Ratione *formæ* dividebatur, sub veteri lege, in *holocaustum*, cum res oblata igne tota destruebatur; — in *hostiam*, seu sacrificium *pro peccato*, cujus una pars consumebatur, altera vero cedebat in usum sacerdotum, qui in atrio templi ea vescebantur, et ideo peccata populi veluti comedebant; — et in *hostiam pacificam*, cujus pars una comburebatur in honorem Dei, altera cedebat in usum sacerdotum, alia vero in usum offerentium.

4. Ratione *modi*, sacrificium dicitur *cruentum*, quando datur sanguinis effusio; — et *incruentum*, si fiat absque sanguinis effusione.

5. Ratione *finis*, sacrificium est *latreuticum*, quando offertur ad recognoscendum summam Dei excellentiam et dominium; tale erat olim holocaustum; — *eucharisticum*, cum ad gratias Deo agendas dirigitur, sicut olim hostia pacifica; — *impetratorium*, si pro novis beneficiis impetrandis peragatur, qui finis competebat etiam hostiæ pacificæ; — *propitiatorium* denique, cum pro peccatis delendis et pœnis avertendis assumitur, ut in veteri lege hostia pro peccato.

Ex iis divisionibus, prima quæ sacrificium partitur in absolutum et relativum seu commemorativum, nobis præsertim attendenda est; quippe quæ magni sit momenti, quando agitur de Eucharistiæ sacrificio, et ansam Vasquezio præbuerit ad peculiarem excogitandam sacrificii theoriam, cui plures nituntur, ut felicius solvant difficultates contra sacrificium Eucharisticum objectas. — Vasquezius scilicet, rejecta communi definitione, ait: *sacrificium est nota existens in re, qua profitemur Deum auctorem vitæ et mortis.* Hæc autem nota, juxta eum, non eadem exigitur in sacrificio relativo ac in sacrificio absoluto. In hoc enim, ex parte formæ, necessario exigitur nota quæ sit materiæ immutatio realis veraque destructio; in illo autem sufficit immutatio quæ in sacrificio absoluto præcessit, modo victima prius destructa sit præsens, et denuo sub mysticis symbolis, quæ destructionem jam effectam repræsentant, offeratur. Ratio est, quia per hanc præsentiam hostiæ

veluti immolatæ, Deus ut vitæ et mortis auctor vere colitur; quod quidem ad rationem sacrificii plane sufficit.

Hæc sententia pluribus videtur commodior ad solvenda objecta contra veritatem sacrificii missæ, de quo infra; nec dictis SS. Patrum adversatur, ferturque eam in conc. Trid. plures theologos patronos habuisse. Non tamen immunis est ab omni difficultate. Ea enim semel admissa, sacrificia antiquæ legis relativa fuerunt, non absoluta; neque etiam videtur quomodo Christus in ultima Cœna verum obtulerit sacrificium, cum victima antea non fuerit immutata, nec aliunde ut præterita commemorari potuerit Christi Passio. Denique, cum ipse Vasquezius mysticam in victima immutationem subsequentem requirat, ad cæterorum theologorum sententiam redire non immerito videtur.

II. *De sacrificiis ante Christum usurpatis.*

172. — I. Historicæ notiones. A prima origine mundi et in decursu legis naturæ, peracta fuisse sacrificia perspicuis verbis testatur Scriptura Sacra. Et vero in ea expresse fit mentio sacrificiorum Abel, Noe, Melchisedech, Abraham, Jethro et Job. Nec arbitrandum est primævam religionem quæ divinitus revelata fuit, definitis ritibus ac cæremoniis caruisse et uniuscujusque libitui omnino relictam fuisse sacrificiorum oblationem. Enos quippe, filius Seth, *cœpit invocare nomen Domini* (*Gen.*, IV, 26), seu, juxta interpretes, cultum publicum ordinavit; unde jam ante diluvium distinctionem inductam legimus inter animalia munda et immunda, ea scilicet quæ fas aut nefas esset offerre (*Gen.*, VII, 2). Moyses etiam sedulo refert (*Gen.*, VIII, 20) Noe ex arca egressum ædificasse altare Domino, et de cunctis pecoribus et volucribus mundis obtulisse holocausta super altare; quæ, licet breviter dicta sint, determinatam ante diluvium innuunt rationem offerendi sacrificia et quamdam sacrificiorum distinctionem.

Post diluvium vero, primævam cultus divini perseverasse ordinationem aut etiam aliquatenus perfectam fuisse constare videtur, tum ex sacerdotio rituque peculiari Melchisedech attributo; tum ex descriptione sacrificiorum quæ, jubente Deo,

obtulit Abraham; tum ex laudibus divinitus ei datis propter observatas leges et cæremonias (*Gen.*, XXVI, 5); tum ex verbis quibus Jethro, sacerdos Madian ac socer Moysis, post oblatas in castris Hebræorum victimas et hostias, eum cohortatus est ut populum sedulo doceret cæremonias ritumque colendi Deum; tum demum ex ritibus qui apud omnes populos obtinuerunt, communemque ideo arguunt originem. Quanam tamen auctoritate sancita fuerit hæc ordinatio, quænam fuerit vis ejus obligatoria, vix conjicere possumus. Quidam sentiunt Patriarchas qui ante diluvium vixerunt, et de quibus fit mentio in capite v Geneseos, quemdam obtinuisse atque exercuisse summum Pontificatum hujus temporis œconomiæ accommodatum. Ita fere sentire videtur S. Thomas (1. 2. q. 103, a. 1) dicens : « Quia ante legem fuerunt quidam viri præcipui, spiritu prophetico pollentes, credendum est quod ex instinctu divino, quasi ex quadam privata lege, inducerentur ad aliquem certum modum colendi Deum, qui et conveniens esset interiori cultui, et etiam congrueret ad significandum Christi mysteria, quæ figurabantur etiam per alia eorum gesta, juxta illud : « Omnia in figuris contingebant illis. »

At postquam gentes vias suas ingressæ a veri Dei cultu deflexerunt, falsis numinibus sacrificia nuncupata sunt, sibique diabolus usurpavit honorem soli Deo debitum. Hinc paulatim obtinuerunt ritus impii, superstitiosi, luxuriam crudelitatemque sæpius redolentes : infantium scilicet, virginum ac juvenum cædes atrociores; non tamen evanuerunt prima sacrificiorum delineamenta, atque inde effectum est quod apud omnes gentes semper in usu fuerint templa, altaria, sacerdotale ministerium, victimæ peculiari cura selectæ ac præparatæ, et eo modo consecratæ et immolatæ, qui eas loco hominis substitutas esse ostenderet ad offensum numen sanguine placandum.

Non mirum igitur quod mosaica sacrificiorum ordinatio multa referat, quæ apud Ægyptios aliasque ethnicas gentes observabantur. Legislator enim Hebræorum in honorem Dei merito vindicavit quæ cœlesti instinctu patres antea usurpaverant, et fini legis aptissime congruebant. Sed superstitiosos,

impios crudelesque ritus sedulo abjecit, multaque substituit quæ populum Dei electum a commercio præsertim religioso aliarum gentium omnino averterent. Hanc miram ordinationem legere est in Exodo, Levitico et Deuteronomio. Quædam tantum adnotare juvat, scilicet : — omnia quæ ad cultum spectabant ad apicem fuisse a Deo determinata; — materiam sacrificiis assignatam esse sive animalia domestica, sive substantias quæ ad sustentandam hominis vitam adhibentur, sive incensa et thymiamata quæ substitutionem apertius significant; — actionem sacrificam, seu formam sacrorum semper in destructione rei oblatæ repositam fuisse; — postremo ex duodecim tribubus unam specialius electam fuisse quæ Tabernaculo deserviret, solique Aaron familiæ concessum fuisse, ut sacerdotio coram Domino fungeretur.

173. — II. Doctrina. Nunc vero si quærætur quænam fuerit ratio et indoles sacrificiorum ante Christum usurpatorum, hæc statuenda ducimus :

1° *Præter rationem omni sacrificio essentialem, legis naturæ sacrificia, præsertim vero cruenta, Christum in ara crucis immolandum præfiguraverunt.* Quod quidem constat :

1. *Scriptura Sacra.* In Apocalypsi enim (XIII, 8) de Christo dicitur quod sit *Agnus occisius ab origine mundi;* quæ sane verba ad sacrificium Abel et patriarcharum manifeste alludunt.

2. *Conc. Trid.* (sess. 13, c. 1) de sacrificio Missæ dicit : « Hæc (oblatio) illa est quæ per *varias sacrificiorum naturæ et legis tempore similitudines figurabatur*, utpote quæ omnia bona per illa significata velut illorum omnium consummatio et perfectio complectitur. » Porro sacrificium eucharisticum præfigurari non potuit, quin etiam Christi in cruce immolatio fuerit et ipsa præfigurata.

3. *Ratione.* Et vero mirabiles existunt inter illa sacrificia, præsertim cruenta, et immolationem Christi analogiæ, quas facile ratio fide illustrata percipit. Porro hæ similitudines altissimam prorsusque divinam sapientiam futurorum præsciam arguunt. Ergo.

2° *Etsi vero numini oblata non fuerint, nec primævam pu-*

ritatem retinuerint sacrificia paganorum, Christum tamen, ob servata antiquorum sacrorum delineamenta, adumbravisse dicenda sunt.

Ita censuit S. Augustinus (contra Faustum, l. 22, c. 17) scribens : « Veri sacrificii sicut prædicamenta religiosa Hebræi celebrarunt, ita sacrilega incitamenta pagani : antiqua enim res est prænuntiativa immolatio sanguinis, futuram Passionem Mediatoris ab initio generi humano testificans. » S. Augustino assentiunt cæteri Patres, præsertim Græci ; assentiunt theologi, inter quos Benedictus XIV his verbis : « Usum et ritus sacrificiorum liquet manasse ab antiquis, quibus mors Christi innotuerat; inde omnes gentes sacrificiorum leges omnes acceperunt, quas postea corruperunt, oblitæ religionis quam tradiderant Adamus, Abel et Noe ; hanc mortem delineabat animalium cædes, ut omnes scriptores antiqui sentiunt. » Nec aliter Thomassinus : « Magnum, inquit, Christi sacrificium suspirabant ipsi pagani ; illud inter somniandum delirabant; illud inscii meditabantur, cum pecudes cædebant. »

Denique suffragatur et ipsa ratio. Si enim mentem paganorum in sacrificiis offerendis perscrutemur, compertum nobis erit, eos persuasum habuisse offensum peccatis Numen nonnisi sanguine effuso placari posse, ideoque sibi substituisse victimas selectas, ut, translatis in eas veluti omnium peccatis, seipsos a morte redimerent. Porro hæc sunt indicia primævæ fidei in Redemptorem futurum, figuramque præbent cruenti ejus sacrificii. Ergo.

3° *Ea fuit præsertim Mosaicæ legis œconomia quæ ad sacrificia spectabat, ut adamussim sacerdotium Christi ejusque in cruce sacrificium præfigurarent.*

Hanc veteris legis miram œconomiam breviter tangit B. Paulus (II *Cor.*, x, 2), ubi dicit de populo Israel : « *Omnia in figu-* « *ris contingebant illis.* » Sed et in Epistola ad Hebræos eam multo fusius explicat, cum, post declaratas sacrificii multiplicis imperfectiones, ostendit legem tantum fuisse *umbram futurorum*, nec ullam fuisse in ea partem, præsertim attinentem ad sacrificia, quæ in Christo secundum ordinem Melchisedech

sacerdote et victima, completa ad apicem non fuerit. Idem expresse docet S. Augustinus (*Enar. in Ps.* LXXIV, n. 13) : « In omnibus illis generibus sacrificiorum intelligitur unum illud sacrificium, et unica victima in cruce Dominus. » Suffragatur conc. Trid. textu supra citato.

Confirmat denique observatio. Si enim separatim et absolute considerentur variæ partes sacrificiorum legis, plures quidem saltem inutiles et sine motivo inductæ videntur; si autem cum sacrificio Christi in cruce comparentur, miram cum eo concordiam præbent, sive attendatur persona sacerdotis, sive sacrificiorum ritus, sive electio victimarum. Porro mirabilis illa concordia fortuito sane casu contingere non potuit. Ergo ipsum Deum mysteria futuri Redemptoris delineantem auctorem habeant necesse est.

III. *De nomine et definitione sacrificii eucharistici.*

174. — I. De nomine sacrificii eucharistici. Apud Græcos sacrificium Eucharisticum nuncupatur μυσταγωγια, initiatio, peractio mysterii; λατρια, cultus; ιερουργια, sacrificium.

Apud Latinos autem non semel vocatur *Collecta*, seu conventus, *Agenda*, seu actio per excellentiam; *Canon*, seu pars præcipua sacrificii. Nomen autem vulgatissimum quo appellari consuevit est *Missa*, de cujus etymologia non consentiunt auctores. Ex hebraica lingua nonnulli hanc etymologiam trahunt; in Deut. (XVI) reperitur oblatio quæ *Missach* appellatur; e qua voce quidam putant ductam esse Missam, quæ est novæ Legis sacrificium; sic Baronius. Abaspinæi, Aurelianensis episcopi, singularis est opinio; dicit enim Missam ex voce *Mes* derivatam esse, quæ vox apud septentrionales gentes etiam nunc conventum, festivitatem, sacrificium significat. Sed eruditorum vulgus putat, idque probabilius est, e latino missam esse derivatam, quæ vox idem valet ac missio seu abeundi licentia. Quia vero in nostra sacrificii liturgia binæ dimissiones erant, quarum altera diaconus catechumenos et infideles post Evangelium et concionem, altera cæteros omnes, missa peracta, dimittebat illis verbis : *Ite, Missa est*, quæ secunda dimissio etiam nunc remanet, inde sacrificio nostro Missæ no-

men inditum est. Ita Bened. XIV (*De sacrif. Miss.*, lib. 2, c. 1, n. 1-2).

175. — II. De sacrificii eucharistici definitione. Missa definiri potest : *Sacrificium novæ legis in quo, sub speciebus panis et vini, per ministrum charactere sacerdotali sacramentaliter insignitum, offertur, et incruente immolatur Christus ad recognoscendum summam Dei excellentiam supremumque dominium, recolendum Christi Passionis memoriam nobisque applicandum mortis ejus fructus;* cujus quidem definitionis sensus ex dictis eruitur, legitimitasque patebit ex dicendis.

His prænotatis, quinque erunt capita hujus tertiæ partis; — *primum*, de veritate sacrificii eucharistici; — *secundum*, de illius essentia; — *tertium*, de ejus efficacia; — *quartum*, de ministro; — *quintum*, de subjecto.

Quæ autem ad regulas liturgicas in missa celebranda servandas attinent, cum fusiori expositione indigeant ad specialem appendicem remittimus, idque eo duplici fine : ut scilicet Tractatus limites non excedamus; nec ea omittamus quorum scientia tanti sacerdotum interest, nulloque faciliori modo comparari potest ac ope libri quem sæpius manibus terunt.

CAPUT I.

DE VERITATE SACRIFICII MISSÆ.

176. Errores. Sacrificii Missæ veritatem negant ii omnes qui non admittunt præsentiam realem. Lutherus in primis temporibus Missæ sacrificium rejecisse non videtur; at postea, suadente diabolo, illud abjecit; eo enim dementiæ ac impudentiæ devenit, ut in libro *de Missa privata* scribere non erubuerit « sibi a dæmone suggestum ac persuasum fuisse Missæ sacrificium abrogandum esse. » Henricus VIII totam conservavit liturgiam, paucis mutatis; sed sub Eduardo VI penitus immutata fuit, et anno 1549 generalia regni comitia declara-

runt Eucharistiam esse quidem sacramentum, non vero sacrificium. Contra illos sit sequens

177. Assertio : *Missa est verum et proprie dictum sacrificium.*

Est de fide. Conc. Trid. (sess. 22, can. 1) : « Si quis dixerit in Missa non offerri Deo *verum et proprie dictum sacrificium*... anathema sit. » Jam antea conc. Ephesinum dixerat : « *Sanctum*, et *vivificum incruentumque* in Ecclesiis *sacrificium peragimus.* »

Prob. I. *argumentis ex Scriptura Sacra depromptis*, nempe, I. *Ex prophetiis V. T.* — (*Psalm.* cix, 4) : « Juravit Dominus » et non pœnitebit eum : *Tu es sacerdos in æternum secundum* » *ordinem Melchisedech ;* » quæ verba Christo applicanda esse testatur Apostolus (*Hebr.*, v, 5) dicens : « Sic Christus non » semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret ; sed qui locutus » est ad eum : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem* » *Melchisedech.* » Unde sic : In Missa verum et proprie dictum offertur sacrificium, modo Christus, quatenus est *sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* — 1. sacrificium offerre debuerit ; — 2. illud nonnisi in Eucharistia celebrare potuerit ; — 3. ejusdem offerendi potentiam ad Apostolos eorumque successores transtulerit. Atqui hæc tria constant.

1. Christus, *quatenus est sacerdos...*, sacrificium offerre debuit, siquidem ex doctrina Apostoli (*Hebr.*, viii, 3) « om- » nis pontifex ad offerendum munera et hostias constituitur ; » neque id in dubium vocant adversarii, sed contendunt hoc sacrificium semel in cruce peractum fuisse.

2. Christus sacrificium, quod, prout est sacerdos secundum ordinem Melchisedech, offerre debuit, nonnisi in Eucharistia celebravit. Enimvero sacerdos secundum ordinem Melchisedech eo ritu sacrificium offerre debuit, quo obtulit ipse Melchisedech, sicut sacerdos secundum ordinem Aaron debuit offerre sacrificia ritu Aaronico : atqui Melchisedech sacrificium obtulit in pane et vino, secundum id Genesis (xiv, 18) : « Mel- » chisedech, rex Salem, *proferens panem et vinum, erat enim* » *sacerdos Altissimi*, benedixit ei ; » ergo et Christus in pane et vino sacrificium offerre debuit. Sed id nisi fecerit in Eucha-

ristia, nullibi fecit; neque enim in cruce panem et vinum, sed corpus et sanguinem obtulit. Ergo.

3. Christus, quatenus est *sacerdos in æternum...*, ejusdem sacrificii offerendi potentiam ad Apostolos eorumque in ministerio successores transferre debuit. Nam qui est sacerdos in æternum, sacrificium in æternum seu in perpetuum offerre debet : porro Christus nonnisi per Apostolos suos eorumque successores sacrificium in pane et vino offerre potest. Ergo necesse est ut ejus offerendi potentiam in sacerdotes suos transtulerit, prout de facto transmisit, quando dixit : « Hoc facite in meam commemorationem. »

Præterea Malachias (I, 10) ait : « Ad vos, o sacerdotes, qui » despicitis nomen meum... Non est mihi voluntas in vobis, » dicit Dominus Deus exercituum, et munus non suscipiam » de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum » magnum est nomen meum in gentibus; et *in omni loco* » *sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.* » His verbis Deus Judæos per prophetam alloquens, duo prænuntiat, scilicet : veterum sacrificiorum abrogationem, *munus non suscipiam de manu vestra*; et novi meliorisque sacrificii eorum loco institutionem, *in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda*, sumpto præsente pro futuro, uti solent prophetæ qui futura quasi præsentia haud raro exprimunt : atqui sacrificium istud novum veteribus substituendum, aliud esse non potest quam Missæ sacrificium. Vel enim est Missæ sacrificium, vel intelligi debet de sacrificio crucis, aut de sacrificio spirituali laudis et bonorum operum : atqui intelligi nequit — de sacrificio crucis, cum nec inter gentes, nec in omnibus locis peractum sit, sed in monte Calvaria tantum; — nec de sacrificio spirituali laudis et bonorum operum; nam Malachias vaticinatur de sacrificio novo et proprie dicto, ut ex voce hebraica constat, de sacrificio judaicis oblationibus successuro, de sacrificio uno et judaicorum sacrificiorum multitudini opposito : sed sacrificium laudis et orationis non est proprie, sed improprie tantum, et cum addito, sacrificium; non est novum, sed fuit ab ipso mundi exordio usitatum; non successit sacrificiis Judæorum, cum certum sit sacrificium

laudis nunquam defuisse apud Judæos; demum sacrificium laudis unicum dici non debet; ergo.

Demum quasi prophetia permanens et realis erat *agnus paschalis*; hic enim, non tantum cruentam Christi in cruce immolationem, sed etiam Eucharistiæ celebrationem figurabat, tum quia immolabatur ut manducaretur, et esset quasi viaticum peregrinorum Hebræorum, tum quia immolabatur in memoriam transitus Domini et liberationem populi judaici. Porro hæc implentur in Eucharistia, in qua Agnus Dei per immolationem factus est cibus viatorum, et sub cujus sacramento mirabili Passionis Dominicæ, ideoque nostræ spiritualis liberationis memoria relicta est.

II. *Ex verbis institutionis Eucharistiæ.* (Luc., XXII, 19) : « Hoc est corpus meum *quod pro vobis datur*... Hic est *calix* » Novum Testamentum in sanguino meo, *qui pro vobis fun-*» *detur* (græce *funditur*). » — (I *Cor.*, XI, 24) : « Hoc est cor-» pus meum *quod pro vobis tradetur* (græce *quod pro vobis* » *frangitur*). » Ex his vero sic argumentari licet : quod Christus in ultima cœna fecit, id in Missa peragitur : atqui ex citatis verbis, Christus in ultima cœna verum obtulit sacrificium. Quod multiplici modo probatur : nam quod attinet ab verba primæ consecrationis, non dicit Christus : « Hoc est corpus meum quod vobis datur vel traditur, sed quod *pro vobis* datur, *pro vobis* traditur; » porro modus ille loquendi, juxta communem usum Scripturæ, immolationem Christi significat. Sic Apostolus (*Gal.*, II, 20) ait : « Dilexit me et *tradidit seip-*» *sum pro me*; » et (*Tit.*, II, 14) : « *Dedit* semetipsum *pro nobis*, » ut nos redimeret, » etc. — Quoad autem verba in calicem prolata, argumentum ita institui potest : sanguis Christi, pro nobis in remissionem peccatorum effusus, offertur Deo in verum sacrificium; atqui ex præfatis verbis patet sanguinem Christi in ultima Cœna pro nobis in remissionem peccatorum effusum fuisse, prout per consecrationem in calicem ponebatur. Ergo.

Et vero vel admittenda est hæc interpretatio, vel dicere oportet oblationem et effusionem de quibus loquitur Christus postmodum in cruce faciendas esse, aut citatis verbis nihil

exprimi, nisi actionem porrigendi Apostolis corpus ad manducandum et sanguinem ad bibendum : porro neutrum e duobus postremis dici potest : non 1um; tum quia verba præsentis temporis *datur*, *frangitur*, *funditur*, indicant oblationem et effusionem quæ actu fiebant, loquente Christo; sed dum hæc loqueretur Christus, necdum dabatur corpus ejus, aut fundebatur sanguis in cruce; tum quia eadem verba in panem prolata, prout referuntur ab Apostolo, « corpus meum quod *pro* » *vobis frangitur*, » quæ quidem voces adhibentur pro illis « corpus meum quod pro *vobis datur*, » aperte indicant corpus Christi *pro nobis dari*, id est, immolari, quatenus pro nobis in specie panis a Christo frangebatur; tum quia in cruce nulla facta est sanguinis e calice effusio. — Non 2um; nam actio porrigendi corpus ad manducandum et sanguinem ad bibendum solos Apostolos respiceret, quippe qui soli fuerint quibus panis et vinum porrigi potuerint : atqui sermo Christi non Apostolos solos respiciebat, sed extendebatur ad omnes redemptos, ut patet tum ex verbis quæ in consecratione calicis pronuntiantur, « hic est sanguis meus qui *pro multis funditur in remissionem peccatorum*; tum ex verbis Joannis (VI, 52) ubi Christus dicit : « *Panis quem ego dabo* » caro mea est *pro mundi vita.* »

Demum Christus, quando in ultima cœna Eucharistiam instituit, novum fœdus, seu testamentum condidit; ait quippe : *Hic est sanguis Novi Testamenti.* Atqui testamentum et fœdus, ex Apostoli doctrina (*Hebr.*, IX, 17), sacrificio et sanguine dedicari oportuit. Sicut ergo Moyses (*Exod.*, XXIV, 8) de sanguine vituli in sacrificio oblati dixit : « Hic est *sanguis Testa-* » *menti* quod mandavit ad vos Deus, » ita verba fere eadem quibus Christus ad novum fœdus sanciendum usus est, de vero sacrificio in sanguine ejus oblato intelligenda sunt.

III. *Ex praxi et doctrina Apostolorum.* (*Act.*, XIII, 2) De prophetis et doctoribus Antiochenis legitur : « *Ministrantibus* » autem *illis Domino* et jejunantibus, dixit illis Spiritus Sanc- » tus : Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus, ad quod « assumpsi eos; » pro *ministrantibus* autem in textu Græco habetur : λειτουργουντων. Porro illa vox, quam Erasmus vertit :

quum sacrificarent, non de prædicatione Evangelii, nec de precibus, sed de sacrificio intelligi debet, ut patet ex aliis Scripturæ locis. Cæterum id confirmatur ex eo quod sacerdotes idem certo Antiochiæ, quod Apostoli Hierosolymæ, peregerunt; sed dubitari nequit quin Apostoli Missæ sacrificium frequenter obtulerint; legitur enim (*Act.*, II, 42) : « Erant perseverantes » in communicatione fractionis panis, » et (*ibid.*, XX, 7) : « Una sabbati, cum convenissemus ad frangendum panem. »

Insuper S. Paulus (I *Cor.*, X, 16) scribit : « Calix benedic- » tionis, cui benedicimus, nonne *cammunicatio sanguinis* » *Christi est?* Et panis quem frangimus, nonne *participatio* » *Domini est?* Quoniam unus panis, et unum corpus multi » sumus, omnes qui de uno pane participamus. Videte Israel » secundum carnem : nonne qui *edunt hostias, participes sunt* » *altaris..?* Sed quæ immolant gentes, dæmoniis immolant et » non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum : non po- » testis calicem Domini bibere et calicem dæmoniorum... » Ex quibus sic : Fatentibus Protestantibus, vera et proprie dicta sacrificia offerebant Judæi et ethnici : atqui, juxta Apostolum, Eucharistia non minus pro sacrificio habenda est quam Judæorum et Gentilium sacrificia; quis enim ejus sit scopus, nisi probare eos qui de idolothytis, nempe de victimis dæmoni consecratis comedunt, realiter cum dæmoniis communicare, sicut christiani per manducationem corporis et sanguinis Domini realiter communicant corpori et sanguini Christi, et sicut apud Judæos, qui de hostiis comedunt, realiter participes sunt altaris levitici; jam vero si mensa et altare christianorum eodem modo se habent ac mensa et altare Judæorum atque ethnicorum, patet Eucharistiam non minus pro vero sacrificio habendam esse ac sacrificia Judæorum vel ethnicorum, siquidem mensa et altare ad sacrificium ordinantur.

Tandem idem Apostolus (*Hebr.*, XIII, 10), ad revocandos fideles ab usu sacrificiorum Judaicorum, ait : « Habemus » altare de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo » deserviunt. » Ex his verbis, Christiani, haud secus ac Judæi, habent altare de quo edere possint : porro nihil aliud edunt

quam Eucharistiam. Ergo, sicut victimæ Judæorum in sacrificio offerebantur, ita Eucharistia veri nominis sacrificii rationem habet.

Prob. 2. *Argumentis ex traditione depromptis*, nempe

I. *Ex SS. Patribus*, quorum doctrina ad hæc capita compendiose revocari potest : — 1. Dicunt SS. Patres sacrificium eucharisticum a sacrificio Melchisedech præfiguratum et vaticinio Malachiæ prænuntiatum fuisse et sacrificiis typicis antiquæ legis successisse; ita præsertim S. Irenæus, S. Cyprianus, S. Augustinus. — 2. Dicunt hoc sacrificium a Christo Domino institutum fuisse, cum ipse summus sacerdos in ultima cœna se Deo Patri primus obtulit, et hoc fieri in sui commemorationem præcepit. — 3. Quando loquuntur de Eucharistia, passim voces istas usurpant, *sacrificium*, *oblatio*, *immolatio*, *hostia*, *victima*; *offerre*, *sacrificare*, *immolare*; ita S. Andreas Apostolus, S. Ambrosius, S. Chrysostomus, etc. — 4. Ministros, qui Eucharistiam offerunt, vocant *sacerdotes*, et eorum ministerium *sacerdotium;* quod quidem importat verum sacrificium, siquidem proprium munus sacerdotis est offerre sacrificium ; ita S. Hieronymus, S. Augustimus, aliique innumeri. — 5. Requirunt altaria ad celebrandam Eucharistiam; altaria autem non eriguntur nisi ratione sacrificii; ita S. Optatus Milevitanus, S. Ambrosius, etc. — 6. Docent Eucharistiam celebrari et offerri posse pro vivis et defunctis, pro pace et incolumitate, et generatim pro omnibus necessitatibus tam corporis quam animæ. Ita S. Chrysostomus, S. Augustinus variis in locis.

Hæc omnia SS. Patrum testimonia fuse exponit Bellarminus (*de Sacrif. missæ*, c. xv et seq.). Verum hic immorari superfluum est, cum illud ipsum confiteantur adversarii; sic Lutherus (lib. *de Missa privata*) : « Hic non moramur, si clamitent papistæ : Ecclesia, Ecclesia, Patres, Patres : quia, ut dixi, hominum dicta aut facta nihil in tam magnis causis curamus. »

II. *Liturgiis.* Omnes liturgiæ unanimes sunt in admittendo sacrificio missæ, uti videre est in variis operibus, præsertim in illo cui titulus : *Perpétuité de la foi,* et in alio sic inscripto : *Ex-*

plication des cérémonies de la messe, auctore Le Brun : porro liturgiæ sunt testimonium invictum perpetuæ et universalis Ecclesiæ traditionis, — sive consideretur harum liturgiarum *origo;* nam quam plurimæ ex his liturgiis ad primæva religionis christianæ tempora referri debent, uti constat tum ex nominibus quibus insigniuntur, tum ex rei natura : omni quippe ætate necessario exstitit cultus publicus quo Deus colebatur, tum demum ex Christi præcepto dicentis : *Hoc facite in meam commemorationem... Docete omnes gentes.* — Sive ad earum *naturam* attendatur; nam liturgiæ non sunt aliquid absconditum et secretum, sed factum publicum, sensibile, populare, quotidianum; plebs erat cæremoniarum testis, orabat simul cum sacerdote, Christum sub speciebus panis et vini delitescentem adorabat, thus et thymiamata illi offerebat, cæteraque latreutici cultus signa ei præstabat, sacrificiis demum pro defunctis vel in honorem sanctorum oblatis aderat. — Sive spectetur earum *multitudo.* In Occidente distinguuntur liturgiæ Romana seu S. Petri, Ambrosiana seu S. Ambrosii, Gallicana, Hispanica seu Gothica vel Mozarabica. In Oriente vero reperiuntur liturgiæ S. Marci, S. Cyrilli Alexandrini, S. Basilii, S. Chrysostomi, Armenorum et aliorum. Apud hæreticos sunt liturgiæ Nestorianorum, Chaldæorum, Jacobitarum, Cophtarum... Jam vero manifestum est missæ sacrificium, de quo in his omnibus agitur, ab ipsomet Christo provenire; impossibile est enim talem errorem ab incunabulis Ecclesiæ ortum habuisse, vel lapsu sæculorum irrepsisse; ergo.

III. *Conciliis.* In concilio Nicæno de diaconis dicitur : « Nec regula, nec consuetudo tradidit, ut hi qui potestatem non habent *offerendi*, his qui *offerunt* dent corpus Christi. » — Concilium Ephesinum hæc habet : « *Sanctum ac vivificum, incruentumque* in Ecclesiis *sacrificium peragimus*, corpus quod proponitur, similiter et pretiosum sanguinem.... credentes esse proprium corpus effectum, et sanguinem etiam Verbi, quod omnia vivificat. » In Chalcedonensi, nemine Patrum reclamante, Eucharistia vocatur « *terribile et incruentum sacrificium, quod offertur et celebratur.* » Lateranense IV (cap. 1) definivit : « Una est fidelium universalis Ecclesia... in qua

idem ipse sacerdos et sacrificium Jesus Christus, cujus corpus et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur. » — Tandem concilium Tridentinum, cujus definitionem ea de re jam adduximus, eamdem doctrinam (sess. 22, cap. 1) egregie exponit his verbis : « Dominus noster, etsi semel seipsum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur : quia tamen per mortem sacerdotium ejus extinguendum non erat, in cœna novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ *visibile*, sicut hominum natura exigit, relinqueret *sacrificium*, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur, ejusque memoria in finem usque sæculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur, *sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum* declarans, *corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit*, ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc Novi Testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit; et *eisdem*, *eorumque in sacerdotio successoribus*, *ut offerrent*, præcepit per hæc verba : *Hoc facite in meam commemorationem.* »

Accedit argumentum præscriptionis ; sed ex præfatis SS. Patrum, liturgiarum et conciliorum testimoniis, sat superque constat semper, ubique et ab omnibus creditum fuisse verum et proprie dictum sacrificium in Eucharistia Deo offerri.

Prob. 3. *Argumentis ex ratione depromptis.*

Primum petitur ex *necessitate sacrificii*. Enimvero nulla ratio patitur ut societas christiana careat sacrificio quo Deum colat, maxime cum Ecclesia legis naturæ et scriptæ sua haberet sacrificia, nullaque natio aut religio unquam fuerit sine sacrificio. Atqui præter Missam nullum aliud sacrificium Ecclesiæ christianæ proprium assignari potest; nam sacrificium crucis, de quo solum difficultatem movent adversarii, dicentes illud esse unicum christianæ societatis sacrificium, — non modo christianos, sed omnes ab origine mundi redemptos respiciebat; — semel peractum est, ac deinde esse desiit, neque mansit postea nisi per effectum et virtutem ; imo tempore religionis chris-

tianæ nunquam extitit, sed antequam christiana societas cœperit, oblatum est; — respectu christianorum omnino invisibile est, cum sola fide, non oculis cernatur; nec proinde esse potest illud sacrificium externum et visibile quo in omni religione Deus coli debet; — demum opus quidem fuit pro redemptione nostra consummatum, non autem ritus a Deo christianis præceptus ad cultum, qui latria dicitur, Deo exhibendum, pertinens. Ergo.

Alterum desumi potest argumentum ex *œconomia redemptionis christianæ*. Peracta enim semel generis humani redemptione per sacrificium crucis, sed nondum applicata, convenientissimum fuit tum sapientiæ bonitatique divinæ, tum hominum infirmitati et miseriæ, institui medium efficacissimum, quo indesinenter ad illam applicationem uberiorem obtinendam universi juvarentur atque excitarentur. Porro præter sacramenta quæ suscipienti tantum cuique, cum digne recipiuntur, prosunt, nullum efficacius excogitari potest medium quam sacrificium perenne, quod non tantum memoriam sacrificii crucis quotidie renovat, sed etiam dignitate sua et valore gratiarum et satisfactionum veluti inundationem perpetuo provocat et conciliat. Ergo.

Tertium argumentum depromitur ex eo quod *in Eucharistia omnia reperiuntur quæ ad rationem veri et proprie dicti sacrificii pertinent.* Adest quippe — *oblatio externa rei sensibilis*, scilicet corporis et sanguinis Christi sub speciebus panis et vini; — *oblatio rei ritu quodam immutatæ;* cum enim vi verborum, quæ in consecratione proferuntur, sub speciebus panis solum adest corpus Christi et sub speciebus vini ponitur tantum sanguis, mystica fit mactatio victimæ, quæ cæteroquin sub speciebus alienis in statu cibi et potus constitui non potest nisi per æquivalentem sui destructionem, ut infra fusius dicetur; — *per ministrum legitimum;* nam qui principaliter offert, ipse est Christus, sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech; inter homines vero nemo velut minister secundarius ad Eucharistiam conficiendam deputatur, nisi sacerdotali charactere Christi insigniatur; — *soli Deo facta;* Missa enim celebratur quidem in honorem sanctorum, sed soli Deo offer-

tur ; — *ex institutione publica*, ut constat tum ex verbis Psalmi CIX : « Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Mel- » chisedech; » tum ex verbis ipsius Christi in ultima cœna : « *Hoc facite* in meam commemorationem ; » — *ad recognoscendum summam Dei excellentiam supremumque dominium, nec non ad profitendum divinam justitiam hominisque reatum :* quippe quod Christus mystice simul et moraliter immolari non potest, quin hac sui mactatione, in qua victimam loco hominis se substituit, mirum in modum exprimat non tantum supremum Dei dominium in omnes res ut sint vel non sint, absolutamque hominis a Deo dependentiam, sed etiam sensum et agnitionem reatus peccati, cui mors debetur. Ergo.

178. OBJ. 1. Juxta Apostolum, unum est in Ecclesia sacrificium, nempe sacrificium crucis; ait enim (*Hebr.*, x, 14) : « *Una oblatione* consummavit (Christus) in sempiternum » sanctificatos, » et paulo ante : « Omnis quidem sacerdos » (leviticus) præsto est quotidie ministrans et easdem sæpe » offerens hostias... Hic autem *unam* pro peccatis offerens hos- » tiam, in sempiternum sedet in dextera Dei. » Ergo Eucharistia non habet veram sacrificii rationem.

RESP. *Dist. ant.* Est unicum in Ecclesia sacrificium quoad substantiam, *conc.* ; quoad modum offerendi, *neg.* Jam vero sacrificium Eucharisticum, etsi veram sacrificii rationem habeat, non ideo substantialiter differt a sacrificio crucis, sed sola offerendi ratione, uti magis patebit ex infra dicendis.

INST. 1. Si daretur aliud sacrificium a sacrificio crucis distinctum, hujus excellentiæ et merito derogaretur : quod sane omnino nefas dicendum est. Ergo.

Dist. maj. Si daretur aliud sacrificium a sacrificio crucis distinctum, quod esset ad solutionem pretii pro redemptione humani generis, *conc.;* si datur sacrificium a sacrificio crucis quoad modum offerendi distinctum, non ad solutionem pretii, pro redemptione nostra, sed ad applicationem hujus pretii, excellentiæ sacrificii crucis derogatur, *neg.* Itaque, juxta doctrinam Apostoli, cruenta Christi oblatio ita pro expiandis peccatis sufficiens dicenda est, ut nullum unquam ejusdem cruentæ oblationis opus fuerit. Sed incruenta corporis et sanguinis

Christi immolatione, qualis in Missa peragitur, non aliud pretium in supplementum sacrificii crucis Deo offertur, sed fructus hujus pretii jam in cruce sufficientissime soluti nobis applicatur.

Inst. 2. Juxta eumdem Apostolum, non est in nova Lege nisi unus sacerdos, scilicet Christus; nam (*Hebr.*, VII, 23, 24) dicit : « Alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod » morte prohiberentur permanere; hic autem eo quod maneat » in æternum sempiternum habet sacerdotium. » Ergo non dantur in Ecclesia præter Christum sacerdotes, qui post ejus mortem verum sacrificium offerant.

Resp. *Dist. ant.* Non est in nova Lege nisi unus sacerdos principalis, *conc.*; ministerialis, *neg.* In hoc ergo consistit discrimen inter sacerdotes antiquæ et novæ Legis, quod sacerdotes antiquæ Legis, cum morte prohiberentur permanere, haberent successores in eodem gradu dignitatis et potestatis; in nova autem Lege, cum sacerdos Christus maneat in æternum, non habet utique successores in eadem dignitate, excellentia et potestate; habet tamen ministros et vicarios qui in ejus loco et persona sacrificium offerant.

179. Obj. 2. Christus in cœna novissima non obtulit sacrificium; alioquin hoc sacrificium, cum infiniti valoris fuisset, redemptionem nostram absolvisset, sicque superfluum omnino fuisset sacrificium crucis. Ergo nec etiam sacrificium offerunt sacerdotes, cum Missam celebrant.

Resp. *Neg. ant. et prob.* Si enim valeret ratio allata, non tantum hoc cœnæ sacrificium, sed etiam omnes et singulæ Christi actiones, quarum unaquæque valorem infinitum habuit, sacrificium crucis superfluum reddidissent; etsi vero admittamus hanc actionum Christi excellentiam earumque ad satisfaciendum pro nobis sufficientiam intrinsecam, ideo affirmamus sacrificium crucis non fuisse superfluum, quia Deus decreverat nonnisi per illud consummandum fore opus redemptionis humanæ.

Inst. 1. Christus in ultima cœna sacramentum instituit; ergo non obtulit sacrificium. — Resp. *Neg. cons.* Etsi enim alia sit ratio sacramenti, alia autem sacrificii, potest idem

mysterium diversa ratione esse simul sacramentum et sacrificium; videlicet, haud repugnat eamdem rem quæ in Dei honorem et ad agnitionem supremi ejus dominii offertur, ad nostram sanctificationem ordinari.

Inst. 2. Eucharistia est commemoratio et repræsentatio sacrificii crucis; ergo non est verum et proprium sacrificium. — Resp. *Dist. ant.* Eucharistia est repræsentatio et commemoratio sacrificii crucis, ita tamen ut rem ipsam sacrificii repræsentati contineat et offerat, *conc.;* est tantum repræsentatio et commemoratio sacrificii crucis, *neg.* Cum igitur non sit contra rationem sacrificii quod alterum sacrificium repræsentet, modo omnia ad veram sacrificii rationem necessaria concurrant, nihil obstat quin Eucharistia, in qua continetur eadem victima quæ fuit immolata in cruce, simul ac sacrificium illud cruentum repræsentat, sacrificii incruenti rationem habeat. Sic agnus paschalis fuit figura sacrificii crucis et simul sacrificium.

Inst. 3. Ad verum sacrificium necessario requiruntur oblatio et mactatio victimæ; atqui utraque deest in Missa. Ergo. — Resp. *Dist. maj. quoad utramque partem :* — 1. ad verum sacrificium requiritur oblatio victimæ in re et in actu exercito, *conc.;* oblatio verbalis et in actu signato, *neg.* — 2. Requiritur insuper in omni sacrificio ut victima mactetur cruente vel incruente, physice aut mystice, *conc.;* semper cruente et physice, *neg.*; sufficit enim, ex dictis antea, ea immutatio victimæ quæ ejus destructioni æquivaleat.

Jam vero in sacrificio Missæ Christus hoc ipso quod in altari sistitur, vere, etsi in actu exercito, offertur, sicut eo ipso quod dapes mensæ apponuntur, offeruntur convivis. Item, etsi non reperiatur in Eucharistia cruenta mactatio Christi, adest tamen immolatio mystica et moralis, omnino sufficiens ad finem sacrificii attingendum.

CAPUT II.

DE ESSENTIA SACRIFICII MISSÆ.

Duo ad sacrificii Missæ essentiam pertinent : materia scilicet et forma ; de utraque seorsim agendum est.

ARTICULUS I.

De materia sacrificii Missæ.

180. Errores. Novatores, quibus annumerandus est P. le Courrayer, S. Genovefæ Parisiensis canonicus, contendunt Missæ sacrificium non esse nisi nudam representationem et commemorationem sacrificii in cruce peracti, quæ haberi potest, et de facto apud Anglicanos habetur independenter a reali præsentia Christi. Unde concludunt realem Christi præsentiam ad Missæ sacrificium non requiri, ac proinde Christum præsentem non esse essentialem hujus sacrificii materiam.

Catholici vero asserunt — 1. Christum sub speciebus panis et vini præsentem esse materiam essentialem sacrificii Missæ ; — 2. species sacramentales conditiones necessarias esse hujus sacrificii, non tamen partes intrinsecas ; — 3. panem et vinum ad hoc etiam sacrificium pertinere, si non velut veram et propriam hostiam, saltem tanquam materiam *ex qua* conficitur sacrificium. Hujusvero doctrinæ veritatem demonstrabunt sequentes assertiones :

181. Assertio 1ª : *Christus, prout sub speciebus panis et vini præsens existit, vera et essentialis est sacrificii eucharistici materia.*

Prob. 1. *Scriptura sacra* (*Luc.*, xxii, 19) : « Hoc est *corpus* » *meum quod pro vobis datur*... Hic est calix novum testamen- » tum *in meo sanguine, qui pro vobis fundetur. Hoc facite* in » meam commemorationem. » Unde sic : sacrificium Missæ idem est ac sacrificium Cœnæ : porro in cœna Christus cor-

pus et sanguinem suum Deo Patri obtulit. Ergo. — Idem confirmant verba S. Pauli (I *Cor.*, x, 16) : « Panis quem frangi- » mus, nonne participatio corporis Domini est? » Et (*ibid.*, 18) : « Nonne qui hostias edunt participes sunt altaris? Non po- » testis mensæ Domini participes esse et mensæ dæmonio- » rum. » His enim verbis declarat Apostolus christianos corpus Christi edendo, sacrificii Eucharistici participes effici, sicut Judæi et Gentiles participes efficiebantur sacrificiorum, comedendo ex carnibus immolatis quæ erant hostia sacrificii; ergo corpus Christi hostia est in sacrificio Eucharistico oblata.

Prob. 2. *SS. Patrum testimoniis.* S. Ignatius (*epist. ad Smyrnenses*), de hæreticis loquens qui carnem Christi phantasticam tantum admittebant, sic se habet : « Ab Eucharistia et *oblatione* se abstinent, eo quod non confitentur Eucharistiam *esse carnem Salvatoris nostri Jesus Christi.* » — S. Cyprian. (*epist.* 63, *ad Cœcilium*) : « Christus sacrificium Patri seipsum primus obtulit; et *hoc* (scilicet *sui* oblationem) in sui commemorationem præcepit. » — S. August. (lib. 20, *contra Faustum*, c. 18) ait : « Unde jam Christiani peracti ejusdem sacrificii memoriam celebrant *sacrosancta oblatione et participatione corporis et sanguinis Christi* » (Vide etiam c. 21). — S. Greg. Nyss. (*Orat.* 1, *de resurrect.*) : « Arcano sacrificii genere... *seipsum* pro nobis *hostiam offert et victimam immolat*, sacerdos simul assistens, et *agnus Dei*, cum corpus suum discipulis congregatis edendum et sanguinem bibendum præbuit. »

Prob. 3. *Conc. Trid.*, quod (sess. 22, cap. 1) ait : « Christus ut dilectæ sponsæ suæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur, ejusque memoria in finem usque sæculi permaneret..., *corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit*; ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc Novi Testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit; et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus, *ut offerent, præcepit.* » Ibidem (c. 2) subdit : « Quoniam in divino hoc sacrificio, quod in missa peragitur, *idem ille Christus continetur et incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit*,

docet sancta synodus, sacrificium istud vere propitiatorium esse. » — Demum (sess. 22, can. 3) dicitur : « Si quis dixerit missæ sacrificium *tantum* esse... nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, *non autem propitiatorium...* ; anathema sit. » Ex his vero sic argumentari licet : 1. Illud est materia sacrificii Missæ quod Christus Deo Patri obtulit et a sacerdotibus offerri præcepit : atqui ex Tridentino Christus corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit et a sacerdotibus offerri præcepit. Ergo. — 2. Illud est materia sacrificii eucharistici quod in hoc sacrificio immolatur; porro, juxta idem concilium, idem Christus incruente immolatur in missa, qui in ara crucis seipsum incruente obtulit. Ergo. — 3. Nisi dicatur Christum in missæ sacrificio contineri ac immolari, illud sacrificium non aliud est ac nuda commemoratio sacrificii in cruce peracti, ut contendunt Novatores, nec proinde vere propitiatorium prædicari potest : porro docet Trident. Synodus Missæ sacrificium non esse tantum nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, sed vere propitiatorium, imo ideo propitiatorium, quia Christus in eo continetur et immolatur. Ergo.

Prob. 4. *Rat. th.* Ex probatis, Missa est verum sacrificium, ac proinde in eo datur hostia : porro illa hostia non est mera oblatio panis et vini, ut omnes fatentur; nec mera repræsentatio sacrificii crucis, quia mera sacrificii figura, nulla præsente victima, non est verum et reale sacrificium ; vetera quidem sacrificia erant figuræ sacrificii crucis, sed non erant meræ figuræ, cum in illis veræ immolarentur victimæ; ergo.

Nec dicatur corpus tantum Christi ejusque sanguinem in missa Deo offerri, nec proin dici posse *totum Christum* hujus sacrificii materiam esse. Etsi enim corpus et sanguis Christi sint res primo et per se oblata in hoc sacrificio, quippe quod actio sacrificalis non totum Christum, sed tantum corpus et sanguinem primo et per se attingit, nihilominus ex consequenti et vi concomitantiæ totus Christus reipsa offertur secundum illud B. Pauli (I *Cor.*, v, 7) : « Pascha nostrum immolatus est Christus » ; imo perperam assereretur Christum totum non nisi per accidens victimam hujus sacrificii esse;

namque, quatenus voluit totus poni consequenter et vi concomitantiæ, eo ipso quod corpus suum et sanguis per consecrationem sub speciebus panis et vini ponerentur, ex intentione quodam modo directa totus victima dici potest.

Dicitur vero in assertione : *Christus prout sub speciebus panis et vini præsens existit*, tum quia Christus non potest esse materia *visibilis* hujus sacrificii, nisi prout sub speciebus existit, tum quia actio sacrificativa nullatenus versatur circa corpus Christi prout in propria specie existit, sed tantum circa illud ut existens sub alienis speciebus.

182. Assertio 2ª : *Species panis et vini necessariæ quidem conditiones, non tamen partes sunt intrinsecæ sacrificii Missæ.*

CONSTAT PRIMA PARS, videlicet *species panis et vini esse conditiones necessarias sacrificii Missæ*,

1. Ex conc. Tridentino declarante (sess. 22, cap. 1) « Christum corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulisse, ac sub earumdem rerum symbolis offerri præcepisse. »

2. Ex eo quod sacrificium Missæ non aliunde habere potest quam a speciebus panis et vini, ut sit visibile; corpus enim et sanguis Christi modo prorsus invisibili in hoc sacramento existunt.

3. Ex eo quod sine speciebus sacrificium Missæ nullam rationem diceret ad sacrificium Melchisedech; cui tamen simile esse debet, uti constat ex omnium consensu. Ergo.

CONSTAT SECUNDA PARS, nempe *species non esse partes intrinsecas ejusdem sacrificii*,

1. *Ex modo loquendi SS. Patrum et Conciliorum.* Nam quoties de sacrificii nostri victima sermonem habent, corpus et sanguinem Christi *in recto*, species autem *in obliquo* tantum exprimunt, uti videre est in textu mox allato concilii Tridentini : porro quæ sunt de essentia rei, non in obliquo, sed in recto exprimuntur.

2. *Ex natura sacrificii missæ.* Sacrificium Missæ, ex jam dictis, idem est ac sacrificium crucis, sola offerendi ratione diversa : atqui in sacrificio crucis nullæ fuerunt species panis et vini, et aliunde diversa offerendi ratio in hoc præcise con-

sistit quod eadem victima modo cruento et sine speciebus in ara crucis oblata, modo incruento et sub speciebus præsens in altari offeratur. Ergo.

183. Assertio 3ª : *Panis et vinum, etsi sint necessario materia ex qua conficitur sacrificium Missæ, non tamen ejusdem hostia, sive totalis, sive partialis, dici possunt.*

PROB. PRIMA PARS, nempe *panem et vinum esse materiam ex qua sacrificii Missæ.* — Illud est materia *ex qua* sacrificium Missæ conficitur, ex quo velut ex præsupposito materia sacrificii missæ oritur : atqui panis et vinum sunt res ex quibus præsuppositis, non quidem ut permaneant, sed ut transsubstantientur, exsurgit victima sacrificii eucharistici, corpus videlicet Christi ejusque sanguis, et vi concomitantiæ seu ex consequenti, anima et divinitas. Ergo.

PROB. SECUNDA PARS, nimirum *panem et vinum nullatenus dici posse ejusdem sacrifici hostiam, sive totalem, sive partialem.* — Non 1. *totalem*; nam ex antea dictis, Christus est res principaliter oblata in hoc sacrificio. Præterea sacrificium Missæ inferius esset sacrificiis Judaicis in quibus mactabantur oves, agni et boves, quæ, cum sint animata, panem et vinum dignitate præcellunt. — Nec 2. *partialem*, tum quia non unicum esset in nova Lege sacrificium, sed duplex, aliud quippe Christi, aliud vero panis et vini; tum quia victima sacrificii eucharistici jam non eadem esset ac victima sacrificii crucis; quod dici nequit. Ergo.

His vero probatis, nonnulla corollaria nunc inferenda veniunt nempe :

184. Corollarium 1. *Ergo sacrificium Missæ non consistit in mera mortis Christi repræsentatione aut in ejusdem commemoratione, quæ a reali Christi præsentia independens sit, ideoque Anglicani, licet sacrificii nomen non omnino refugiant, rem tamen nomine significatam nec habent nec habere possunt.*

Ratio utriusque patet ex dictis; nam — 1. cum Christus, ut Ecclesiæ suæ sacrificium visibile relinqueret, corpus et sanguinem suum vere et substantialiter obtulerit, parique modo deinceps a sacerdotibus offerri voluerit, manifestum est sacrificium illud nec esse nec concipi posse absque reali corporis

et sanguinis sui præsentia. — 2. Quod autem ad Anglicanos attinet, præsentiam realem Christi in Eucharistia non admittunt; ergo habere non possunt verum sacrificium, quale tota semper admisit Ecclesia; si quidem ad hoc requiritur vera oblatio Christi ipsius vere et realiter præsentis.

Est autem Missa sacrificium non *absolutum*, sed *relativum* et *repræsentativum*, quippe quod ex sua institutione intrinsecum ordinem dicat ad sacrificium crucis, cujus est viva et expressa imago. Nam Christus sacrificium corporis et sanguinis sui ita instituit, ut vi verborum distinctim ponatur corpus sub speciebus panis et sanguis sub speciebus vini : porro hac distincta consecratione mirum in modum repræsentatur separatio et effusio sanguinis facta in cruce, et quidem non in re aliena et in mera imagine, sed in ipso reali corpore et sanguine Christi. Unde duplex effusio sanguinis Christi distinguenda est, una scilicet *realis*, qua sacrificium cruentum Christi consummatum est; alia vero *mystica*, quæ fit cum idem Christus sub speciebus eucharisticis in statu victimæ constituitur, et effusionem sanguinis in cruci factam repræsentat. — Eamdem relationem sacrificii eucharistici ad sacrificium crucis sæpissime declarant SS. Patres et Liturgiæ, v. g., quando verba consecrationis dicunt *gladium spiritualem*, *gladium rationalem et incorporeum*, quo victima immolatur. Nec aliter loquitur S. Thomas (3 p., q. 83, a. 1), hanc doctrinam ita proponens : « Celebratio hujus sacramenti *imago quædam est repræsentativa passionis Christi*, quæ est vera ejus immolatio, et ideo celebratio hujus sacramenti dicitur Christi immolatio. »

185. Corollarium II. *Ergo Missæ sacrificium idem est quoad substantiam ac sacrificium crucis.* Nam, ex dictis, eadem est utrobique hostia ; aliunde idem est etiam, ut infra probabitur, principaliter offerens.

Differt tamen Missa a sacrificio crucis, tum ratione offerendi, tum modo operandi. — 1. *Ratione offerendi;* nam in cruce Christus oblatus est passibilis et mortalis, in Missa offertur impassibilis et immortalis. — In cruce seipsum obtulit Christus, nullo alio existente secundario pontifice, in Missa sese offert sacerdotum ministerio. — Semel oblatus est in

cruce, quotidie offertur in Missa. — In cruce cruenta fuit oblatio, in Missa incruenta est. — Sacrificium crucis fuit absolutum et sine ullo respectu ad aliam immolationem; Missæ sacrificium refertur ad crucis immolationem, cujus est viva et realis repræsentatio; ergo.

2. *Modo operandi;* etenim sacrificium crucis nostram redemptionem et sanctificationem perfecte meruit, utpote valoris infiniti; Missa vero nihil novi meretur, sed tantum crucis merita nobis applicat; — sacrificium crucis est nostræ salutis sufficientissimum pretium; Missa est hujus pretii solutio in gratiam nostri facta.

Totam hanc doctrinam expressis terminis tradit conc. Trid. (sess. 22, cap. 2) : « Una eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. Cujus quidem oblationis cruentæ, inquam, fructus per hanc uberrimi percipiuntur. »

186. Corollarium III. *Ergo a fortiori sacrificium Missæ idem est ac cœnæ sacrificium, non solum substantialiter*, ratione nempe victimæ et principalis offerentis, sed etiam *quoad modum immolationis*; etenim in cœna sicut in altari Christus incruente immolatur et sub speciebus panis et vini delitescit.

Attamen ab invicem differunt in circumstantiis quibusdam accidentalibus; nam — in cœna Christus offerebatur mortalis, nunc offertur immortalis: — in cœna seipsum offerebat, in altari per sacerdotum ministerium; — in cœna significabatur passio futura, in altari repræsentatur passio præterita. — Sacrificium cœnæ non ad alterum sacrificium incruentum referebatur; sacrificium vero Missæ, quamvis sit veritas respectu sacrificiorum antiquorum, est tamen imago vera et repræsentatio ipsius sacrificii cœnæ.

ARTICULUS II.

De forma sacrificii Missæ.

Tria expendemus : — 1° Utrum sola consecratio sit forma sacrificii Missæ; — 2° An utraque consecratio pertineat ad formam; — 3° Quatenus consecratio sit forma.

I. *Utrum sola consecratio sit forma sacrificii Missæ.*

187. Prænotanda. Forma sacrificii Missæ non aliud est ac actio sacerdotis, qua victima immutatur et Deo offertur.

Porro sex sunt in Missa actiones sacerdotis de quibus quæstio moveri possit, an sacrificium perficiant, vel ad illius essentiam pertineant : — Prima est oblatio panis et vini, quæ *offertorium* dicitur, et consecrationem præcedit; secunda est ipsa consecratio; tertia est oblatio corporis et sanguinis, quæ fit his verbis : *Unde et memores...*; quarta est fractio hostiæ in tres partes, et commixtio sacramenti; quinta est sumptio hujus sacramenti facta a sacerdote; sexta tandem est distributio corporis Domini populo fideli. Expendendum est igitur quanam harum actionum perficiatur sacrificium.

Ad solutionem hujus quæstionis, imprimis adnotare juvat aliud esse essentiam, aliud autem integritatem seu potius partes integrales sacrificii Missæ. Essentia illud est sine quo sacrificium esse nequit; nomine vero partium integralium ea intelliguntur sine quibus sacrificium esset quidem imperfectum, sed tamen adhuc existeret. Jam vero communis est sententia theologorum essentiam sacrificii Missæ in consecratione et quidem sola reponendam esse, cum ordine tamen ad sumptionem sacerdotis velut ad partem integrantem : unde sit sequens

188. Assertio : *Forma sacrificii Missæ adæquate consistit in consecratione corporis et sanguinis, cum ordine tamen ad sumptionem tanquam ad partem integrantem.*

PROB. 1ª PARS, nempe *essentiam sacrificii Missæ adæquate in consecratione consistere,*

1. *Auctoritate SS. Patrum,* qui aperte docent in sacrificio Missæ verbis consecrationis infiniti valoris victimam immolari. Sic S. Irenæus (l. 4, *Adv. Hær.*, c. 17) dicit « Christum panem accipiendo et dicendo : Hoc est corpus meum, similiterque calicem suum sanguinem esse confitendo, *novam docuisse oblationem*, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo. » — S. Cyrillus expressius ait : « Per gladium verborum (*hoc*, *hic*) Christus mactatur. » —

S. Gregorius Nazianzenus (*epist.* 170 *ad Amphil.*) : « Ne cuncteris et orare et legatione fungi pro nobis, quando *verbo* (consecrationis) secaveris corpus et sanguinem dominicum, *vocem adhibens pro gladio.* »

2. *Doctrina S. Thomæ;* ait enim (3. q. 82, art. 4, ad 1) : « Consecratio Chrismatis, vel cujuscumque alterius materiæ, non est sacrificium, sicut *consecratio Eucharistiæ.* » Ibidem (art. 10) docet sacerdotem teneri ad Eucharistiam consecrandam « principaliter per comparationem ad Deum, cui *consecratione* hujus sacramenti sacrificium offertur. » Tandem in eodem articulo (ad 1) expresse dicit : « Hoc sacramentum perficitur *in consecratione Eucharistiæ, in qua sacrificium Deo offertur.* »

3. *Rationibus theologicis.* Etenim forma sacrificii Missæ in ea actione consistit quæ fit in nomine Christi, principalis offerentis; quam Christus adhibuit in hujus sacramenti institutione, jussit enim fieri quod fecit; quæ est repræsentativa passionis, et in qua demum contingit victimæ immutatio ad rationem sacrificii necessaria. Porro hæc omnia in consecratione reperiuntur; quippe quæ — *fit in persona Christi*, ut patet ex verbis consecrationem precedentibus; — *a Christo adhibita* fuit, uti pariter ex evangelio constat; — est *repræsentativa* passionis Christi, quippe quod vi verborum mystica fit separatio corporis et sanguinis Christi quæ aptissima est ad significandam et repræsentandam cruentam mactationem in ara crucis peractam; — *victimam immutat* non tantum per hoc quod Christum in altari ponit modo mortuo, separando vi verborum corpus a sanguine, sed etiam quia Christus, dum sub speciebus panis et vini ad statum cibi ac potus dejicitur, veram, licet moralem, destructionem sui patitur. Ergo.

Præterea illa actio sacrificii eucharistici forma merito prædicatur, cui independenter ab aliis competit tota sacrificii definitio; atqui hujusmodi est consecratio; importat enim — *oblationem*, cum victimam Deteno præsel, non quidem *in actu signato*, seu per verbum *offerimus;* sed *in opere exercito*, sicut Christus seipsum in cruce obtulit, facto potius quam verbis; — *oblationem rei sensibilis*, Christi nimirum per species eucha-

risticas modo sensibili præsentis; — oblationem *Deo factam*, siquidem nulla actio magis ad Dei cultum ordinatur quam consecratio, opus Christi præstantissimum ; — *a ministro legitimo*, sacerdote videlicet, quem Christus potissimum elegit ut consecraret; — *per immutationem victimæ*, sive hæc consistat in mystica corporis et sanguinis separatione, prout modo diximus, sive in morali Christi exinanitione per statum cibi et potus ; — *ad testificandum supremum Dei dominium*, quatenus prædicta Christi exinanitio efficacissime proclamat Deum esse et vitæ et mortis auctorem,

Tandem vel admittendum est formam seu essentiam sacrificii Missæ adæquate in consecratione consistere, vel dicendum unam aut plures ex actionibus supra enumeratis ad hanc essentiam pertinere : atqui posterius dici nequit. Namque — *oblatio*, quæ fit ante consecrationem non est immutativa victimæ, sed præparatoria materiæ consecrandæ ; non enim offertur corpus Christi, quod nondum præsens est, sed panis et vinum; neque eam oblationem adhibuit Christus; — *oblatio sequens consecrationem* non fit etiam in persona Christi, ut patet ex verbis: *Unde et memores, Domine, nos servi tui sed et plebs tua sancta, offerimus præclaræ majestati tuæ*; nec etiam victimam immutat, sed mutationem factam supponit, neque Christus eam adhibuit; imo aliquando omittitur. — *Fractio panis* est quidem mutativa specierum, sed non corporis Christi ; nec versatur circa utramque speciem, cum tamen utraque species rationem sacrificii ingrediatur, ut mox dicemus; imo, si casu hostia decidat in calicem, subsistit sacrificium sine fractione : quoad autem commixtionem specierum, eam non adhibuit Christus, neque per eam mactatur victima. — *Fidelium communio* supponit sacrificium jam peractum, cum illius participes fiant communicantes, et sine illa sæpe dari potest sacrificium, dicente conc. Trid. (sess. 17, can. 8) : « Si quis dixerit Missas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse ideoque abrogandas : anathema sit. » — Imo nec ipsa *sacerdotis communio* ad essentiam sacrificii pertinet, quidquid contradicat Bellarminus, et ratio est tum quia sacerdos communicans non agit in persona Christi; non

enim aliquid offert, sed sibi et in propriam utilitatem recipit; tum quia non omnino constat Christum seipsum communicavisse, cum tamen de fide sit illum consecrasse verumque sacrificium obtulisse; tum quia sumptio non est repræsentativa mortis Christi, nisi mediate et ex præsuppositione quod Christus sit prius immolatus; tum quia non est immutativa victimæ nisi localiter : remanet enim, ea non obstante, corpus Christi sub speciebus. — Nec dicatur in communione sacerdotis per specierum consumptionem haberi realem victimæ destructionem, quæ in consecratione omnino desideratur; nam hæc destructio per manducationem, si esset sacrificativa, non in stomacho sacerdotis, sed in altari fieri deberet. Adde Christum, quando species corrumpuntur, non destrui, sed esse desinere in statu victimæ sub symbolis visibilibus. Ergo.

SECUNDA PARS ASSERTIONIS, videlicet *communionem sacerdotis celebrantis ad integritatem sacrificii pertinere*,

PROB. 1. *Praxi Ecclesiæ* strictissime injungentis sacerdoti, ut utramque speciem ab se consecratam sumat, et si ipse id perficere non possit, ut alius sacerdos etiam non jejunus sacrificium per sacrarum specierum sumptionem consummet. Porro, si sacerdotis communio ad integritatem sacrificii non pertineret, non intelligeretur cur Ecclesia sacerdotem non jejunum hoc sacrificium quandoque perficere juberet, cum probabilius non liceat sacerdoti non jejuno Missam celebrare ad viaticum pro moribundo consecrandum, cujus tamen susceptio jure divino præcipitur.

PROB. 2. *Decret concilii Toletani XII*, quod, postquam graviter reprehendit nonnullos sacerdotes tot vicibus non communicantes quot sacrificia offerebant, addit : « *Quale erit* illud sacrificium, cui nec *ipse sacrificans particeps esse* cognoscitur? »

PROB. 3. *Ratione.* Sacrificium Eucharistiæ habet rationem cibi et potus : porro cibus et potus naturalem ordinem dicunt ad sumptionem. Ergo sacrificium Missæ ordinem dicit ad sumptionem tanquam ad partem integrantem et complentem.

II. *An utraque consecratio pertineat ad formam.*

189. Non unanimiter consentiunt theologi ubi expendunt an utriusque speciei consecratio ad sacrificii essentiam seu formam pertineat. Negant plures, sive hujusmodi consecrationem utriusque speciei jure tantum ecclesiastico necessariam existiment, sive jure quidem divino, sed ita ut Ecclesia, vel Summus Pontifex, ab hoc præcepto dispensare valeat. Affirmant ex adverso alii post S. Thomam et dicunt consecrationem utriusque speciei non tantum jure divino necessariam esse, uti probavimus in secunda parte (n. 91), sed etiam ad sacrificii essentiam pertinere : cum quibus sit sequens.

190. Assertio : *Ad sacrificii Missæ essentiam probabilius requiritur utriusque speciei consecratio.*

Prob. 1. *Ex ipsamet Eucharistiæ institutione* : « Christus enim, ut ait conc. Trid. (sess. 22, cap. 1), corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit... ; et Apostolis eorumque successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba : *Hoc facite in meam commemorationem* » ; quibus verbis sat indicatur Christum instituisse, ut sub utraque specie perficeretur Missæ sacrificium, nec proinde sub una tantum specie dari posse. Cæterum verba Christi ejusque institutionem de utriusque speciei consecratione semper intellexit et servavit Ecclesia.

Prob. 2. *Ex natura sacerdotii Christi* : Christus, utpote sacerdos juxta ordinem Melchisedech, sacrificium ejusdem generis ac illud quod Melchisedech obtulit, et ipse debuit offerre : porro in sacrificio Melchisedech panem et vinum omnino essentialia fuisse merito colligitur, ait Suarez (disp. 75, (sect. 6.), ex eo quod Scriptura simpliciter dicit ipsum obtulisse panem et vinum; nec potest rationabiliter dici unam potius quam aliam materiam, aut alterutram potius quam utramque fuisse de essentia, cum utraque copulativa lectione scriptoris sacri æque comprehendatur.

Prob. 3. *Ex relatione sacrificii eucharistici cum sacrificio crucis.* Sacrificium eucharisticum est essentialiter repræsentativum sacrificii in cruce peracti : atqui talis repræsentatio

nonnisi per duplicem consecrationem haberi potest; nam, uti argumentatur Suarez (*loc cit.*), sacrificium cruentum crucis « non consistit in hoc quod corpus ejus fuerit mortuum, vel quod sanguis fuerit extra venas, sed in ipsamet actuali passione et sanguinis effusione usque ad separationem animæ a corpore. Unde fit, ut licet demus per unam speciem corporis significari corpus mortuum, et per sanguinis speciem per se sumptam significari sanguinem effusum, non inde fit per singulas species per se sumptas repræsentari sacrificium cruentum, nisi fortasse in suo termino. At vero, quando sanguis statim post corpus separatim consecratur, quasi in viva imagine repræsentatur ipsa effusio sanguinis, et consequenter separatio animæ a corpore, quæ ex effusione sanguinis secuta est.»

III. *Quatenus consecratio sit forma sacrificii Missæ.*

191. Tandem quæri potest sub quanam ratione consecratio utriusque speciei sit actio formaliter sacrificativa, verumque sacrificium constituat. Sed in hoc explicando theologi varias excogitaverunt opiniones.

Prima est Vasquezii et aliorum qui dicunt ad essentiam sacrificii commemorativi, quale est Missæ sacrificium, non requiri destructionem actualem victimæ, sed sufficere repræsentationem vivam immolationis præteritæ; quod quidem illustrari potest exemplo oblationis sanguinis hirci, quæ intra sanctuarium fiebat et censebatur verum sacrificium, licet extra tabernaculum præcessisset immolatio; idem est de Missa; eadem victima quæ in cruce fuit immolata, præsens fit in altari, in statu perfecte repræsentativo immolationis præteritæ, quatenus species vini, quæ est symbolum sanguinis, adest sejuncta a specie panis quæ est symbolum corporis.

Secunda est Suarezii, dicentis destructionem rei principaliter oblatæ fuisse quidem necessariam in sacrificiis veteribus, quandiu nempe genus humanum lapsum conscientiam habuit peccati nondum expiati, sed in lege gratiæ, ubi Christus ipse reproducitur in statu victimæ incruentæ ad applicandam satisfactionem jam peractam, sufficere ad rationem sacrificii transmutationem panis et vini in corpus et sanguinem Christi,

qualis fit per consecrationem; quippe quod illud sacrificio novæ legis peculiare est, quod per se et primo potius sit ad producendum quam ad destruendum.

Tertia opinio est Lessii, quem secutus est Bossuetius cum aliis plurimis. Docent hi rationem sacrificii in eo contineri quod vi verborum seorsim ponitur corpus Christi sub una specie et sanguis Christi sub altera. Nec « obstat veritati sacrificii, inquit Lessius, quod non fit reipsa separatio sanguinis a carne, quia id est quasi per accidens propter concomitantiam partium. Nam quantum est ex vi verborum, fit vera separatio, et sub specie panis solum ponitur corpus, non sanguis, sub specie vini solus sanguis, non corpus. Et hoc sufficit ad rationem hujus sacrificii » (Cf. Bossuet, *Exposition de la foi catholique*, n. 14).

Quartam sententiam tradunt card. de Lugo, Collet et alii. Juxta illos dici potest Christum vere et realiter immutari, in quantum per consecrationem ad humillimum statum redigitur; corpus enim Christi, quod est in cœlo gloriosum et habet staturam naturalem, per consecrationem redigitur ad punctum minimum, in minima particula fit præsens, existit modo quodam mortuo ad exercendas humanitatis functiones inepto, ejus vita et gloria velantur sub symbolis mortis, quatenus species panis quæ repræsentat corpus, adest sejuncta a specie vini quæ repræsentat sanguinem.

Adnotabimus hic duas posteriores opiniones a nonnullis conjungi, qui proinde docent essentiam sacrificii eucharistici in consecratione perfici, in quantum vi verborum formæ ponitur corpus Christi sub specie panis, et seorsim sanguis sub specie vini, sicque Christus sub speciebus alienis præsens in statu, in quo edi ac potari possit, tanquam mortuus constituitur. Hæc est autem, ut nobis videtur, vera ratio sacrificii Eucharistici; quod ut probetur, sit sequens

192. Assertio : *Formalis ratio, qua consecratio sacrificii eucharistici essentiam constituit, in eo reponenda est, quod vi verborum corpus Christi sub specie panis, et seorsim sanguis sub specie vini ponitur, sicque Christus in statu cibi et potus tanquam mortuus constituitur.*

Prob. 1. *Indirecte*, seu ex insufficientia explicationum superius expositarum. Etenim 1. in sententia Vasquezii nulla requiritur victimæ immutatio, sed tantum victima in cruce immolata præsens sistitur et mors ejus cruenta repræsentatur: porro ex sola repræsentatione sacrificii absoluti in cruce peracti non satis intelligitur ratio sacrificii eucharistici, quod quantumvis dicatur *relativum*, supremum Dei dominium in vitam ac mortem exprimere nequit nisi per veram victimæ immutationem et æquivalentem ejus destructionem, ut patet ex dictis. Id confirmant sacrificia in veteri lege usurpata; illa enim, etsi mortem Christi futuram repræsentarent, vera sacrificia non fuissent, nisi res tunc sacrificata realiter destructa fuisset. Cæterum SS. Patres et conc. Tridentinum non obscure innuunt veram Christi immolationem, licet incruentam, in altari fieri.

2. Explicatio Suarezii asserentis destructionem rei principaliter oblatæ nonnisi in sacrificiis imperfectis veteris legis necessariam fuisse, nunc vero sub lege gratiæ sufficere in nostro sacrificio destructionem panis et vini, velut termini *a quo*, et reproductionem Christi in statu victimæ incruentæ, cum notione sacrificii vix conciliari posse videtur, nec declarat quomodo Christus sub speciebus panis et vini formaliter in statu victimæ incruentæ constituatur.

3. Opinio Lessii, qui vult Christum per consecrationem victimam effici, quatenus vi verborum separatur corpus a sanguine, sufficit quidem, uti constat ex jam dictis, ad rationem sacrificii repræsentativi constituendam, sed non explicat quomodo Christus vere, licet incruente, immoletur, statumque victimæ induat, siquidem quæcumque sit separatio corporis a sanguine, quantum est ex vi verborum, de facto, propter *concomitantiam partium*, unum ab alio realiter non separatur; nec proinde, si sola spectetur positio corporis seorsim a sanguine vi verborum, invenitur in sacrificio eucharistico realis victimæ immutatio, quam ad rationem hujus sacrificii necessariam esse omnes fateri debent. — Addere possumus cum card. de Lugo hanc concomitantiam non esse miraculosam, sed debitam ad positionem alterius partis; verba enim super

panem prolata, nedum petant ibi non poni sanguinem, e contra exigendo quod ponatur corpus, exigunt, saltem mediate et consequenter, quod ponatur sanguis; idem dicendum de verbis super vinum prolatis relative ad corpus. Nulla igitur in ipsamet consecratione inveniri potest actio ex natura sua tendens ad separandum unum ex alio.

4. Quod attinet ad sententiam card. de Lugo affirmantis rationem formalem sacrificii Missæ totam esse in *statu decliviori*, quem Christus sub speciebus eucharisticis induit, rationem sub qua Christus victima efficitur, optime declarat, ut mox dicemus; sed si sejungatur a sententia Lessii, non satis apparet quomodo sacrificium Missæ cruentam immolationem crucis repræsentet; imo, ea admissa, forsan dici posset sacrificium eucharisticum in consecratione unins tantum speciei æque sibi constare ac in consecratione utriusque, quod sanæ doctrinæ repugnat.

Prob. 2. *Directe.* Etenim, cum Missæ sacrificium, ex antea dictis, veri nominis sacrificii rationem habeat, ac simul mortis Christi necessario repræsentativum sit, in eo reponenda videtur formalis ratio qua perficitur, ex quo habet ut passionem Domini repræsentet, et Christum in statu victimæ constituat : Atqui — 1. sacrificium missæ immolationem Christi in cruce peractam representare, quia vi verborum separatur corpus a sanguine, satis demonstrant superius dicta; — 2. Christum vero statum victimæ induere ex eo quod in statu cibi et potus constituatur, sic probari potest :

Ratio victimæ, qualis in sacrificio eucharistico exigitur, hujusmodi esse debet, ut eam in Christo inducat immutationem, quæ, licet non sit destructio physica jam impossibilis, morali tamen hominum æstimatione destructioni æquivaleat; talis immutationis exemplum habes in libationibus, in quibus vinum non physice destruebatur, sed effundebatur in terram et hac effusione moraliter destructum censebatur. Porro cuilibet attente consideranti modum existendi quo Christus in statu cibi et potus constituitur, mox apparebit talem induci in ipso immutationem qua verissime, etsi incruente, mactetur, ideoque in statu victimæ constituatur. Namque Christus, primogenitus

omnis creaturæ, caput Ecclesiæ, in omnibus primatum tenens (*Colos.*, I, 15-18), ita sub speciebus panis et vini existit, ut in ipso desinat omnis actus connaturalis vitæ corporeæ pendens a sensibus, ut nihil secundum corpus connaturaliter agere possit, ut corpus ejus et sanguis creaturarum arbitrio, non secus ac si esset res inanimata, quodam modo permittatur; uno verbo Christus, prout per consecrationem in altari producitur, modo quodam mortuo et in statu, in quo edi ac potari possit, existit. Jam vero talis exinanitio non tantum sufficienter intrinsecam victimæ rationem continet, sed etiam, excepto sacrificio crucis, nulla sublimior ac profundior veri et proprii sacrificii ratio concipi potest. Ergo.

193. Corollarium. Ex dictis de essentia sacrificii eucharistici, nullo negotio colligitur sacrificium Missæ cum Eucharistiæ sacramento convenire — sive ratione principii quo producuntur; utrumque enim una eademque actione, consecratione nimirum, conficitur; — sive ratione termini actionis, quippe cum idem utrobique terminus sit, videlicet Christus. — Imo, ex Christi institutione, Eucharistiæ consecratio et oblatio sacrificii ita inter se connectuntur, ut per intentionem ministri nunquam separari possint. Unde si quis consecrare vellet, nec tamen sacrificium offerre, nihil prorsus faceret, cum id facere vellet, ad quod nullam a Christo potestatem accepit.

Attamen in pluribus ab invicem differunt; nam — 1. sacrificium, cum sit oblatio victimæ, primario involvit actionem ejusdem victimæ sacrificativam, ita ut essentia sacrificii sita sit partim in actione sacrificandi, partim in re oblata; Eucharistia vero, ut sacramentum, in sola re ex ratione sacrificativa permanente continetur. — 2. Sacrificium ordinatur per se et primo ad cultum divinum, sacramentum ad nostram sanctificationem. — 3. Ad essentiam sacrificii requiritur consecratio utriusque speciei, dum essentia sacramenti in una specie salvatur.

CAPUT III.

DE EFFICACIA SACRIFICII MISSÆ.

Ut efficacia sacrificii Missæ perfecte dignoscatur, tria sunt expendenda : — 1. quinam sint effectus sacrificii Missæ; — 2. quomodo obtineantur; — 3. quisnam sit ejusdem sacrificii valor in his effectibus producendis.

ARTICULUS I.

Quinam sint effectus sacrificii Missæ?

194. Status quæstionis. Missæ sacrificii effectus alii ad Deum, alii ad hominem referuntur. Prout ad bonum Dei spectat, Missæ sacrificium valet tum ad supremum Dei dominium directe agnoscendum, tum ad gratiarum actiones pro beneficiis acceptis Deo refundendas, et sub hoc duplici respectu dici solet *latreuticum* et *eucharisticum*; quatenus vero in hominis utilitatem cedit, efficax est sive ad Deum placandum et remissionem peccati obtinendam, sive ad pœnas peccato debitas relaxandas, sive demum ad nova beneficia postulanda et impetranda, et exinde dicitur *propitiatorium*, *satisfactorium* et *impetratorium*.

Jam vero sacrificium Missæ esse latreuticum et eucharisticum satis constat ex precibus liturgicis, nec in eo multum reluctantur hæretici; sed negant illud esse propitiatorium, satisfactorium et impetratorium. Contra quos proinde sit sequens

195. Assertio : *Sacrificium Missæ valet tum ad remissionem peccatorum, tum ad solutionem pœnæ peccato debitæ, tum ad alia beneficia a divina bonitate impetranda, seu est vere propitiatorium, satisfactorium et impetratorium.*

Est de fide. Ait enim conc. Trid. (sess. 22, can. 3) : « Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantum esse laudis, et gratia-

rum actionis, aut nudam commemerationem sacrificii in cruce peracti, non autem *propitiatorium;* vel soli prodesse sumenti; neque *pro vivis et defunctis, pro peccatis et pœnis, satisfactionibus et aliis necessitatibus* offerri debere : anathema sit. »

PROBATUR PRIMA PARS, nempe *sacrificium Missæ vere propitiatorium esse,*

1. *Scriptura sacra.* (*Matth.*, XXVI, 28) : « Hic est sanguis » meus... qui pro multis effundetur, » vel uti habetur apud Lucam, « effunditur in remissionem peccatorum. » Unde sic : ubi est effusio sanguinis in remissionem peccatorum, ibi est sacrificium vere propitiatorium : atqui non in cruce solum facta est effusio sanguinis Christi in remissionem peccatorum, sed etiam in Eucharistiæ institutione, ut indicat tempus præsens *funditur*, ac proinde in altari. Ergo. Insuper ex Apostolo (*Hebr.*, v, 1) : « Omnis pontifex constituitur... ut offerat » dona et sacrificia *pro peccatis.* » Atqui in Missa verum est sacrificium verique sunt sacerdotes. Ergo.

2. *Traditione*, liturgiis nempe, SS. Patrum testimoniis et conciliis. — 1. *Liturgiis.* Liturgia Romana hæc habet : « Suscipe, sancte Pater, æterne Deus, hanc immaculatam hostiam *pro innumerabilibus peccatis et offensionibus, et negligentiis meis.* » Liturgia S. Chrysost. : « Idoneos nos redde ad offerenda tibi dona et sacrificia *pro peccatis nostris et populi.* » Liturgia S. Basilii : « Dignos effice ut offeramus sacrificium hoc reverendum ad abolenda delicta nostra. » Ita et aliæ liturgiæ. — 2. *SS. Patrum testimoniis.* S. Hieron. (*in cap.* I *epist. ad Tit.*, § *Sed hospitalem*) : « Quid de episcopo sentiendum est, qui quotidie *pro suis populique peccatis* illibatas Deo oblaturus est victimas? » S. Aug. (*in Lev.*, 57) : « In multis sacrificiis quæ pro peccatis offerebantur, unum hoc nostrum sacrificium significatur, *in quo vera est remissio peccatorum.* » Et sic alii Patres, — 3. *Conciliis.* Jam audivimus Tridentinam definitionem supra allatam; idem vero concilium in eadem sessione (can. 2) his verbis valorem propitiatorium sacrificii eucharistici proponit : « Docet sancta synodus sacrificium istud vere *propitiatorium* esse, per ipsumque fieri, ut si cum vero

corde et recta fide, cum metu et reverentia, contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam et donum pœnitentiæ concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit. »

3. *Ratione theol.* Sacrificium Missæ est sane longe præstantius sacrificiis antiquæ legis, continetque omnes eorum differentias : atqui inter sacrificia antiquæ legis erant sacrificia propitiatoria. Ergo. — Et vero, ex hæreticorum, confesso, Eucharistia in remissionem peccatorum instituta est : atqui, quatenus sacramentum, peccata directe non remittit, ut in secunda parte Tractatus probatum fuit. Ergo superest, ut vim peccata remittendi habeat, quatenus est sacrificium. — Demum omne sacrificium, ex antea dictis, ad Deum placandum ordinatur; ergo non est cur ille effectus denegetur sacrificio eucharistico, in quo res oblata et qui principaliter offert est ipse Christus passionem suam pro nobis conspectui Patris objiciens.

SECUNDA PARS assertionis, qua affirmatur *sacrificium Missæ valere ad solutionem pœnæ peccatis debitæ* pariter constat

1. *Scriptura sacra*, in qua (II *Mach.*, XII, 43) legitur de Juda Machabæo quod « facta collatione, duodecim millia drachmas » argenti misit Jerosolymam, *offerri pro peccatis mortuo-* » *rum sacrificium*, bene et religiose de resurrectione cogitans. » Addit vero textus sacer : « Sancta ergo et salubris est » cogi- » tatio pro defunctis exorare, ut *a peccatis solvantur*. » Quod vero de sacrificiis in veteri lege adhibitis dicitur, meliori jure prædicatur de sacrificio Legis novæ. Ergo valet sacrificium Missæ ad solvandam pœnam peccatis debitam, siquidem in mortuis sola pœna temporalis relaxari potest.

2. *Traditione.* Nam — 1. in omnibus liturgiis videre est sacrificium Missæ in suffragium fidelium defunctorum semper oblatum fuisse. Hæc habet Liturgia Romana : « Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis. » Similia in aliis liturgiis invenies. — 2. Idem testantur SS. Patres. S. Joannes Chrysost. (*Hom.* 21 *in Act.*, n. 4) ait : « Non

frustra *oblationes pro defunctis fiunt*, non frustra preces, non frustra eleemosynæ. Hæc omnia Spiritus disponit, volens ut *nos mutuo juvemus.* » S. Augustinus (lib. 9 *Conf.*, c. 11) matrem suam, die mortis ejus imminente, sic se fratremque suum alloquentem inducit : Ponite hoc corpus ubicumque... Illud tantum vos rogo, ut *ad Domini altare memineritis mei.* — 3. Demum conc. Trid. in decreto de *Purgatorio* definit animas ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero *acceptabili altaris sacrificio adjuvari.* »

Ex his vero omnibus merito infertur sacrificium Missæ ad solvendam pœnam peccato debitam valere non solum in defunctis, sed etiam in justis viventibus. Si enim pro mortuis ad hoc valet, quidni pro vivis? Quod quidem aperte declarat eadem Tridentina synodus his verbis : « Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis et satisfactionibus et aliis necessitatibus, sed et pro defunctis nondum plane purgatis, rite juxta Apostolorum traditionem offertur. »

3. *Ratione.* Per sacrificium Missæ fit applicatio meritorum Christi : porro merita Christi valent non tantum ad peccatorum remissionem procurandam, sed etiam ad pœnam Deo pro peccatis debitam persolvendam. Ergo Missæ sacrificium valet quoque ad solutionem pœnæ temporalis peccato debitæ, seu est vere satisfactorium.

PROBATUR TERTIA PARS, nempe *sacrificium Missæ esse impetratorium.*

1. *Traditione*, nempe — tum liturgiis, in quibus omnibus reperiuntur Missæ aut saltem orationes pro pace, pro principum salute, pro fructuum terræ ubertate, pro captivorum redemptione et aliis rebus omnis generis; — tum SS. Patribus; siquidem Tertullianus (lib. *ad Scapulam*, c. 2) ait : « Sacrificamus pro salute imperatoris; » et S. Cyrillus Hier. (*Catech. myst.*, 5) : Postquam confectum est illud sacrificium... obsecramus Deum pro *communi ecclesiarum pace*, pro *tranquillitate mundi*, pro *regibus*, pro *militibus*, pro *sociis*, pro *ægrotis* et *afflictis*, et in summa pro *iis omnibus qui egent auxilio;* » sed pro iis indubie offerebatur sacrificium, pro quibus inter sacrificandum publice orabatur; — tum denique ex jam ci-

tatis conc. Trid. verbis, ubi dicitur hoc sacrificium pro fidelium vivorum peccatis, pœnis... *aliisque necessitatibus* offerri; hæc enim ultima vox *aliisque necessitatibus*, utpote indefinita, omnem, quæcumque sit, veram necessitatem designat.

2. *Ratione.* Illud enim sacrificium vere et proprie impetratorium dici potest, per quod bona tum spiritualia, tum temporalia consequimur : atqui per sacrificium Missæ consequimur — 1. bona spiritualia, tum quia illud sacrificium est applicativum meritorum sacrificii crucis; Christus autem in cruce bona quæcumque spiritualia nobis promeruit; tum quia, ex antea dictis, valet Missæ sacrificium pro peccatis dimittendis; ergo a fortiori valere debet sive pro aliis necessitatibus quæ ex peccato ortæ sunt, sive pro impetrando virtutum augmento; — 2. bona temporalia, cum hæc nobis utilia sunt, et ratio est quia per vetera sacrificia impetrabantur gratiæ etiam temporales : porro non minor esse debet efficacia sacrificii eucharistici ac veterum sacrificiorum, quæ, ut sæpe monuimus, totidem erant sacrificii nostri figuræ. Ergo.

ARTICULUS II.

Quomodo sacrificium Missæ effectus suos obtineat?

196. Status quæstionis declaratur. — Missæ sacrificium effectus supra enumeratos multiplici ratione sortiri potest, nempe — 1. *immediate* vel *mediate; immediate*, sit per se et nullo alio intermedio prædictos fines attingat, *mediate* vero, si aliquid producat, ad cujus positionem consequuntur iidem effectus; — 2. *ex opere operato* vel *ex opere operantis; ex opere operato*, si effectus causentur ex dignitate rei oblatæ et principalis offerentis, qui est Christus; *ex opere operantis*, si ex merito sacerdotis aut fidelium cum sacerdote offerentium efficaciam suam desumat; — 3. *infaillibiliter* vel *per modum impetrationis*; *infallibiliter*, si semper et in omni casu obtineantur præfati effectus; per *modum vero impetrationis*, si, ut effectus obtineantur, certæ requirantur conditiones, quæ possunt quandoque deesse.

His prænotatis, quod attinet ad effectum latreuticum et eu-

charisticum nulla moveri potest et de facto movetur difficultas. Cum enim in sacrificio Missæ Christus sit victima et principalis offerens, manifestum est hoc sacrificium dari non posse, quin immediate et infallibiliter supremum Dei dominium perfecte agnoscatur, simulque ipsi persolvantur eximiæ gratiarum actiones pro omnibus beneficiis jam acceptis. — Tota igitur quæstio versatur circa alios effectus qui in hominis commodum cedunt. Quæ ut solvatur, sequentes sint assertiones :

197. Assertio 1ª : *Missæ sacrificium mediate tantum peccata remittit* ; *pœnæ vero temporalis relaxationem aliaque bona tum spiritualia, tum temporalia, immediate obtinet.*

PROB. 1ª PARS — 1. *auctoritate concilii Tridentini* (sess. 22, cap. 2) dicentis : « Hujus oblatione placatus Dominus, *gratiam et donum pœnitentiæ concedens*, crimina et peccata etiam ingentia dimittit. » Unde sic : quod eatenus remittit peccata, quatenus certas in anima parit dispositiones, quarum ope peccator remissionem delictorum consequi valeat, illud non immediate, sed mediate peccata remittit : atqui sacrificium Missæ, ex Tridentino textu, eatenus peccata remittit, quatenus gratiam pœnitentiæ obtinet, quæ remissionem peccati præstat. Ergo.

2. *Ratione.* Majoris efficaciæ non est sacrificium Missæ quam sacrificium crucis; atqui sacrificium crucis non justificavit immediate; alioquin universus mundus, pro quo oblatum fuit, jam justificatus fuisset. Ergo. — Et vero si sacrificium Missæ immediate remitteret peccata, hæc eodem modo remitteret ac Baptismus et Pœnitentia remittunt; sed falsum est consequens; alioquin nulla esset frequentandi sacramenti pœnitentiæ necessitas. Ergo.

Nec dicatur concilium Tridentinum (sess. 22, c. 1) ad remissionem peccati venialis per hoc sacrificium, contritionem non requirere, de qua tamen mentionem facit ubi lethalium remissionem sacrificio eucharistico attribuit, idque indicium esse peccata venialia a sacrificio Missæ *immediate* remitti. — Idem enim dicendum est de venialibus ac de mortalibus; alioquin venialia illa per extrinsecam condonationem sine ullo hominis actu dimitterentur; id autem non congruit naturæ peccati ve-

nialis, quod, quantumvis veniale, per aliquid sibi contrarium destrui exigit. Sed hoc præsertim tenendum est si admittatur in præsenti ordine peccata venialia viventibus nunquam remitti, sine novæ gratiæ sanctificantis infusione; ad gratiam enim immediate conferendam sacramentum, non vero sacrificium, ordinatur.

PROB. 2ª PARS, nempe *sacrificium Missæ pœnæ temporalis solutionem, cæteraque bona immediate obtinere.*

Etenim 1. quod ad pœnas attinet, juxta Trident. supra citatum, valet hoc sacrificium tam vivis quam defunctis pro remissione peccatorum; defunctis autem in purgatorio detentis valere non potest impetrando ipsis actum satisfactionis, quia non sunt capaces activæ satisfactionis, sed satispassionis tantum et satisfactionis ab aliis applicatæ : ergo valet immediate; si autem ita defunctis prosit, quidni viventibus?

2. Quoad autem bona spiritualia aut temporalia, neminem fugit hæc immediate obtineri per bona opera, jejunium, orationes, eleemosynas, etc; porro non major inest efficacia prædictis operibus quam Missæ sacrificio, quod est totius religionis opus præstantissimum. Ergo.

Ex his vero statim colliges valorem satisfactorium sacrificii Missæ a valore impetratorio valde differre. Etsi enim hoc sacrificium sit satisfactorium, in quantum impetrat relaxationem pœnarum peccatis debitarum, est etiam et præsertim satisfactorium, quatenus ex institutione Christi ejus passio et merita immediate per illud applicantur ad tollendas pœnas peccatorum.

198. Assertio 2ª : *Sacrificium eucharisticum effectus jam memoratos ex opere operato producit, ita tamen ut aliquem fructum ex opere operantis habeat.*

PROB. 1ª PARS, nempe, *sacrificium Eucharisticum effectus suos ex opere operato producere.*

Etenim illud sacrificium operatur *ex opere operato*, quod suos effectus producit independenter a devotione celebrantis, et illius pro quo offertur, et vim suam habet directe a Christo. Atqui, sacrificium Missæ operatur — 1. *independenter a devotione celebrantis*; « hæc enim, ait Tridentinum (sess. 22, c. 1),

illa munda oblatio est quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest; » nec congruum erat ut plebs christiana, quæ sæpius suspectam habet ministrorum probibatem, suspectam haberet sacrificii virtutem; — 2. *independenter a devotione illius pro quo offertur;* alioquin non majorem haberet virtutem aut efficaciam quam aliud quodlibet bonum opus; quod nemo dicit, manifesteque contradicit omnibus encomiis quibus sacrificium eucharisticum tota Traditio decoravit. — 3. *Vim suam habet directe a Christo.* Nam juxta conc. Tridentinum (sess. 22, c. 2), Missæ sacrificium vim suam habet ex eo quod in eo *idem ille Christus* continetur et incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit.

Confirmatur ex eo quod sacrificium Missæ prosit defunctis quantum ad relaxationem pœnæ temporalis; id quippe fieri non posse ex merito offerentis, qui forsan mortalis peccati reus est, neque ex merito defunctorum, qui sunt extra viam, manifestum est : porro nulla ratio apparet cur idem operandi modus quantum ad alios effectus eidem sacrificio denegaretur. Ergo.

Prob. 2ª pars, scilicet *sacrificium Missæ aliquem fructum habere ex opere operantis.*

Enimvero in sacrificio Missæ, præter opus operatum a quo suus principalis inest sacrificio valor, duplex est operans, sacerdos nempe Missam celebrans, et Ecclesia cujus nomine offertur sacrificium : porro ex utroque sacrificium vim aliquam desumit; *a sacerdote* quidem, cujus orationes in sacrificii oblatione recitatæ eo majorem fructum parere debent, quo sunt ferventiores. Aliunde si cætera justorum opera eo uberiores ipsis quidem et aliis, etsi modo diverso, gratias obtinent, quo sunt excellentiora et a majori caritate profluunt, quid de sacrificio Missæ, quatenus est opus offerentis? — *Ab Ecclesia* vero, quæ cum sit sancta et Deo grata, magnam vim habet ad justitiam divinam placandam, cæteraque bona impetranda. Ergo.

199. Assertio 3ª : *Missæ sacrificium, etsi aliquam habeat infallibilitatem in effectibus suis producendis, plerumque tamen nonnisi per modum impetrationis eosdem effectus sortitur.*

CONSTAT PRIMUM, videlicet *Missæ sacrificium aliquam infallibilitatem habere in effectibus suis producendis*, ex eo quod hi effectus causentur ex dignitate rei oblatæ et principalis offerentis, independenter a dignitate sacerdotis Missam celebrantis, ac proinde certo producerentur nisi obstarent rationes quædam sive ex parte Dei, sive ex parte eorum pro quibus offertur sacrificium; et revera, quoties nullus obex ponitur, semper obtinentur.

CONSTAT SECUNDUM, hoc est, *sacrificii eucharistici effectus per modum impetrationis plerumque* obtineri, quia, etsi Deus ex ipsa dignitate operis ad effectus supradictos moveatur, sæpe tamen variæ obstant causæ, — sive ex parte Christi, cujus voluntas non semper concurrit cum sacerdote ad merita sua Patri offerenda pro his obtinendis quæ per ministrum secundarium intenduntur; — sive ex parte Dei, qui victimam, quantumvis acceptabilis sit, in ordine ad finem particularem propter quem ab hominibus offertur, forsan non acceptat, quia talem finem procurare opportunum non judicat; — sive demum ex parte subjecti, pro quo offertur sacrificium; fieri enim potest ut sua obduratione et malitia obicem ponat. — Unde

1° Per sacrificium Missæ, *prout est propitiatorium*, Deus quidem infallibiliter placatur, itemque gratiæ sufficientes ad remissionem peccatorum tum mortalium, tum venialium, conferuntur ipsa vero remissio non semper causatur.

Dicitur 1. *per hoc sacrificium, quatenus est propitiatorium, Deum semper placari*, itemque *gratias sufficientes..... infallibiliter conferri*; ratio est quia fieri non potest ut victima tam Deo grata, sicuti est Christus, divino conspectui exhibeatur, quin justa ira Dei placetur, nec dubium est quin Deus, qui gratias sufficientes nemini denegat, maxime intuitu hujus sacrificii in quo passio Filii sui repræsentatur, eas conferat. Advertendum est tamen in hac propitiatione varios gradus dari posse, eamque iræ Dei placationem pleniorem vel minus plenam esse pro diversa dispositione peccatoris.

Dicitur 2. *ipsam peccatorum remissionem per idem sacrificium non semper causari*, quia nempe gratiis concessis homo semper resistere potest.

2° Eodem Missæ sacrificio, *prout est satisfactorium*, in justis tam vivis quam defunctis, aliqua pœnæ temporalis pars infallibiliter remittitur. — Ratio est quia hæc remissio fit per solutionem debiti : porro in justis nullus est obex, quo talis solutio impediatur; imo in defunctis ne esse quidem potest.

Dicitur 1. *justis*, quia ex lege Dei generali, pœna temporalis, nonnisi culpa remissa, dimittitur; aliunde injustis, utpote Dei inimicis, nulla fieri debet condonatio.

Dicitur 2. *temporalis pœnæ*; sola enim pœna temporalis remittitur, quia pœna æterna remissa est, ubi remissa fuit culpa mortalis; peccato autem veniali non debetur nisi pœna temporalis.

Dicitur 3. *aliquam partem*; nam non omnis pœna uno sacrificio remitti solet; alioquin pro eodem defuncto perperam pluries offerretur sacrificium.

3° Sacrificium Missæ, *quatenus est impetratorium*, etsi ex se vim habeat ultra omne meritum hominum qui offerunt, vel pro quibus offertur, ideoque ad bona sive spiritualia, sive temporalia obtinenda multo efficacius sit quam quælibet oratio, sequitur tamen communem rationem impetrationis, quæ, ut effectum suum sortiatur, certas requirit conditiones tum ex parte postulantis, tum ex parte eorum pro quibus postulatur, tum ex parte objecti quod postulatur, et inter eas præsertim, ratione objecti, debitam congruentiam cum divina Providentia. In præsenti vero, cum postulans sit ipse Christus, conditiones deesse non possunt, nisi ex parte subjecti pro quo oratur, vel objecti quod postulatur. Unde si effectus ab hominibus intentus, ob conditionis debitæ defectum, quandoque non obtineatur, oblatio non omni fructu caret, sed illud bonum, quod est in voluntate Christi interpellantis, obtinet, nisi ab homine ponatur obex.

His pro posse enucleatis, nonnulla corollaria ex doctrina, quam vindicavimus, nunc deducere fas est. Itaque

200. Corollarium I. *Ergo sacrificium Missæ et Eucharistiæ sacramentum inverso ordine se ad invicem habent relative ad remissionem peccati.* Patet ex prima assertione et ex dictis in secunda parte Tractatus (n. 102, 103, 104), scilicet dum Eu-

charistiæ sacramentum peccata sive venialia sive mortalia, saltem quandoque et per accidens, immediate remittit, pœnas vero peccato debitas nonnisi mediate, ex adverso sacrificium Missæ pœnas temporales immediate, peccata autem mediate tantum dimittit. Nec mirum : diversa est enim ratio sacrificii a ratione sacramenti, ac proinde diversus esse debet et operandi modus.

201. Corollarium II. *Ergo principalis et præcipuus Missæ fructus omnino independens est a ministro ejusque dispositionibus, sed totus a Christo, victima et sacerdote principaliter offerente, procedit; fructus tamen accidentalis et accessorius ex ministri secundarii fervore obvenire potest.* Sequitur ex secunda assertione.

Hinc — 1. sacerdos qui, accepto stipendio, plures Missas in statu peccati lethalis celebravit, obligationi suæ substantialiter satisfecit; convenit autem, ut piis orationibus compensare satagat quod ob ejus malitiam ratione fructus secundarii defuit.

Hinc — 2. si quæratur utrum Missa mali sacerdotis æque valeat ac Missa boni ac devoti, hæc dicenda sunt : — 1. Si in Missa consideretur oblatio prout a Christo seipsum victimam Deo Patri offerente perficitur, patet utramque Missam ejusdem valoris esse, si quidem sub hoc respectu *ex opere operato* agit. — 2. Si in Missa spectentur oblatio et orationes prout funduntur a sacerdote in nomine Ecclesiæ, idem dicendum est, quia utrinque est idem sacrificium, idemque ministerium; non enim malus minister, cum retineat characterem, desinit esse minister Ecclesiæ. Excipe tamen, si malus sacerdos sit excommunicatus non toleratus; nam, ut ait S. Thomas (3, q. 82, art. 7, ad 3), « quia ab Ecclesia est separatus, orationes ejus efficaciam non habent; » nec in nomine Ecclesiæ offerre potest. — 3. Si considerentur orationes ut a privata persona procedunt, earum efficacia pendet ex devotione sacerdotis, et ex ea parte melior est Missa boni quam mali sacerdotis. — Unde, cum res considerari soleant secundum omnes suas circumstantias, dici potest absolute quod Missa boni sacerdotis sit melior quam mali.

Hinc — 3. merito docent theologi uberiores fructus ex Missis cantatis quam ex Missis privatis percipi; in Missis enim cantatis et solemnibus non solum resonat harmonicus cantus, sed etiam multiplicantur exteriores actus religiosi, excitatur major adstantium devotio, cultus Deo splendidior exhibetur; quæ quidem fieri nequeunt quin copiosior fructus, saltem ex opere operantis ministri et Ecclesiæ, inde dimanet.

Hinc. — 4. Missa *de Requiem*, quoad substantiam, seu ex parte sacrificii, non magis prodest defunctis quam Missa de sanctis. Attamen « ex parte orationum, addit S. Thomas (*Suppl.*, q. 71, art. 9), magis prodest illa in qua sunt orationes ad hoc determinatæ. Sed hic defectus recompensari potest per majorem devotionem vel ejus qui dicit Missam, vel ejus qui jubet dici, vel iterum per intercessionem sancti cujus suffragium Missa imploratur. »

Notetur etiam hic Missam *de Requiem* et *in nigris* applicari posse pro vivo, modo qui eleemosynam tribuit expresse oppositum non declaraverit (S. R. Cong., 29 nov. 1856).

202. Corollarium III. *Ergo Missæ sacrificium multoties offerri pro eadem persona sive viva, sive defuncta, nedum superfluum sit, modo operandi hujus sacrificii valde contra congruit.* Patet ex tertia assertione.

Ubertas vero fructus ex Missa provenientis ex multiplici causa repetenda est, scilicet: — tum ex beneplacito Dei gratiam largientis cui vult et quantum vult; — tum ex intentione Ecclesiæ fructum Missæ ad talem vel talem finem specialiter destinantis; — tum ex intentione sacerdotis cui Deus Missæ fructuum largitionem commisit; — tum præsertim ex devotione eorum pro quibus Missa offertur; evidens est enim sacrificium Missæ, sicut et sacramenta, plus ei prodesse qui melius dispositus est quam minus bene disposito. — Quod attinet ad defunctos qui hic et nunc nullum obicem ponunt, nec tamen unico sacrificio liberantur, credibile est Deum rationem habere gradus piæ dispositionis in qua decesserunt et qua meruerunt in vita ut idem sacrificium ipsis post mortem prodesset. Melius est igitur fideles, dum adhuc vivunt, Missas sibi applicandas curare, quam post mortem, sive quia viventes varios Missæ

fructus percipere possunt, sive quia per proprios actus gradus satisfactionis multum augetur.

ARTICULUS III.

Quis sit valor sacrificii Missæ in effectibus suis producendis?

203. Prænotanda. Sacrificium Missæ considerari potest prout a Christo, vel ab Ecclesia, vel a sacerdote ministro offertur. — Iterum valor sacrificii Missæ, ut est a Christo principaliter offerente, spectari potest vel in se et in actu primo, seu secundum sufficientiam, vel in sua applicatione et in actu secundo, seu secundum effectum quem obtinet. Jam vero

Certum est — 1. sacrificium Missæ, si spectetur prout ab Ecclesia vel a sacerdote offertur, nonni sifinitum valorem habere; ratio est quia valor iste, qui est tantum *ex opere operantis*, in finita offerentium dignitate fundatur, ac proinde necessario limitari debet.

Certum est — 2. sacrificium Missæ, prout a Christo offertur, in se et in actu primo spectatum, valoris esse simpliciter infiniti; et ratio in promptu est; hoc enim sacrificium, quantum est ex se, est idem cum sacrificio crucis et cœnæ, siquidem eadem est res oblata, idemque principalis offerens, nempe Christus; sacrificium autem tam cœnæ quam crucis fuit, quantum ex se et quoad sufficientiam, valoris infiniti.

Certum est — 3. sacrificium Missæ, in sua applicatione et in actu secundo consideratum, semper effectum finitum habere. Nam 1. sacrificium Missæ non habet majorem valorem quam sacrificium crucis; atqui in sua applicatione sacrificium crucis effectum finitum habuit; alioquin omnes homines a peccatis suis resurgerent, et sancti fierent; ergo. — 2. Ex doctrina opposita sequeretur unum sacrificium sufficere pro salute totius mundi et pro evacuando toto purgatorio, nec deberet iterari; sicut, quia sacrificium crucis habuit effectum infinitum quantum ad solutionem pretii infiniti pro salute generis humani, unicum fuit, nec debuit iterari. — 3. Missa pluries offerri non deberet pro eodem fine vel eadem persona; quod adversatur tum praxi Ecclesiæ, plura sacrificia pro uno et eo-

dem offerente; tum sollicitudini sacerdotum tot Missas celebrandi, quot personis se obligaverunt; tum communi sensui fidelium, qui putant majorem sibi fructum applicari si plures sibi Missas celebrari procurent.

Sed quæstio est non parum implicata — 1. utrum sacrificium Missæ effectum indefinite majorem, secundum majores dispositiones eorum pro quibus offertur, producat, seu an valorem *intensive* infinitum habeat; — 2. utrum sacrificium Missæ pluribus et quidem in infinitum, si fieri posset, applicatum æque prosit singulis ac si uni applicaretur, seu an valorem *extensive* infinitum habeat.

§ I. De valore intensivo sacrificii Missæ.

204. Nemini dubium est fructum Missæ, qui est *ex opere operantis*, indefinite crescere posse juxta majorem devotionem offerentis, vel ejus pro quo offertur. — Insuper omnes etiam fatentur effectum, qui est *ex opere operato*, abundantius recipi pro majori dispositione illius cui applicatur, saltem usque ad certum intensitatis gradum; alioquin æque proficeret tepidis ac ferventibus, quod præsumere absonum est. — Utrum vero effectus sacrificii semper et indefinite crescat pro dispositione illius pro quo offertur, disputant theologi. Attamen communior et probabilior sententia affirmat. Itaque sit sequens

205. Assertio : *Fructus sacrificii eucharistici secundum majorem et perfectiorem dispositionem illius cui applicatur, indefinite crescit.*

Prob. 1. *Auctoritate S. Thomæ*, qui (3 p. q. 79, art. 5) ait : « Quamvis hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna, tamen fit satisfactoria pro illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, *secundum quantitatem devotionis.* » Hæc verba satis aperta sunt. Nec dicatur S. Doctorem (in 4, dist. 45, q. 2, art. 4; q. 3 ad 2) aliter sentire, quando dicit : « Quamvis virtus Christi, quæ continetur sub sacramento Eucharistiæ, sit infinita, tamen *determinatus est effectus*, ad quem illud sacramentum ordinatur; » quod enim Missa effectum determinatum habeat, intelligi debet de deter-

minatione non ex parte Christi, sed subjecti, juxta mensuram suæ dispositionis. Ergo.

Prob. 2. *Ratione theol.* Etenim — 1. ex omnium confesso sacramenta vim eo intensiorem habent quo major et perfectior est suscipientium devotio : porro non videtur cur minor esset sacrificii Missæ efficacia. Ergo. — 2. Sacrificium operatur per modum causæ universalis supernaturalis : porro omnis causa perfecta juxta subjectorum dispositionem agit. Ergo. — 3. Demum ea est lex generalis quam Deus in distributione donorum suorum sequitur, ut nobis dispensentur pro gradu cooperationis nostræ : ergo sacrificium Missæ alium operandi modum habere non debet.

Objiciunt quidem adversarii — 1. admissa quam propugnamus sententia, frustra Missas pro uno et eodem multiplicari; — 2. omnes animas quæ in purgatorio detinentur, cum sint in gratia, nec majorem mereri possint, esse in ultima dispositione ad remissionem totius pœnæ, et tamen non remitti eis totam pœnam per unum sacrificium; — 3. in obduratis et impœnitentibus, hæreticis et infidelibus nullam esse devotionem, ideoque nullum fructum in eis recipi.

At respondere fas est — 1. quolibet sacrificio effectum semper limitatum conferri; proindeque, quo pluries pro uno repetuntur sacrificia, eo pluries fructus participari; — 2. animas in purgatorio detentas non esse in æquali gratia, nec sacrificii fructum percipere, nisi in quantum meruerunt in vita ut sibi prodesset post mortem, uti docet S. Augustinus; — 3. non solam devotionem illius pro quo offertur sacrificium attendendam esse, sed etiam offerentis et procurantis sacrificium; neque istam devotionem semper supponere caritatem; devotio enim est actus religionis qui potest esse sine caritate. Cæteroquin sententia nostra intelligenda est præsertim de valore satisfactorio; nam quoad valorem impetratorium independens videtur a devotione illius pro quo offertur, siquidem impetratio nullam dispositionem supponit ex parte illius in cujus favorem impetratur, sed soli divinæ misericordiæ innititur.

§ II. De valore extensivo sacrificii Missæ.

206. Prænotanda. Ubi agitur de valore extensivo sacrificii Missæ, duplex fructus considerandus est, *generalis* unus, pro his qui assistunt sacrificio, *specialis* alter pro illis quibus applicatur. — Insuper distinguendus est effectus qui fit per impetrationem ab effectu satisfactorio. Quibus prænotatis,

Certum est — 1. fructum generalem sacrificii non minui ratione numeri fidelium qui Missam audiunt, seu aliis verbis, Missa æque prodest pluribus audientibus, ac si unus tantum audiret, non præcise quatenus pro ipsis offertur, sed quatenus ipsi cum sacerdote offerunt. Ratio est quia unusquisque audientium perinde offert ac si esset solus, sicque tot sunt oblationes quot adstantes, ac proinde nullus alteri obstat quominus fructum integrum offerenti respondentem percipiat. — Talis est communis fidelium, imo totius Ecclesiæ sensus; alioquin melius esset Missam privatam audire quam parochialem; quod dici nequit.

Certum est — 2. Missam specialiter prodesse illis pro quibus specialiori modo offertur; ut constat ex praxi Ecclesiæ, quæ fundationes et stipendia accipit ea præcise conditione ut fructum Missæ specialem concedat : porro illud facere non posset Ecclesia, si ex Missæ sacrificii applicatione nullus specialis fructus haberetur.

Imo — 3. communiter docent theologi valorem impetratorium sacrificii Missæ nullatenus minui pro numero eorum quibus talis effectus applicatur, ac proinde dici posse *extensive* infinitum. Ratio est juxta Suarezium, quia vis impetrandi quæ est in hoc sacrificio, non in speciali promissione fundatur, sed in intrinseca dignitate et valore ipsius sacrificii; ergo hæc impetratio est de se infinita. Exinde vero aperte sequitur sacrificium oblatum pro multis eamdem *vim impetrandi* habere in singulis, quam haberet pro uno tantum oblatum.

Advertit tamen eximius doctor hoc sacrificium, licet ex se sit valens ad impetrandum, tamen non applicari ad impetrandum nisi orationi conjungatur, quia non impetratur, nisi quod peti-

tur, vel desideratur ab alio : et ideo impetratio per se pertinet ad orationem, quam sacrificium facit exaudiri ; et hoc modo impetrat. Oratio autem, cæteris paribus, efficacior est ad impetrandum in particulari et speciatim facta, quam si generatim pro multis fiat. Ex his vero concludit eo efficaciorem fore oblationem, quo specialior erit oratio non tantum ex parte personarum pro quibus oratur, ut cum oro pro Petro, vel pro collegio cujus pars est Petrus, sed etiam ex parte rerum quæ postulantur, ut si peto humilitatem in particulari vel virtutem in communi, sub qua humilitas continetur (Cf. disp. 79, sect. 12, n° 3).

Difficultas vero potissimum exsurgit ex fructu satisfactorio, utrum scilicet Deus voluerit hunc effectum ita applicari iis pro quibus Missa offertur, ut pluribus applicatus non minus singulis prosit ac si pro uno tantum offerretur sacrificium.

Negant plures — tum quia Ecclesia semper approbavit fundationes ad liberationem quarumdam animarum in specie factas, simulque vetat ne plura stipendia pro una Missa accipiantur; — tum quia pii ac religiosi sacerdotes stipendium accipere recusant quando offerre volunt pro seipsis, parentibus aut amicis; — tum quia intentio fidelium stipendia pro Missis dantium est ut illis solis specialiter applicentur et non aliis. Quæ quidem omnia supponere videntur fructum satisfactorium Missæ minui ex numero eorum pro quibus offertur.

At sententia multo probabilior et communissime, ait S. Ligorius (n. 312), hodie recepta, contendit applicationem fructus Missæ indefinite fieri, juxta capacitatem fidelium, pro quibus offertur. Sit proinde sequens

207. Assertio : *Fructus satisfactorius Missæ non minuitur ex numero eorum, pro quibus offertur, sed pluribus applicatus æque singulis prodest ac si uni applicaretur.*

Enim vero — 1. ex jam dictis valor sacrificii Missæ est in se infinitus, ejusque fructus unicuique prodest secundum quantitatem suæ devotionis ; atqui infinitum est inexhauribile, et nihil detrahitur de devotione illius pro quo offertur Missa, ex eo quod offeratur pro aliis. Ergo.

2. Sacrificium Missæ, ut supra dictum fuit, se habet ut agentia physica, quorum virtus proportionatur capacitati subjectorum : porro hujusmodi agentia non minus prosunt multis quam paucioribus; imo id exigit eorum finis, qui est ut sint publicum bonum; sic vox non minus a numerosa multitudine quam ab uno vel duobus auditur. Ergo sacrificium Missæ quod est publicum Ecclesiæ, imo et mundi totius bonum sic institui decuit ut non divideretur inter plures, sed omnibus pro singulorum devotionis mensura proficeret.

3. Si minueretur fructus satisfactorius Missæ ex numero eorum pro quibus offertur, satius esset, ratione applicationis fructus sacrificii, ad parvam quam ad magnam parochiam pertinere; item Missa quæ in commemoratione omnium fidelium offertur, minorem pro singulis produceret fructum, si pridie plures animæ in aliarum societatem devenissent : atqui hæc absurda sunt, et infinitam sacrificii nostri dignitatem dedecent. Ergo.

Nec obstat — 1. praxis Ecclesiæ fundationes pro liberatione quarumdam animarum in specie factas approbantis, et ne plura stipendia pro una Missa accipiantur prohibentis. — Nam dici potest — id ita fieri ratione fructus resultantis *ex opere operantis*, qui finitus est, nec æque prodest omnibus ac uni; — majorem effectum applicari *ex opere operato* ei qui sacrificium pro se offerri curavit, quia major est erga illud ejus devotio; — Ecclesiam merito prohibere ne plura stipendia pro una Missa accipiantur, tum quia stipendium non datur ad pretium fructus Missæ, alioquin esset simoniacum, sed in sustentationem vitæ, titulo ministerii exhibiti, cui non deberetur ultra quod est lege vel consuetudine taxatum : unde ubi ministro sua tribuitur sustentatio, deest titulus, cur aliud stipendium accipiatur; tum quia intentio eorum qui stipendia conferunt non est tantum ut sibi fructus sacrificii applicetur, sed etiam ut per multiplicata sacrificia cultus Dei augeatur, et tam vivi quam defuncti adjuventur; tum quia sententia opposita non improbabilis est, nec sacerdos pro stipendio certo incertum Missæ fructum applicare debet.

Addi posset aliam esse Ecclesiæ praxim, qua offert omnes

Missas pro salute totius mundi, pro omnibus fidelibus vivis et defunctis, pro Summo Pontifice, episcopo, etc. Ergo intelligit nihil per hoc tolli ab eo cujus Missa est propria.

Neque obstat — 2. praxis piorum ac religiosorum sacerdotum qui ubi volunt offerre pro seipsis, parentibus aut amicis, stipendium recusant. — Hi enim prudenter agunt non tantum ob probabilitatem sententiæ oppositæ, sed etiam quia in hoc ipso specialem devotionem habent erga mysterium, et sibi, parentibus et amicis acquirunt fructum qui stipendio respondet.

Nec demum obstat — 3. intentio fidelium stipendia dantium eo fine ut Missa illis solis, et non aliis applicetur. — Nam respondetur fideles ita intendere ex ignorantia virtutis hujus sacrificii; inde enim facile existimant aliquid minui de sacrificio, si pro aliis simul offeratur.

Opponunt quidem insuper adversarii auctoritatem S. Thomæ (in 4. dist. 45, q. 2, art. 4, q. 2) ita ratiocinantis : « Melius est plures juvare quam unum; si ergo suffragium pro multis factum, tantum valeret singulis ac si pro uno tantum fieret, videtur quod Ecclesia non debuit instituisse ut pro aliquo singulariter Missa vel oratio fieret, sed quod semper diceretur pro omnibus fidelibus defunctis, quod patet esse falsum. » — At S. Doctor hic non loquitur de Missa uti sacrificio, sed uti suffragio ab Ecclesia instituto, quod effectum certe finitum habet; et ideo quod pluribus illud applicatur, eo minus singulos juvat; certum enim est quod preces Missæ ab Ecclesia institutæ, magis prosunt alicui, si singulariter ei, quam si pluribus a sacerdote applicentur. Ita S. Ligorius (*loc. cit.*).

208. Corollaria. Ex his concludere pronum est quænam agendi ratio in praxi tenenda sit, nimirum :

1. Certum est sacerdotem nunquam posse pro pluribus stipendiis acceptis unicam Missam dicere; ratio patet ex dictis; etsi enim sententia affirmans fructum etiam satisfactorium non minui ex numero eorum quibus applicatur, sit probabilior, non omnino constat rem ita se habere. Aliunde adest prohibitio Ecclesiæ.

2. Certum est etiam sacerdotem qui stipendium ad Missam

pro aliquo beneficio obtinendo applicandam accepit, non posse etiam gratuito fructum satisfactionis primarium alteri personæ applicare. Qui enim stipendium dedit censetur voluisse ut sacrificium ipsi ex omni parte, ideoque quoad ipsum satisfactionis fructum prodesset.

3. Certum est quoque optimum esse, salvo jure illius pro quo Missa dicenda est, ejusdem fructum intentione secundaria pluribus, imo omnibus vivis atque defunctis applicare. Ratio est quia, cum longe probabilius sit idem sacrificium etiam pro aliis præter offerentem stipendium æque valere, per hanc intentionem secundariam fiet ut fructus Missæ uberior evadat; nec læditur justitia, si quidem ex hypothesi Missa aliis non applicatur, nisi data quod sit applicabilis et pro mensura qua ipsis applicari possit. — Propter eamdem rationem docent theologi sacerdotem per unum sacrum pluribus Missis gratuito promissis satisfacere posse. Hic enim non urget ratio justitiæ, quæ exigit ut pars tutior eligatur, siquidem nulla percipitur retributio. Excipe tamen si specialiter promiserit se pro nullo alio celebraturum fore. — Imo non desunt qui dicunt eamdem Missam licite applicari eroganti stipendium et alteri gratuito; quod quidem maxime admittendum videtur, ubi sacrificium pro alio præter erogantem stipendium offertur ad beneficia obtinenda. Attamen melius est hoc non facere absolute, sed conditionate et secundario tantum, id est, salvo jure illius cui Missa ex justitia debetur.

CAPUT IV.

DE MINISTRO SACRIFICII MISSÆ.

Tria sunt in hoc capite expendenda : — 1. quinam sacrificium Missæ offerant; — 2. an et qualis sacrificii applicatio ex parte ministri offerentis requiratur, ut Missa fructus suos obtineat; — 3. an et quatenus sacrificii eucharistici minister ad Missam celebrandam teneatur.

ARTICULUS I.

Quinam Missæ sacrificium offerant?

209. Errores. Nonnulli neoterici, præsertim inter Jansenistas, asserere non dubitarunt simplices fideles Missæ adstantes hoc sacrificium vere, proprie ac immediate offerre, quia juxta ipsos essentia sacrificii non in consecratione consistit, sed in communione, quæ cum sit sacerdoti ac populo communis, inferendum est, inquiunt, utrique pariter communem esse actionem sacrificalem, ideoque non solum sacerdotem, sed etiam fideles laicos sacrificii ministros dici debere.

Catholici vero unanimi ore tenent — 1. Christum Dominum principalem esse sacrificii Missæ ministrum; — 2. episcopos et presbyteros, quibus, ut jam dictum fuit, Eucharistiæ consecrandæ potestas commissa fuit ex divina institutione, ejusdem sacrificii ministros esse secundarios; — 3. fideles laicos non quidem immediate, sed mediate, per sacerdotem scilicet, sacrificium offerre. Sint igitur assertiones sequentes :

210. Assertio 1ª : *Christus Dominus est sacrificii Missæ principalis minister.*

Prob. 1. *Scriptura sacra.* Christus (*Psal.* CIX, et *Hebr.*, VII, 17) vocatur *sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech :* porro nulla alia causa hujus appellationis assignari potest, nisi quia sacrificium in ultima cœna institutum, usque ad mundi consummationem, non quidem per successores suos, sacerdoti enim in æternum constituto non succeditur, sed per ministros suos iterat et continuat. Ergo.

Prob. 2. *Traditione.* S. Augustinus (lib. 10, *de civit. Dei*, c. 20) de Eucharistiæ sacramento loquens, ait : « Per hoc et *sacerdos* est, ipse *offerens*, ipse et oblatio. » S. Chrysostomus hæc habet : « Qui tunc in illa cœna confecit, *ipse nunc operatur.* » — His vero SS. Patrum testimoniis suffragantur conciliorum declarationes; nam conc. Later. IV (cap. 1), de Eucharistia tractans, dicit : « *Idem ipse sacerdos* et sacrificium est Jesus Christus. » Concilium vero Trid. (sess. 22, c. 2) : « *Idem nunc offerens* sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit. »

Prob. 3. *Ratione theol.* Nam ex dictis alibi, sacrificium Missæ idem est quoad substantiam ac sacrificium crucis et cœnæ. Ergo Christus est principalis minister. — Et vero ille procul dubio principalis sacrificii Eucharistici minister dicendus est cujus nomine, virtute et verbis perficitur consecratio, in qua, ut supra dictum fuit, tota Missæ sacrificii essentia reponenda est : atqui consecratio Christi nomine et verbis perficitur. Ergo.

211. Assertio 2ª : *Omnes et soli sacerdotes rite ordinati sacrificii Missæ ministri secundarii proprie loquendo dici possunt.*

Prob. 1 *Scriptura sacra*, verbis scilicet S. Lucæ (xxii, 19) : « *Hoc facite in meam commemorationem*, » quibus in secunda parte Tractatus probatum fuit solos sacerdotes Eucharistiæ consecrandæ ministros esse; sic enim argumentari fas est : unica eademque actione conficitur Eucharistiæ sacramentum et offertur Deo sacrificium Missæ : atqui, ex dictis, omnes et soli sacerdotes rite ordinati Eucharistiam conficere valent. Ergo pariter omnes et soli sacerdotes rite ordinati sunt ministri secundarii proprie dicti Missæ sacrificii. Quam quidem interpretationem expresse confirmat Tridentina synodus (sess. 22, c. 1) dicens : « Christum in nocte Cœnæ Apostolis, quos tunc *Novi Testamenti sacerdotes* constituebat, eorumque in sacerdotio successoribus, *ut offerrent*, præcepisse per hæc verba : *Hoc facite in meam commemorationem*; uti semper catholica Ecclesia intellexit et docuit. »

Prob. 2. *Traditione.* Concilium Nicænum negat diaconum habere potestatem offerendi hoc sacrificium; ergo a fortiori idem dicendum est de omnibus inferioribus. — Conc. Florent. hanc formam ordinandi sacerdotem tradit : *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo*, etc.; ergo hæc potestas his tantum competit qui rite ordinati fuere. — Tandem conc. Trident. anathemate percutit eum qui dixerit Christum « illis verbis : *Hoc facite in meam commemorationem*, non instituisse Apostolos sacerdotes, aut non ordinasse ut *ipsi aliique sacerdotes* offerrent corpus et sanguinem suum. » Idem docent SS. Patres.

PROB. 3. *Ratione theol.* Etenim in lege veteri, ubi sacrificia divinitus instituta fuerunt, sacerdotes etiam speciali lege et ritu ex eadem divina institutione determinati sunt. Ergo a fortiori in Lege nova, in qua omnia perfectiori modo ordinantur, cum speciali sacrificio institui debuit sacerdotium speciale ad quod exclusive pertineat illud sacrificium offerre. — 2. Cœlerum Jansenistarum doctrina de præsenti quæstione nullo innititur fundamento; probavimus enim antea sumptionem Eucharistiæ a fidelibus, imo ipsam sacerdotis communionem ad sacrificii essentiam minime pertinere. Ergo.

Dicitur : — 1. *Omnes sacerdotes rite ordinati,* quia sufficit potestas ordinis ad valide conficiendum Missæ sacrificium; unde S. Thomas (3, q. 82, a. 7, ad 3) : « Si sacerdos ab unitate Ecclesiæ præcisus Missam celebret, quia potestatem ordinis non amisit, consecrat verum corpus ac sanguinem Christi. » Insuper in Tractatu *de Sacram. in genere*, dictum fuit nec sanctitatem nec fidem ad validam sacramentorum administrationem requiri. — 2. *Soli sacerdotes;* quia invalide celebrant Missam qui charactere sacerdotali non sunt insigniti; unde celebrare Missam non potest et diaconus ipse, uti dictum fuit supra, ubi de ministro sacramenti Eucharistiæ. At plures sacerdotes possunt idem sacrificium simul offerre, dummodo per modum unius agant; ut fit juxta communiorem sententiam, quando ordo presbyteratus suscipitur. — 3. *Proprie loquendo;* quia fideles etiam et tota Ecclesia aliquo sensu dici possunt ministri sacrificii Missæ, uti jam probandum venit. Unde

212. Assertio 3ª : *Tota Ecclesia omnesque fideles, non quidem immediate, sed mediate, per sacerdotem scilicet, Missæ sacrificium offerunt.*

Etenim — 1. in liturgia Romana, sacerdos dicit : « Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum... pro quibus tibi offerimus, vel *qui tibi offerunt* hoc sacrificium. » Et paulo post : « Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed *et cunctæ familiæ tuæ*, quæsumus, Domine, ut placatus accipias. » Et rursus : « Unde et memores nos servi tui, sed et *plebs tua sancta*, *offerimus* præclaræ majestati tuæ de tuis

donis ac datis hostiam puram... » Quibus verbis satis innuitur fideles vota sua et preces cum sacerdote conjungere et per ipsum sacrificare.

2. Plebs christiana non deterioris conditionis esse debuit, quam judaica : porro in veteri Lege plebs simul cum sacerdote, non quidem actu proprie sacerdotali, qui erat penes familiam Aaron, sed concursu et approbatione, sacrificabat. Unde (*Exod.*, v, 1) legitur : « Dimitte *populum meum, ut sacrificet* » mihi in deserto ; » et (*Num.*, XXVIII, 3) ad multitudinem dicitur : « Hæc sunt sacrificia quæ offerre debetis. » Item David et Salomon dicuntur holocausta obtulisse, non quidem per se, siquidem non erant sacerdotes, sed per ministros Domini.

3. Ipsa sacrificii ratio id expostulare videtur ; cum enim sacrificium ad cultum publicum et solemnem totius populi pertineat, et sacrificare Deo omnibus hominibus quodam modo naturale sit, necesse est ut in omni lege omnes possint offerre sacrificium per se vel per sacerdotes. Ergo idem servari debuit in nova Lege, ut scilicet, non solum sacerdotes, sed reliqui fideles sacrificium offerre possint.

213. Corollarium. Ex hactenus dictis intelligi datur duplex illa jam insinuata divisio fructus missæ. Dividitur nempe 1° *ratione fontis seu originis;* 2° *ratione distributionis.*

Et 1° quidem ratione *fontis*, triplex est fructus missæ : primus, qui vocari potest *ex opere operato*, procedit ex ipsomet sacrificio Christi, quatenus ipse est sacerdos principalis et victima ; — secundus fructus procedit *ex cooperatione Ecclesiæ* ad hoc sacrificium ; ipsa enim est cui concreditum est illud sacrificium, et quæ illud offert per manus ministrorum suorum ; fieri autem nequit quod Ecclesia, carissima sponsa Christi, non multa impetret per hoc sacrificium : unde hic secundus fructus vocari potest *ex opere operantis Ecclesiæ* ; — tertius fructus procedit *ex cooperatione sacerdotis ministri* ad hoc sacrificium ; unde recte vocatur *ex opere operantis ministri.*

2° ratione *distributionis*, iterum triplex est fructus missæ, *generalis* nempe, *specialis*, et *specialissimus.*

Generalis procedit tum *ex ipso sacrificio Christi*, ut sic : fieri enim nequit quod Christus, caput Ecclesiæ, tam excellens

sacrificium offerat, quin inde redundet aliquis fructus generalis in omnia membra Ecclesiæ; — tum *ex ipsa cooperatione Ecclesiæ*, quæ revera orat pro seipsa et pro universis membris suis, ut patet ex canone Missæ; — tum *ex cooperatione ministri*, sive quia orat cum Ecclesia pro omnibus ejus membris, sive quia, quando aliquis privatus bonum aliquod opus elicit, aliquod commodum inde resultat in totam Ecclesiam, ob communionem Sanctorum.

Specialis fructus ille est quem, juxta praxim Ecclesiæ, sacerdos applicat illis personis pro quibus specialiter celebrat, ratione officii, vel stipendii, vel caritatis. Quoad maximam partem, hic fructus venit ex ipso sacrificio Christi; sicut enim Christus, mediante Ecclesia, dedit huic sacerdoti potestatem offerendi sacrificium, sic, et eo ipso, huic etiam dedit potestatem applicandi fructum hujus sacrificii, eo magis quod in missa Christus sese offert, non tantum pro communi Ecclesiæ bono, sed etiam pro bonis particularibus, quæ nec ipse, nec Ecclesia, determinare potest, sed solus sacerdos. Hinc *a sacrificio Christi* præcipue oritur fructus specialis. Addi tamen potest quod regulariter aliqua pars accedit huic fructui speciali, *sive ex cooperatione sacerdotis*, qui potest applicare partem fructus a se producti personis quas specialiter Deo commendat, sive *ex cooperatione Ecclesiæ*, in cujus etiam nomine sacerdos orat pro illis personis.

Specialissimus demum fructus illi est qui ipsimet sacerdoti digne celebranti obvenit. Procedit etiam *ex ipso sacrificio Christi*, quia impossibile est quod Christus offeratur per manus sacerdotis, quin multa bona huic, si non ponat obicem, inde proveniant; sed insuper procedit, sive *ex ipsa sacerdotis cooperatione*, ut patet, sive etiam *ex opere operantis Ecclesiæ*, in cujus nomine orat etiam pro se ipso sacerdos, ut patet ex precibus Missæ.

214. Quæritur 1. *Qua ratione Christus sit principalis minister sacrificii Missæ.*

Resp. Illud diversimode explicant theologi; juxta quosdam, Christus est et dici potest principalis offerens, quia hoc sacrificium instituit, quia secundum ejus voluntatem et præceptum

offertur, et quia in hoc sacrificio merita ejus operantur. Sed hæc sufficere non videntur ut Christus sit revera principaliter offerens. Itaque secundum Thomistas et Suarezium, Christus proximius Missæ sacrificium offerre dicendus est, — 1. quatenus per humanitatem suam physice concurrit ad actionem illam per quam hoc sacrificium conficitur, scilicet transsubstantiationem. — 2. quatenus minister secundarius in persona Christi, et tanquam legatus ipsum repræsentans, prædictam actionem efficit; — 3. tandem quatenus idem Christus in ipsamet actione, qua cum sacerdote concurrit ad actionem sacrificalem, sese gerit ut supremum Dei cultorem et intercessorem pro hominibus, intuendo omnia sacrificia a ministris suis peracta, et illa voluntate approbando, dum eo instanti, quo et ipse offertur a ministro, seipsum Deo Patri offert (Cf. Suarez, disp. 77, sectio 1ª).

215. Quæritur 2. *Quomodo fideles laici sacrificium Missæ offerre dici possunt.*

Resp. Triplici modo fideles dici possunt offerre Missæ sacrificium. — 1. *Generatim;* quatenus sunt membra Ecclesiæ, cujus nomine sacerdos offert, ut modo dictum fuit; et hac ratione omnes non excommunicati, sive præsentes, sive absentes, sive cogitantes, sive non, offerunt. — 2. *Specialim;* adstando sacrificio, et intentionem suam dirigendo secundum intentionem tum primarii sacrificantis, qui est Christus, tum secundarii, qui est celebrans. — 3. *Specialius* adhuc; cooperando sacrificio, sive per ministerium celebranti exhibitum, sive per subministrationem rerum sacrificio necessariarum. — Inde patet quantum illa ratio sacrificium offerendi distet ab errore hæreticorum, qui censent non magis in sacerdotibus quam in simplicibus fidelibus verum existere characterem, aut in illis sicut et in aliis æquo reperiri modo.

216. Quæritur 3. *An ad licitam Missæ celebrationem requiratur populi concursus assistentiumve communio.*

Resp. Novatores tanquam illicitas habent missas, quæ fiunt absque conventu publico, aut in quibus nullus præter sacerdotem communicat. Sed in hoc pro more suo errant; legitimitas enim illarum missarum, quas *privatas* dicunt, facile eruitur

1. *Ex Concilio Trid.*, quod (sess. 22, c. 6) postquam declaravit se optare ut fideles singulis missis adstantes communicarent, addit : « Nec tamen, si id non semper fiat, propterea *missas illas in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas et illicitas damnat*, sed *probat* adque adeo *commendat*; siquidem illæ quoque Missæ vere communes censeri debent, partim quod in eis populus spiritualiter communicet, partim vero quod a publico Ecclesiæ ministro, non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur. » Imo (can. 8) rem ita definit : « Si quis dixerit *Missas in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat illicitas esse*, ideoque abrogandas esse : anathema sit. »

2. *Ex praxi Ecclesiæ.* A plurimis sæculis existit in Ecclesia usus Missas privatim celebrandi, nec unquam hac de re reclamarunt pastores et doctores; etsi valde consulant episcopi ut fideles realiter communicent cum sacerdote, nunquam tamen ut illicitas habuerunt Missas in quibus solus sacerdos communicat.

3. *Ex ratione.* Illæ Missæ non sunt illicitæ quæ nullo jure prohibentur : atqui Missæ privatæ nullo jure prohibentur; non jure naturali, ut patet; non jure ecclesiastico, quia nullum profertur decretum illas prohibens; nec tandem jure divino, quia quamvis Christus, post datam Apostolis communionem, dixerit : *Hoc facite in meam commemorationem*, non inde concludendum omnia quæ in Cœna fuerunt peracta sub præcepto cadere; alioquin Missa vespere post Cœnam et cum azymis semper celebranda esset. Insuper illæ Missæ non dici debent illicitæ, saltem ex se, quæ sacrificii essentiæ et perfectioni minime derogant : atqui tales sunt Missæ in quibus solus celebrans communicat; ergo.

ARTICULUS II.

An et qualis sacrificii applicatio ex parte sacerdotis Missam celebrantis requiratur?

217. Status quæstionis. Certum est nullam sacerdotis applicationem requiri ut fructus *generalis* percipiatur, sed

sufficit ut sacerdos juxta mentem Ecclesiæ celebrare velit; in hac enim intentione generali celebrantis implicite includitur talis applicatio. Optimum tamen erit ut sacerdos intendat sacrificium prodesse his omnibus de quibus mentio fit in liturgia, scilicet *Ecclesiæ*, *Papæ*, *Episcopo et circumstantibus*, imo quantum fieri licet, omnibus prorsus hominibus.

Plures idem dicunt de fructu *specialissimo* quod de fructu generali, asserentes nimirum talem fructum sacerdoti obvenire, quin necesse sit ut eum sibi specialiter applicare intendat. Negant tamen alii, quia nemo quidquam sibi impetrare potest, nisi postulet. Unde consultum est ut celebrans prædictum fructum sibi semper applicet, dicendo, v. g. : intendo sacrificium mihi prodesse ad talem finem consequendum, ad remissionem pœnæ peccatis meis debitæ, ad hanc virtutem obtinendam, etc. — Utrum vero idem fructus ita sacerdoti celebranti proprius sit ut alteri applicari non possit, disputant etiam auctores; quidquid sit, certum est nullum stipendium pro cessione hujus fructus accipi posse, ut constat ex damnatione sequentis propositionis : « Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem. »

Quæstio igitur potissimum versatur circa applicationem fructus *medii*, seu *specialis*. Jam vero non defuerunt inter Jansenistas qui docuerunt non in arbitrio esse sacerdotis applicare fructum sacrificii cui vult, illumque errorem damnandum esse velut magnopere auferentem jura Dei, qui solus distribuit fructus sacrificii, cui vult, et secundum mensuram, quæ ipsi placet. Adversus hanc doctrinam a synodo Pistoriensi imprimis traditam, sequentem statuimus assertionem :

218. Assertio : *Sacerdos celebrans potest specialem Missæ fructum determinatis personis applicare.*

Prob. 1. *Auctoritate Ecclesiæ.* Concilium enim Trident. sess. 23, cap. 1 *de Ref.*) ait : « Cum præcepto divino mandatum sit omnibus quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, *pro his sacrificium offerre*; » ex quibus verbis Benedictus XIV (in Encyc. *Cum semper*) infert « eos, quibus

animarum cura demandata est, non modo sacrificium Missæ celebrare, sed *illius etiam fructum medium pro populo sibi commisso applicare* debere, nec illum pro aliis applicare. » Jam vero si Ecclesia pastoribus præcipit, idque tanquam ex præcepto divino descendens, specialem pro ovibus suis sacrificii oblationem, procul dubio tenendum est penes sacerdotem esse fructum specialem sacrificii determinatis personis applicare. Unde doctrina synodi Pistoriensis sic intellecta, ut præter peculiarem commemorationem et orationem, specialis ipsa oblatio, seu applicatio sacrificii, *quæ fit a sacerdote*, non magis prosit, cæteris paribus, illis, pro quibus applicatur, quam aliis quibuscumque..., ut falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem alias damnatum, proscribitur in dogmatica Constitutione *Auctorem fidei*.

2. *Ratione*. Namque certum est, ex alibi probatis, sacrificium Missæ specialiter prodesse his pro quibus offertur : porro, nisi admittatur specialem sacrificii applicationem fieri posse, a sacerdote id vix conciperetur; sacerdos enim, et quidem solus, personam Christi gerit; ergo sicut ipse solus in persona Christi sacrificium pro aliis offert, ita etiam solus ejusdem fructum applicare potest. — Talis est insuper persuasio fidelium et sacerdotum, qui eleemosynas pro Missa applicanda nec darent, nec acciperent, si non pro certo assumerent penes sacerdotem esse specialem applicationem sacrificii pro determinatis personis facere. — Unde nisi velit sacerdos fructum specialem sui sacrificii ingredi generalem Ecclesiæ thesaurum, debet eum applicare certis determinatisque personis. — Cum vero hæc applicatio ex potestate ordinis sacerdoti competit, sequitur etiam eum, qui ratione stipendii, vel beneficii, aut mandati superioris, tenetur applicare uni, valde alteri applicare posse; quæ enim jure divino ordini sacerdotali sunt annexa, neque Ecclesia, neque ullus superior irritare potest; sicut ergo nemo potest irritare intentionem sacerdotis sacrificandi, ita nec applicandi.

219. Quæritur 1. *Qualis intentio requiratur ad applicationem Missæ.*

Resp. 1. Ad applicationem Missæ non requiritur intentio ac-

tualis vel virtualis, nec satis est intentio interpretativa, sed sufficit intentio habitualis, id est, quæ semel habita non revocata fuit; ratio est, inquit S. Lig. (lib. 6, n. 335), quia applicatio Missæ se habet per modum donationis verbalis quæ semel facta valet donec revocetur. Ita pariter Bened. XIV qui hanc sententiam vocat vulgatiorem (*De sacrif. Missæ*, lib. 3, c. 16, n. 8). Unde rursus non requiritur intentio voce, scriptis vel aliis signis manifestata; quia hæc ad veram voluntatem non exiguntur.

Resp. 2. Applicatio ita fieri debet, ut fructus non maneat suspensus eo instanti quo perficitur sacrificium; ratio est quia efficacia sacrificii suspendi nequit. Hinc non valet applicatio sub conditione de futuro contingenti, v. g., offero pro Petro, si cras eleemosynam pauperi daturus est; cum enim ignoratur an revera conditio implebitur, de facto sacrificium nulli applicatur quando perficitur. Sed valet conditio de præsenti aut præterito, v. g., offero pro tali persona, si promissum meum non implevi; si autem implevi, offero pro alia. Talis intentio, ut patet, æquivalet intentioni absolutæ, nec fructum suspensum relinquit.

Resp. 3. Talis esse debet applicatio sacrificii, ut persona cui applicatur, si non explicite, implicite saltem determinata sit, ideoque respectu Dei perfecte designata, licet offerentis respectu ignota esse possit. Ratio est quia nullum beneficium spirituale vel temporale alicui personæ indeterminatæ conferri potest.

Hinc — 1. valet intentio, si dicatur : Offero Missam pro persona quæ primo, vel secundo, vel tertio loco Missam a me postulavit; pro ea cui primum promisi; pro ea quæ in majori versatur necessitate.

Hinc — 2. si quis decem accepisset stipendia pro Missis diversis decem personis applicandis, earum nomina et ordinem ignorans, obligationi suæ non satisfaceret, juxta S. Ligor., Bouvier, Sylvium, singula sacrificia pro singulis indeterminate applicando; sed promissis suis staret, si decem Missas pro his decem personis simul applicaret; quia fructus Missæ est divisibilis.

220. Quæritur 2. *Quo ordine facienda est applicatio Missæ.*

Resp. In applicatione facienda hæc serventur monita card. Bonæ (*De sucrif. Missæ*, c. 1, § 5, in fine): — 1. Ante quodlibet sacrificium intentio directa habenda est ut fructus Missæ applicetur. — 2. Ad vitandos scrupulos qui circa Missæ applicationem oriri possunt, debet sacerdos, rejectis incertis opinionibus, sacrificii fructum primo et principaliter illi applicare, pro quo celebrare tenetur ratione beneficii, eleemosynæ, promissionis aut specialis obligationis. — 3. Hac primaria intentione habita, poterit et aliam secundariam habere qua, prima intacta remanente, Missæ fructum sibi, vel proximis, vel aliis quos designat applicabit. — 4. His duabus præmissis intentionibus, in votis habeat ut Missæ sacrificii fructus applicetur quam plurimis juxta Christi et Ecclesiæ institutionem.

Si de defunctis specialiter agatur, habita semel primaria intentione pro illis quibus speciali obligatione debet fructum Missæ eumdem, fructum recte applicabit sacerdos animabus pro quibus ex aliquali justitia orare debet, sive quia ipsius curæ commissæ fuerunt, sive quia forsan ipse est occasio pœnarum quas patiuntur; deinde animabus ipsi carioribus vel quæ ipsius precibus specialiter sese commendarunt; postea pie animabus B. Mariæ valde devotis; deinceps animabus sive magis derelictis, ut S. Vincentio a Paulo placebat, sive iis quæ citius Deum videbunt, ut explicat P. Faber; tandem omnibus defunctis in purgatorio pœnas luentibus.

221. Quæritur 3. *Quandonam applicanda est Missa.*

Resp. Intentio habenda est antequam detur Missæ sacrificii essentia, ut omnes fatentur. Cum ergo juxta communiorem sententiam tota Missæ essentia in consecratione consistat, necessario habenda est illa intentio ante consecrationem. Imo perfectius est, quamvis non necessarium, intentionem suam dirigere ante oblationem; quia oblatio, seu *offertorium*, est pars integrans sacrificii Missæ, et quia fidelis stipendium dat principaliter quidem pro applicatione fructus Missæ, sed etiam pro liturgiæ precibus.

222. Scholium. Si sacerdos immemor primæ intentionis novam celebrando eliciat, videat qualis in mente prædominans

fuerit. Cæterum in praxi parvi refert; cum enim alterutra certo valida sit, satis erit alia vice sacrum ei applicare cui applicatum non fuit. — Item si dubites an expleveris numerum Missarum alicui applicandarum, intentionem ita dirigere fas erit ut Missa illi applicetur, si revera numerus non expletus fuerit, tibi vero aut amico, si jam nihil amplius debeas.

ARTICULUS III.

An et quatenus sacrificii eucharistici minister ad Missam celebrandam teneatur.

Quærimus quanam obligatione celebrandi teneatur minister sacrificii eucharistici — 1. ratione ordinis suscepti; — 2. ratione officii; — 3. ratione stipendii.

§ I. De obligatione celebrandi ratione ordinis suscepti.

223. Quidam auctores, ut de Lugo (disp. 20, n. 2), tenuerunt nullam ex ordine suscepto oriri obligationem Missam aliquoties celebrandi; tum quia nullibi tale præceptum legitur; tum quia quidam sancti a celebratione Missæ prorsus abstinuerunt. — At theologi fere omnes docent existere hujusmodi præceptum; sit proinde sequens

Assertio : *Sacerdotes non legitime impediti Missam aliquando celebrare tenentur.*

Prob. 1. *Scriptura Sacra.* (*Luc.*, xxii, 19) : « *Hoc facite* in » meam commemorationem; » quæ verba de vero præcepto interpretatur conc. Trid. (sess. 22, cap. 1) : « Christus Apostolis eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, *præcepit* per hæc verba : *Hoc facite...* » — (*Hebr.*, v, 1) : « Omnis » namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus » constituitur in iis quæ sunt ad Deum, *ut offerat dona et* » *sacrificia.* » Unde sic : ex jure naturali, quisque tenetur adimplere officium susceptum : atqui ex Apostolo officium sacerdotum est oblatio victimæ; ergo tenentur sacerdotes celebrare Missam.

Prob. 2. *Conc. Later.* IV, quod dicit (c. 17) : « Sunt alii ecclesiarum prælati et sacerdotes qui Missarum celebrant so-

lemnia vix quater in anno, et quod deterius est, interesse contemnunt... *Hæc* igitur et similia *sub pœna suspensionis inhibemus.* » — Addi potest S. Pium V præcepisse, ut contraria opinio ex operibus Cajetani expungeretur.

Prob. 3. *Ratione.* Nam, ait S. Thomas (3 p. q. 82, art. 10), « unusquisque tenetur uti gratia sibi data, cum fuerit opportunum, secundum illud Apostoli (II *Cor.*, VI) : « Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. » Opportunitas autem sacrificium offerendi non solum attenditur per comparationem ad fideles Christi (si nempe tenetur sacerdos ex cura sibi commissa celebrare et populo sacramenta præbere), sed principaliter per comparationem ad Deum, cui consecratione hujus sacramenti sacrificium offertur. Unde sacerdoti, etiamsi non habeat curam animarum, non licet omnino a celebratione cessare. » — Nec opponatur praxis opposita quorumdam sanctorum; nam dicendum est illos sanctos in viis extraordinariis versatos fuisse, sicut illi qui SS. Eucharistia fere nunquam reficiebantur.

224. Quæritur 1. *Quandonam obliget præceptum Missæ celebrandæ.*

Resp. 1. Docet Bened. XIV (*de Sacr.*, lib. 3, c. 1, n. 10) « non posse sustineri sententiam eorum qui statuunt venialiter tantum peccare sacerdotem, qui non habens curam animarum, nec aliter adstrictus ad Missam celebrandam, nunquam per annum celebrat. »

2. Certum videtur sacerdotem simplicem teneri sub mortali ter aut quater in anno celebrare, saltem ut eruitur ex Later. conc. supra citato.

3. Conc. Trid. (sess. 23, c. 14, *de Ref.*), hæc habet : « Curet episcopus, ut ii (sacerdotes simplices) saltem diebus dominicis et festis solemnibus... Missas celebrent. » Attamen tenent probabilius theologi aliquas omissiones, sine causa rationabili, esse tantum peccatum veniale, demptis scandalo et aliis circumstantiis extraneis; imo S. Ligor. (lib. 4, n. 313), et plurimi cum illo, judicant non dari obligationem gravem celebrandi nisi ter aut quater in anno, diebus sufficienter distantibus. Hæc sententia, quam communiorem dicit S. Ligor.,

conformis est decreto S. Cong. Conc. nov. 1696, in quo dictum fuit : « Qui sine justa causa ter aut quater in anno non celebravit, peccat mortaliter, et potest ab episcopo puniri. »

225. Quæritur. 2. *Quid dicendum sit de quotidiana Missæ celebratione.*

Resp. 1. Certum est sacerdotes non teneri per se ad quotidianam Missæ celebrationem : ratio est quia nullum datur ea de re præceptum naturale vel divinum vel ecclesiasticum. Dicitur *per se*, quia ratione muneris vel contractus ista potest existere obligatio.

Resp. 2. Certum est sacerdotes pie et utiliter quandoque a Missæ celebratione abstinere, scilicet : — Quando id à rubricis præscribitur, ut in Ecclesia Romana tribus ultimis diebus quadragesimæ. — Quando id fit tum humilitatis causa, tum ad reverentiam SS. Eucharistiæ exhibendam : sic Bartholomæus a Martyribus semel in hebdomada a celebratione sacrificii Missæ vacabat; item S. Vincentius a Paulo tribus prioribus diebus recollectionis annuæ ab eo abstinebat, ut in amaritudine animæ suæ exomologesim vitæ suæ faceret.

Resp. 3. Omnino tenendum quotidianam Missæ celebrationem, positis debitis dispositionibus, magis congruere et ad mentem Ecclesiæ propius accedere. Istam assertionem totis viribus propugnat Bened. XIV (*de Sacr. Missæ*, l. 3, c. 2), auctoritate et ratione :

Auctoritate quidem; innumeri enim appellari possunt Sancti, qui quotidie Missæ sacrificium sedulo Deo obtulerunt, et istam quotidianam celebrationem multum commendarunt.

Ratione etiam et quidem multiplici, scilicet : — 1. *Ex excellentia sacrificii.* Cum Missæ sacrificium sit modo tam excellenti latreuticum, eucharisticum, propitiatorium et impetratorium, sequitur, ut egregie adnotavit S. Bonaventura (*de Præparatione ad Miss.*, c. 5), « quod Sacerdos qui celebrare omittit, quantum in ipso est, privat Trinitatem laude et gloria, angelos lætitia, peccatores venia, justos subsidio et gratia, in Purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam Christi spirituali beneficio, et seipsum medicina et remedio contra quotidiana peccata et infirmitates » (Vide *de Im. Chr.*, l. 4, c. 5). — 2. *Ex sacerdotum*

officio. Sacerdotes per ordinationem constituti sunt mediatores inter Deum et homines, intercessoresque pro vivis et defunctis : atqui hoc ministerium sacrificio Missæ potissimum impletur; ergo. — 3. *Ex sacerdotum utilitate;* quotidiana celebratio quamdam in ministro inducit necessitatem colendi pietatem et fervorem, peccata diluendi; dum qui nonnisi raro celebrant, ordinarie in plurimos defectus labuntur, parum sibi invigilant et devotionem negligunt.

Dictum fuit : *Positis debitis dispositionibus*; manifestum est enim in peccato mortali celebrari non posse Missam, et aliquas requiri dispositiones, juxta ea quæ dicta fuerunt in secunda parte Tractatus, ubi de frequenti communione. — Verum, quamvis excellentior sit Missæ celebratio quam simplex communio, facilius tamen permittitur frequenter, imo quotidie celebrare, ob commoda ex illa celebratione toti Ecclesiæ provenientia.

§ II. De obligatione celebrandi ratione officii.

Agitur hic de sacerdotibus curam animarum habentibus, et quæstio est utrum et quatenus teneantur — 1. sacrum facere; — 2. Missam fidelibus sibi commissis applicare.

I. *An et quatenus sacerdotes curam animarum habentes sacrum facere teneantur?*

226. — I. Sacerdotes qui curam animarum habent tenentur *directe* ad Missam celebrandam, quoties datur fidelibus ipsorum curæ commissis præceptum illam audiendi. Id ab omnibus admittitur; illæ enim duæ obligationes sunt correlativæ.

Hinc parochi, qui sine causa sufficienti Missam non celebrant in parochia diebus dominicis et festivis de præcepto, peccant graviter, nisi sit aliquis eorum vices gerens. — Hinc parochus impeditus curare debet ut alius pro se celebret; quod si non inveniat et impedimentum per tempus notabile, v. g., per mensem, existere debeat, res episcopo deferenda est, ut ipse provideat. — Hinc parochus qui, etiam monitis parochianis ut in aliis parochiis Missam audiant, una vice sine causa

legitima Missam non celebraret, probabiliter peccatum lethale committeret; tum quia plures in impossibilitate adimplendi præceptum audiendæ Missæ constituerentur illius culpa; tum quia parochus cooperaretur peccato eorum qui Missam non audirent, cum illud facile possent.

227. — II. Iidem sacerdotes curam animarum habentes, *indirecte* tenentur ad Missam celebrandam, quoties illud necessarium est bono animarum ipsis commissarum. — Hinc tenentur, si sit ægrotus in extremis positus, qui cæteroquin careret viatico. — Hinc ordinarie tenentur aliquoties in hebdomada celebrare Missam; nam ordinarie sunt in qualibet parochia fideles qui gravi commodo spirituali privarentur, si nonnisi die dominica Missæ sacrificio interesse possent; unde S. Carolus sequens præceptum parochis imposuerat : « Præcipimus curatis ut præter dies dominicos et festivos ter in hebdomada, aut eo etiam sæpius quo vel loci consuetudo, vel necessitas crebriorem divini sacrificii usum postulabit. » Idcirco parochus Missam sæpe sæpius in parochia sua celebret, et hora præfixa, in quantum poterit, ut fideles eam facilius audire possint. — Quod de parocho dicitur, et de vicario cum justo moderamine dici debet.

II. An et quatenus sacerdotes curam animarum habentes Missam fidelibus sibi commissis applicare debeant?

228. — **I. De obligationis existentia.** Certum est — 1. dari obligationem pro sacerdotibus curam habentibus animarum, illis saltem aliquando applicandi fructum sacrificii Missæ. Hanc obligationem manifeste supponit conc. Trid. (sess. 23, c. 1, *de Ref.*), his verbis : « Cum præcepto divino mandatum sit omnibus quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, *pro his sacrificium offerre...* » — Nec aliud innuit ipsamet ratio; nam qui curam gerunt animarum debent illarum bono spirituali providere, eas spiritualiter pascere et nutrire; porro hæc potissimum fiunt applicatione fructus sacrificii Missæ. Ergo.

Certum est — 2. sacerdotes, quibus cura animarum committitur, singulis dominicis aliisque diebus festivis in quibus

fideles Missæ sacrificio interesse tenentur, populo sibi credito Missam applicare debere. Constat ex constitutione Benedicti XIV (*Cum super oblatas*) declarantis obligationi Missam pro populo offerendi satisfieri, si ii, qui animarum curam exercent, Missam populo applicent *in dominicis aliisque per annum diebus festis de præcepto.*

Certum est — 3. obligationem Missam pro populo celebrandi ad illos etiam festivos dies extendi, qui a summis Pontificibus vel suppressi vel in dominicam translati fuerunt. Constat ex variis decisionibus Sanctæ Sedis et præsertim ex Encyclica Pii IX (die 3 maii 1858). Cum enim variis temporibus et præsertim apud nos concordato Pium VII inter et Napoleonem, plura festa ita fuissent suppressa, ut ne obligatio quidem Missam his diebus audiendi fidelibus superesset, et exinde nonnulli auctores judicarent ipsam Missæ pro populo celebrandæ obligationem sublatam fuisse, laudatus Pontifex his verbis quæstionem istam finivit : « Hisce litteris declaramus, statuimus atque decernimus, parochos aliosque omnes animarum curam actu gerentes sacrosanctum Missæ sacrificium pro populo sibi commisso celebrare et applicare debere, tum omnibus dominicis aliisque diebus qui ex præcepto adhuc servantur, tum illis etiam qui ex hujus Apostolicæ Sedis indulgentia ex dierum de præcepto festorum numero sublati, ac translati sunt, quemadmodum ipsi animarum curatores debebant, dum memorata Urbani VIII constitutio in pleno suo robore vigebat, antequam festivi de præcepto dies imminuerentur et transferrentur. Quod vero attinet ad festos translatos dies, id unum excipimus, ut scilicet quando una cum solemnitate divinum officium translatum fuerit in dominicum diem, una tantum Missa pro populo sit a parochis applicanda, quandoquidem Missa, quæ præcipua divini officii pars est, una simul cum ipso officio translata existimari debet. »

Hujusmodi autem festa quæ vel suppressa vel in Dominicam translata fuere, sunt pro universa Ecclesia; festa Apostolorum, præter SS. Petri et Pauli solemnitatem; duæ feriæ quæ Pascha ac Pentecosten subsequuntur; Inventio SS. Crucis, festum S. Annæ, S. Laurentii, S. Stephani, SS. Innocentium,

S. Sylvestri, S. Michaelis et S. Joseph; quibus apud nos addere licet Circumcisionem, Epiphaniam, solemnitatem corporis Christi, Purificationem, Annuntiationem, Nativitatem et Immaculatam Conceptionem Beatæ Mariæ Virginis, solemnitates SS. Petri et Pauli et patroni parœciæ.

Si tamen quandoque juxta rubricam translationis transferatur quoddam festum de præfatis, non ideo transfertur obligatio Missam celebrandi pro populo, sed in die incidenti remanet, etsi festum ulterius transferatur (S. R. C. 13 jun. 1705). Unde si dies incidentiæ sit Dominica, unica Missa satisfit duplici obligationi. Excipitur festum Annuntiationis, quæ, si incidat in feriam VI vel sabbato Majoris hebd., transfertur cum obligatione Missam celebrandi pro populo (S. R. C. 11 mart. 1690). Eadem exceptio valeret si festum alicui diei affixum et ab alio majoris ritus aut dignitatis impeditum ad alteram diem transferretur una cum *festivitate*, officio et Missa; secus vero, si officium et Missa tantum transferrentur, sed non festivitas: tunc enim in ipsa die impedita, ut modo dictum fuit, Missa applicanda foret (S. R. C. 24 apr. 1875). Cf. *Acta S. Sedis*, vol. VIII, p. 603.

Ex his omnibus colligi potest — 1. obligationem applicandi Missam pro populo esse gravem; materia enim, circa quam versatur, est gravis. Unde plures docent lethaliter peccare sacerdotem qui vel semel huic officio deesset.

2. Nullam dari præscriptionem aut consuetudinem contra obligationem applicandi Missam pro populo in festis suppressis aut translatis. Constat ex declaratione S. Cong. Conc., die 23 sept. 1847, et præsertim ex Constitutione jam citata Pii IX.

3. Parochum etiam valde pauperem stipendium pro Missa diebus dominicis aut festis celebranda accipere non posse. Ita ex constit. Benedicti XIV (*Cum semper*), quæ tamen episcopis facultatem concedit cum tali parocho dispensandi, ut possit accipere stipendium pro Missa diei dominicæ, sed cum onere aliam intra hebdomadam pro populo celebrandi.

229. — II. De obligationis subjecto. Ex variis decisionibus jam citatis sat apparet *omnes et solos quibus animarum cura*

commissa est, pro his Missæ sacrificium offerre teneri. Cæterum id ab omnibus admittitur.

Hinc — 1. Missam pro populo applicare tenentur episcopi, parochi omnes, sive perpetui, sive amovibiles, necnon illi qui capellæ vicariali *proprio nomine* deserviunt, et omnia munia parochialia ibidem exercent.

Hinc — 2. qui duabus parochiis præponitur et duas Missas singulis diebus dominicis et festivis celebrat, utramque pro variis parochianis applicare tenetur (S. Cong., 8 aug. 1843). Imo ex decisione ejusdem Cong. Conc. (9 mart. 1874), parochus duas habens distinctas parochias, qui ob rationabilem causam nequit diebus dominicis vel festis secundam Missam celebrare pro populo, tenetur per hebdomadam applicare sacrificium pro populo secundæ parochiæ, nec sufficit ut unicam Missam quam celebrat, applicet pro fidelibus utriusque parochiæ. Idem dicendum est de diebus festis suppressis, in quibus binam Missam celebrandi facultatem non habet. Non tamen duas Missas applicare tenetur, sed unam tantum, si duabus quidem præsit parœciis, sed quæ adeo invicem unitæ sunt atque conjunctæ, ut ex duabus una effecta sit cum tituli alterius exstinctione.

Hinc — 3. parochus non excusatur a celebranda applicandaque Missa pro populo, eo quod episcopus eam celebret in parochiali ecclesia et pro populo sibi commisso applicet. Idem dicatur de parocho canonico, qui, proinde his festis aut dominicis diebus in quibus Missam conventualem applicare debet, providere tenetur ut per alium Missam pro populo offeratur.

Hinc — 4. ab obligatione Missam pro populo celebrandi eximuntur — illi qui Missam celebrant in capellis vulgo dictis *auxiliaires*, in quibus quasdam tantum parochiales functiones exercent cum licentia vel jussu parochi ecclesiæ principalis. — Capellani azylorum pro pauperibus, carcerum, nosocomiorum, aliorumque ejusmodi locorum. Ita S. Cong., 2 junii 1860, et 23 martii 1861 (*Revue théol.*, octobre 1860 et 1861). — Capellani monialium, confraternitatum, sæcularium congregationum, militum; collegiorum aut seminariorum præpositi; quia non habent curam animarum.

Vicarius autem, qui ex commissione episcopi, mortuo paroco, directioni parochiæ ad tempus præponitur et jura parochi casualia percipit, Missam parochianis applicare tenetur, ex encycl. Benedicti XIV jam citata. Ratio est quia vere actu animarum curam exercet.

230. — III. De modo adimplendi obligationem. Quæstio nunc expendenda potissimum attinet ad conditiones personæ, loci, vel temporis in quibus obligationi Missam dicendi pro parochianis satisfaciendum est; jam vero — 1. quod ad *personam* spectat, obligatio Missam applicandi est personalis, ideoque ipsi parocho incumbit, qui proinde per seipsum Missam pro populo diebus dominicis aut festis applicare debet, nisi obstet causa legitima; nec ulla valet in contrarium consuetudo (S. Cong., 25 sept. 1847; 9 apr. 1881). Non tamen missam solemnem aut certa aliqua hora celebrare tenetur, nisi præscripserit episcopus, sed obligationi suæ satisfacit per Missam privatam. — Cum vero eadem obligatio sit simul realis et personalis, si quandoque legitima de causa impediatur parochus ne Missam celebret, curare debet ut per alium cui stipendium tribuendum erit, sacrificium in ecclesia parochiali celebretur et applicetur; quod si ita factum non fuerit, quamprimum poterit, Missam pro populo ipse offerat (14 decemb. 1872).

2. *Quoad locum celebrationis*, ex eadem decisione parochus, nisi legitime impediatur, Missam pro populo in sua parochiali ecclesia celebrare tenetur; si vero a sua parochia, justa de causa, absit, obligationi suæ satisfaciet Missam applicando pro populo suo in loco ubi degit, dummodo ad necessariam populi commoditatem alius sacerdos in ecclesia parochiali celebret et verbum Dei annuntiet. Potest etiam in hoc casu huic alteri sacerdoti applicationem Missæ pro populo committere; imo id fidelibus magis expedire videtur (Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. VII, p. 192, *nota* 3).

3. Demum *circa diem, qua fieri debet applicatio*, notandum superest obligationem de qua agitur ipsis diebus dominicis et festivis urgere, nec proinde in alios dies posse transferri, nisi ex causa legitima, quæ quidem ex decisione S. Congregationis Concilii (in Nanceien. 13 jan. 1858) habetur, cum parochus est *solus presbyter* in sua parochia, et *die festivo supresso* cele-

branda occurret missa pro exsequiis aut pro sponsis ; tunc enim hanc missam celebrare potest parochus, et missam *pro populo* ad sequentem diem remittere (Cfr. *Revue des sciences ecclésiastiques*, 1874, p. 292-293).

§ III. De obligatione celebrandi ratione stipendii.

231. Stipendii notio et origo. Stipendium est res pretio æstimabilis, ordinarie pecunia, quam aliquis dat sacerdoti ut fructum Missæ specialem ipsi applicet.

In primis Ecclesiæ temporibus, fideles res sacro ministerio adhibendas offerebant, scilicet panem et vinum consecranda, ex quibus sumebant sacerdotes ea quæ ad sacrificium necessaria existimabantur ; cætera in usum cedebant ipsorum sacerdotum et clericorum. Postea plura alia in altari oblata fuerunt, nempe : oleum pro luminaribus, thymiama pro suffitionibus, lac et vinum quibus recenter baptizati reficiebantur, imo et pecunia ; sed indubitatum est, juxta primigeniam Ecclesiæ disciplinam, sive panem, sive denarium oblatum fuisse Ecclesiæ et clericis in commune, non vero datum cuipiam sacerdoti ut Missam privatim diceret, quæ uni eleemosynam offerenti prodesset. Primis itaque sæculis, Missæ pro omnibus dicebantur, oblationibus pro omni clero sufficientibus, sed decrescente fide et rarioribus factis eleemosynis, licitum fuit sacerdotibus quædam accipere munera ut donator uberiorem sacrificii fructum acciperet. Disputatur inter theologos quo tempore mos iste incœperit, alii octavum, alii remotius sæculum appellantes ; seculo autem IX hunc morem adeo longe lateque propagatum scimus, ut etiam pueris notus esset, ut ex vita S. Petri Damiani constat (Bened. XIV, *de Sacrif.*, lib. 3, cap. 21, n. 5.).

His prænotatis, ut debito cum ordine exponamus quæ ad præsentem materiam spectant, seorsim dicemus : — 1. de legitimitate, quantitate et transmissione stipendii ; — 2. de modo satisfaciendi pro stipendio ; — 3. de Missis fundatis earumque reductione.

I. *De stipendii legitimitate, quantitate et transmissione.*

232. — I. Stipendii legitimitas. Certum et inconcussum

est ab Ecclesia, a plurimis sæculis, approbatam fuisse praxim, qua aliquod stipendium pro speciali fructus Missæ applicatione percipitur : porro, ex probatis in Tractatu *de Ecclesia*, in hujusmodi rebus infallibilis est Ecclesia; nec probare, nec tacere potest quod est contra fidem aut bonos mores. — Insuper qui altari deserviunt de altare vivere possunt, ac proinde pro ministerii sui muneribus quid accipere possunt, nec ullo pacto tenentur indebitam gratiam, ut est Missæ fructus specialis, alicui fideli speciatim conferre. — Demum « sacerdos non accipit pecuniam, ait S. Thomas (2. 2, q. 100, art. 1, ad 2), quasi pretium consecrationis Eucharistiæ aut Missæ decantandæ, sed quasi stipendium suæ sustentationis,... non tanquam pretium mercedis, sed quasi stipendium necessitatis. » — Jam dictum fuit nullum stipendium accipi posse pro fructu specialissimo. Simili de causa, graviter peccaret ille qui unum stipendium pro fructu satisfactorio, alterum pro fructu impetratorio ejusdem sacrificii acciperet.

233. — II. Quantitas stipendii. Ad præcavendos vel tollendos abusus, conc. Trid. (sess. 22, *De obs. et evit.*) episcopis præcepit, ut « cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, et quidquid pro Missis novis celebrandis datur, necnon importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones potiusquam postulationes, aliaque hujusmodi quæ a simoniaca labe vel certe a turpi quæstu non longe absunt, omnino prohibeant. » Porro episcopi, ut Trid. conc. optatis responderent, accipiendum stipendium determinarunt, ac proinde taxationi ab episcopo factæ omnino standum est.

Hinc — 1. contra justitiam peccaret et ad restitutionem teneretur, qui ultra stipendium determinatum exigeret, tum quia episcopus taxatione ista aperte declarat illud stipendium sufficere honestæ clericorum sustentationi; tum quia fidelis jus strictum habet, ut nihil ab eo ultra taxationem requiratur. — Attamen licet aliquid ultra taxationem accipere, si adsit vera et proprie dicta donatio, vel si Missæ celebrationi adjungatur labor extrinsecus et extraordinarius, v. g., circa locum et horam Missæ.

Hinc — 2. si aliquis summam aliquam pecuniæ pro Missis

legendis aut cantandis relinquat, taxandæ sunt juxta loci consuetudinem vel diœcesis legem pro Missis privatis aut cantatis vigentem. Quod si testator ipse taxavit, sed infra loci morem aut taxæ receptæ normam, ab Ordinario juxta debitam proportionem reducantur Missæ (Cf. S. Ligorius, n. 320; Gousset, n. 295).

234. — III. Transmissio stipendii. 1. Juxta omnes, quando Missa pro qua datum fuit stipendium ab alio sacerdote celebrari debet, totum stipendium ei tradendum est, etiamsi iste alius sacerdos ad stipendii imminutionem consentiat. Ita expresse Bened. XIV (Encycl. *Quanta cura*, § 3); vult insuper idem Pontifex, § 5, clericum aliter agentem pœnam suspensionis S. Pontifici reservatam ipso facto incurrere (*de Sacrif. Mis.*, lib. 3, cap. 22). Præiverant Urbanus VIII et Alex. VII, qui sequentem damnavit propositionem (n. 9) : « Post decretum Urbani VIII, potest sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta. » Tandem SS. DD. Pius IX, in Constitutione *Apostolicæ Sedis*, excommunicationi latæ sententiæ Rom. Pontif. reservatæ subjacere declarat « colligentes eleemosynas majoris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi missarum stipendia minoris pretii esse solent. » — Ex his vero statim colliges ad restitutionem teneri illum qui partem stipendii retineret.

2. Attamen ab hac damnatione duplex excipitur casus, nempe : — 1. Casus quo aliquis majus daret illud stipendium, intuitu amicitiæ, paupertatis, gratitudinis, propinquitatis; tunc sacerdos posset excessum retinere. — 2. Casus quo *sacerdos cui* committitur celebratio, liberaliter et omnino sponte concederet excessum; unde non sufficeret ut rogatus annueret, ut ex Benedicto XIV eruitur.

Utrum vero in præfata damnatione comprehendatur sacerdos qui, pinguia habens stipendia, a parocho, v. g., rogatus, Missam parochialem parochianis applicat, ea conditione ut parochus unam e Missis a se promissis dicat; aut, pro quacumque causa, intentione cum alio mutat, controvertitur.

Negant plures. Vide tamen S. Lig. (lib. 6, n. 322, dub. 4), qui huic sententiæ parum favere, imo adversari videtur.

3. Ex decisione Urbani VIII, nihil de prædictis stipendiis detrahendum est in commodum Ecclesiæ, sacra indumenta et res necessarias sacerdoti subministrantis; id tamen licitum esse declaravit pro Missis fundatis in illa Ecclesia celebrandis. — In quibusdam ecclesiis celebrioribus, majus stipendium exigitur, et quando Missæ ab aliis dicendæ traduntur, aliqua pars stipendii retinetur; sed illud recte fieri non potest sine speciali S. Sedis venia, nisi de consensu offerentium stipendium (Decret. S. Cong. Conc. infra citand.).

Hinc patet quid sentiendum sit de mercimonio circa stipendia pro Missis oblata. Scilicet — 1. non licet, ex dictis, colligere eleemosynas majoris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captare, faciendo eas celebrari in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent. Ex constit. *Apostolicæ Sedis* (9 oct. 1869), illud prohiberetur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ S. Pontifici reservatæ.

2. Turpe mercimonium sapit, ideoque improbanda et pœnis etiam ecclesiasticis, si opus fuerit, coercenda est ab episcopis eorum bibliopolarum vel mercatorum agendi ratio, qui, adhibitis publicis invitamentis et præmiis, vel alio quocumque modo Missarum eleemosynas colligunt, et sacerdotibus, quibus eas celebrandas committunt, non pecuniam sed libros aliasve merces rependunt; — etiamsi, nulla facta imminutione, tot Missæ ab illis collectoribus celebrandæ committantur, quot collectis eleemosynis respondeant; — etiamsi per hanc agendi rationem pauperibus sacerdotibus eleemosynis Missarum carentibus subveniatur; — etiamsi lucrum, quod ex mercium cum eleemosynis permutatione hauritur, non in proprium colligentium commodum, sed in piarum institutionum et bonorum operum usum vel incrementum impendatur (ex decreto S. Cong. Conc. a Pio IX specialiter approbato, die 31 aug. 1874).

3. Huic turpi mercimonio concurrrunt, ideoque improbandi atque etiam coercendi sunt, tum ii qui acceptas a fidelibus vel locis piis eleemosynas Missarum tradunt bibliopolis, mercatoribus, aliisque earum collectoribus, sive recipiant, sive non

recipiant quidquam ab iisdem præmii nomine : tum ii qui a dictis bibliopolis et mercatoribus recipiunt pro Missis cele brandis libros, aliasve merces, harum pretio sive imminuto, sive integro (ex eodem decreto).

4. Attamen licet pro Missis celebratis recipere stipendii loco libros vel alias merces, seclusa quavis negotiationis vel turpis lucri specie (ex eod. decr.). — Has autem resolutiones Apostolica sua auctoritate approbatas et confirmatas idem Pius IX ad episcopos transmitti jussit, ut ipsi eas intra propriæ jurisdictionis limites exsequendas, perpetuo et inviolabiliter servandas curent.

II. *De modo satisfaciendi pro stipendio.*

235. — I. De obligatione fructum Missæ applicandi ratione stipendii. 1. Fatentur omnes sacerdotem ex justitia teneri ad Missam celebrandam et determinate applicandam juxta intentionem eorum qui stipendium erogaverunt. Ratio est quia intervenit pactum onerosum quod titulo justitiæ, non secus ac in quovis alio contractu, servari debet. Unde sacerdos, qui sive per se, sive per alium Missam ad intentionem erogantis stipendium non applicat, ad restitutionem stricto jure tenetur (Gury, n. 367).

2. Tot dicendæ sunt Missæ quot stipendia distincta accepta fuerunt ; unde Alex. VII sequentem damnavit propositionem (n. 10) : « Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre. »

Controvertitur tamen inter theologos utrum gravis peccati arguendus esset sacerdos, qui *unam* Missam applicare omitteret. Affirmant nonnulli, eo quod grave infertur damnum spirituale ; alii e contra negant, quia illud damnum, cum levi stipendio redimi possit, non reputandum est grave.

Quidam distinguentes, dicunt omissionem esse gravem, si una aut paucæ Missæ ad eamdem intentionem dicendæ sint ; secus vero, si major sit numerus (Cf. S. Lig., n. 317). At omissio unius Missæ gratuito promissæ non videtur excedere peccatum veniale, nisi tamen promittens expresse sub gravi se obligare voluerit, quod raro supponendum est.

236. — II. De loco ubi celebranda est Missa. 1. Missa dicenda est in loco promisso, vel in altari designato. — 2. Stricta existit obligatio, inquit DD. Bouvier, tot celebrandi Missas ad altare privilegiatum, quot fuerunt promissæ, et quisquis aliter ageret, contra justitiam peccaret. Unde qui ex culpa, vel sine culpa, plures accipit Missas ad altare privilegiatum celebrandas quas celebrare non potest, tenetur curare eas ad aliud altare certo privilegiatum celebrari, vel obtinere a S. Pontifice privilegium personale his Missis correspondens. Pro celebratis ad aliud altare debet, juxta plures, eas repetere. Alii tamen dicunt satisfactum esse substantiæ obligationis satis esse et applicare defuncto vel defunctis parem numerum indulgentiarum plenariarum defunctis applicabilium (S. Lig., lib. 6, n. 328, 339).

237. — III. De qualitate Missarum dicendarum. — 1. Celebrandæ sunt Missæ juxta petita et promissa, id est, *de Requiem*, *de Spiritu S.*, *de B. Virgine*..., saltem quando licitum est per Rubricas. — 2. Ex decreto S. Cong. Rit. (12 sept. 1840), quando oblatum fuit stipendium pro defunctis et non expresse rogatum fuit ut dicantur Missæ *de Requiem*, sacerdotes possunt, etiam diebus non impeditis, Missas celebrare conformes officio; sed non possent, si ageretur de Missa in honorem alicujus mysterii vel sancti, et non satisfacerent suæ obligationi, etiamsi expresse non rogatæ fuissent Missæ votivæ.

238. — IV. De tempore celebrationis. 1. Missa dicenda est tempore præfixo, quia unusquisque promissis suis stare debet. Si vero stipendia tribuens plenam reliquerit sacerdoti libertatem, nullo tempore arctatur sacerdos ille, dummodo Missas dicere non omittat.

2. Quando nullum fuit tempus præfixum, Missa dicenda est *quamprimum* moraliter: unde non licet sacerdoti Missas promittere, nisi eas dicere possit intra *modicum tempus;* ita S. Cong. et theologi, quia talis est voluntas præsumpta stipendia tribuentis.

3. Vox ita *quamprimum*, et istæ *modicum tempus*, ex circumstantiis intelligi quandoque possunt: sic, si agatur de infirmo in agonia constituto, de muliere prægnante, de lite

statim judicanda, dilatio unius diei potest esse materia gravis, ut patet; e contra, si copiosa Missarum quantitas eidem tribuatur sacerdoti, præter stricte requisitum tempus, aliud tribuendum est propter occurrentes Missas quæ quandoque postulantur, quasque ignorare nequit tribuens stipendia; attamen illum de hoc monere opportunum erit. — His vero præcisis casibus, alii unum mensem concedunt, alii duos, juxta præsentem praxim (S. Lig., lib. 6, n. 317). Si aliquid ab episcopo statutum fuit, illius mandatis standum est.

III. *De Missis fundatis earumque reductione et condonatione.*

239. — I. De obligatione ex fundationibus proveniente. 1. Omnes admittunt ultimam testatoris voluntatem, quoad pia onera, sacram reputandam esse. Unde sedulo servandæ sunt defunctorum dispositiones, nec licet eas immutare etiam consentientibus hæredibus, ut patet. Attamen plures a mortali excusant eum qui uno alterove die singulis mensibus, in alio loco quam a testatore determinato celebrat. Imo nullo modo peccaret, si ex necessitate ita ageret, v. gr., si locus designatus fuit destructus. Sed in his casibus, quamprimum ad episcopum recurrendum est, nisi impedimentum non sit duraturum (Cf. Bouvier).

2. Episcopi, justa de causa, a conditionibus appositis dispensare possunt; nam, « tanquam Sedis Apostolicæ delegati, in casibus a jure concessis, omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate quam inter vivos, sunt executores » (Conc. Trid., sess. 22, cap. 8, *de Reform.*). — Causæ vero ob quas episcopi a conditionibus per testatorem appositis dispensare possunt, sunt utilitas ecclesiæ in qua celebrandæ sunt Missæ, nimia difficultas adeundi ecclesiam, infirmitas capellani, ejus applicatio ad studium aut alia pretiosiora officia, et alia similia. In his casibus, generatim inquiritur quid rationabiliter voluisset defunctus in tali circumstantia, si eam prævidisset, et cum suam voluntatem manifestare nequeat, episcopus eam interpretatur (vide etiam auct. modo cit.).

3. Quando casu, temporum calamitatibus, aliove modo, justo vel injusto, census perit, obligatio ei annexa exstingui-

tur; nulla enim ecclesia gratis onera ferre teneri potest. Quandiu vero remanet census, tamdiu subsistit obligatio, nec adversus illam præscribi potest, ut probat S. Ligorius (lib. 6, n. 324) contra non paucos, qui contendunt adversus hujusmodi obligationem, sicut contra quamlibet servitutem, præscribi posse. — Si vero census fundationis negligentia administratorum (*marguilliers*) perierit, non videtur ecclesiam ad implenda onera adhuc teneri, nisi in quantum ditior inde facta esset. Ita Ferraris, apud Bouvier.

240. — II. De Missarum fundatarum reductione. 1. Concilium Trid. (Sess. 25, cap. 4, *de Ref.*) facultatem episcopis fecerat, ut possint in quibusdam circumstantiis reducere numerum Missarum fundatarum : hæc sunt ejus verba : « Contingit sæpe in quibusdam ecclesiis vel tam magnum Missarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum relictis impositum esse, ut illis pro singulis diebus a testatoribus præscriptis, nequeat satisfieri, vel eleemosynam hujusmodi pro illis celebrandis adeo tenuem esse, ut non facile inveniatur qui velit huic muneri se subjicere; unde depereunt piæ testantium voluntates, et eorum conscientias, ad quos prædicta spectant, onerandi occasio datur. Sancta synodus, cupiens hæc ad pios usus relicta, quo plenius et utilius potest, impleri, facultatem dat episcopis, ut in synodo diœcesana,... re diligenter perspecta, possint, pro sua conscientia, in prædictis ecclesiis, quas hac provisione indigere cognoverint, statuere circa hæc quidquid magis ad Dei honorem et cultum, atque ecclesiarum utilitatem, viderint expedire. » — At decreto S. Cong. (die 21 jun. 1625 jussu Urbani VIII edito, et ab Innocentio XII, 23 dec. 1697, confirmato), prohibitum fuit episcopis aliquid immutare piis fundationibus post Conc. Trid. factis.

2. Opinatur tamen S. Lig. (lib. 6, n. 330) sublatam non fuisse episcopis facultatem quam habent ex jure communi, Missas moderandi vel commutandi, quando reditus oneribus impares facti fuerunt, hærede vel exsecutore audito (ut eruitur ex cap. 3, tit. 25, lib. 3, Decret., et ex cap. 8, sess. 22, conc. Trid.).

3. Causæ vero ex quibus Sedes Apostolica Missas reducere consuevit, sunt : paucitas sacerdotum, stipendii tenuitas, augmentum stipendii currentis, extenuatio redituum monasterii, majores expensæ ad victum, necessitas communitatis vel ecclesiæ in qua est fundatio.

241. — III. De condonatione Missarum. Condonatio est relaxatio Missarum ex justitia applicandarum, sed omissarum, supplendo omissionibus ex thesauris Ecclesiæ. Valde igitur differt a reductione, ut expresse asserit Benedictus XIV (*de Synod. diœces.*, l. 13, cap. ult.), siquidem reductio futurum tempus, condonatio vero præteritum respicit; præterea in reductione, episcopus voluntatem testantium interpretatur, dum in condonatione, necessaria est applicatio thesaurorum Ecclesiæ. — Cum vero ad solum Rom. Pontificem spectat Ecclesiæ thesauros plenissime dispensare, ubi obtinenda est Missarum prætermissarum condonatio, ex hodierna saltem praxi, ad S. Sedem necessario recurrendum est.

CAPUT V.

DE SUBJECTO SACRIFICII MISSÆ.

242. Subjectum sacrificii Missæ appellantur ii omnes in quorum gratiam offerri potest. Ex his autem alii adhuc vivunt, alii jam obiere.

ARTICULUS I.

De oblatione sacrificii Missæ pro vivis.

243. Viventium alii sunt membra Ecclesiæ, sive justitiæ sive peccato serviant; alii per baptismum renati, ab Ecclesia præcisi sunt, quales sunt schismatici, hæretici et excommunicati; alii demum regenerationis gratiam non obtinuere, ut infideles et catechumeni. De singulis dicendum est; itaque

Assertio 1ª : *Missæ sacrificium pro omnibus fidelibus vivis, sive justis sive peccatoribus, offerri potest.*

Prob. 1. *Scrip. S.* (*Heb.*, v, 1) : « Omnis pontifex... constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis. » — 2. *Liturgia;* legitur enim in canone : « Offerimus tibi pro *omnibus orthodoxis atque catholicæ et apostolicæ fidei cultoribus* » : porro inter illos multi indubitato sunt peccatores. — 3. *Conc. Trid.* (sess. 22, can. 3) definiente : « Si quis dixerit Missæ sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis,... non autem propitiatorium;... *neque pro vivis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri* debere; anathema sit. » — 4. *Rat. theol.* Ex dictis, Missæ sacrificium est impetratorium et satisfactorium; ergo offerri potest tum ad impetrandas gratias, tum ad peccatorum remissionem obtinendam.

244. Assertio 2ª : *Missæ sacrificium licite offertur pro hæreticis, schismaticis et excommunicatis, si sint ab Ecclesia tolerati, nec notorie tales; si vero denuntiati fuerint, non licet pro illis directe et in nomine Ecclesiæ offerre sacrificium.*

Constat primum, nimirum *Missam licite offerri pro hæreticis*, etc., ex eo quod, vi constitutionis Martini V, *Ad vitanda scandala*, cum his omnibus communicare licet in divinis. Nihil ergo obstat quin Missa ipsis prosit, non tantum prout offertur in persona Christi, sed etiam, saltem *probabiliter*, quatenus in nomine Ecclesiæ pro ipsis celebratur. Non tamen publice nominandi essent, si essent notorii, ne fideles offenderentur.

Constat secundum, nempe *illicitum esse sacrificium Missæ pro iisdem directe et in nomine Ecclesiæ offerre, si sint denuntiati*, quia Ecclesia, tales nominatim denuntiando, in pœnam criminis eos communibus filiorum suorum bonis frustrari intendit.

Dicitur vero 1. *directe*, eo quod nihil vetat quin sacrificium Missæ pro hujusmodi excommunicatis non toleratis offeratur, quatenus nempe offertur pro omnibus peccatoribus, pro conversione hæreticorum et impiorum.

Dicitur 2. *In nomine Ecclesiæ*, quia sacerdos, prout persona privata, pro excommunicatis non toleratis etiam in precibus publicis et in ipso Missæ sacrificio orare potest; imo ipsam

actionem sacrificandi, quatenus est opus personale, offerre potest; Ecclesia enim nihil aliud vult, nisi excommunicatos denuntiatos iis privandos esse bonis quæ Deus in ipsius Ecclesiæ gratiam concessurus fuisset. Non licet igitur talem excommunicatum in precibus publice nominare, fideliumque orationibus commendare; imo, juxta multos, illicitum esset stipendium ab Ecclesia determinatum pro Missæ applicatione ipsi facta recipere, cum divinum sacrificium more consueto et nomine Ecclesiæ pro eo offerri nequeat (Cf. Bouvier, *de Euch.*, cap. 6).

Ita communius auctores contra nonnullos asserentes sacerdotem celebrare posse pro excommunicatis etiam non toleratis, non tantum ut personam privatam, sed etiam ut ministrum Ecclesiæ, sive accepto sive non accepto stipendio, modo tamen pro talibus non celebret ut pro membris Ecclesiæ (Vide Billuart, *de Religione*, diss. 2).

245. Assertio 3ª : *Missæ sacrificium offerri etiam potest, saltem per modum deprecationis, pro infidelibus et cathecumenis.*

Prob. 1. *Script. S.* (I *Tim.*, II, 1) : « Obsecro fieri obsecra-» tiones, orationes... *pro omnibus hominibus*, pro regibus et » omnibus qui in sublimitate sunt... Hoc enim bonum est, et » acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines » vult salvos fieri. » — 2. Ex *SS. Patribus*, pro quibus sit Tertullianus, qui (*ad Scapulam*, c. 2), scribebat : « Sacrificamus *pro salute Imperatoris.* » — 3. *Rat. th.* Sacrificium crucis pro omnibus oblatum est ; ergo sacrificium altaris, quod substantialiter non differt ab eo, pro omnibus pariter offerri potest.

Dicitur : *per modum deprecationis.* Nam Missæ sacrificium pro infidelibus offertur ut ad Deum convertantur, ut peccatorum suorum sese pœniteant, justificationis gratiam consequantur ; non autem directe ut eorum delicta vel pœnæ ipsis debitæ deleantur.

Attamen, juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam, infideles et catechumenos in sacrificii precibus nominare non licet, nec de facto nominantur, nisi in die Parasceves, ob memoriam Christi qui pro totius mundi salute sanguinem suum effudit.

246. Corollarium. Ex modo dictis patet plures in vivis requiri conditiones ut sacrificium Missæ, saltem quatenus est satisfactorium, effectum suum producat, nempe

Requiruntur — 1. *Capacitas*, id est, character christianus, seu susceptus baptismus; quia, juxta theologorum placita, Missæ sacrificium, quatenus satisfactorium, operatur sacramentorum instar, et ideo susceptum baptisma supponit. — 2. *Status gratiæ;* quia non remittuntur peccata venialia nec pœna peccatis debita illis qui aliquo peccato mortali maculantur. Utrum vero plus vel minus operetur sacrificium ratione actualis fervoris illius pro quo offertur, alibi dictum fuit. — 3. *Actualis indigentia*, in eo sensu quod fructus Missæ in futurum non reservetur, sed statim concedatur; unde si suscipiens illo fructu actualiter non indigeat, fructus iste in thesauro Ecclesiæ reconditur.

Dicitur : Sacrificium Missæ *quatenus satisfactorium*, quia, si ut propitiatorium vel impetratorium consideretur, nullam specialem dispositionem in suscipiente supponit, ut ex jam dictis constat. — Non agitur etiam de Missæ sacrificio, prout est latreuticum aut eucharisticum ; nam, sub illo respectu, ejus fructus a nullo suscipitur, ut sat manifestum est.

ARTICULUS II.

De oblatione sacrificii Missæ pro mortuis.

247. Mortui triplicis generis sunt : vel sancti in cœlo regnantes, vel damnati in inferno gementes, vel justi in purgatorio pœnas justitiæ divinæ solventes. De singulis speciatim sermo erit.

Assertio 1ª : *Missæ sacrificium non offertur sanctis, nec pro illis, in eorum scilicet commodum, sed in illorum memoriam offertur.*

I. *Missæ sacrificium non offertur sanctis.* — Prob. 1. *ex SS. Patribus*, pro quibus audiatur S. Augustinus, qui (lib. 8 *de Civ.*, c. 27, n. 1) ait : « Nos Martyribus non constituimus templa, sacerdotia, sacra et sacrificia... Quis audivit aliquando fidelium stantem sacerdotem ad altare... dicere in precibus :

Offero tibi sacrificium, Petre vel Paule, vel Cypriane; cum apud memorias eorum Deo offeratur? » — 2. *Conc. Trid.* (sess. 22, cap. 3) dicente : « Quamvis in honorem et memoriam sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit; unde nec sacerdos dicere solet : *Offero tibi sacrificium, Petre* vel *Paule;* sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris. » — 3. *Rat. theol.* Sacrificium ad cultum latriæ pertinet : porro cultus iste soli Deo reddi debet; ergo.

II. *Missæ sacrificium non offertur pro sanctis*, id est, ad eorum subsidium. — Prob. Triplici tantum causa offerri posset Missæ sacrificium ad sanctorum subsidium, nempe : vel ad peccati culpam expiandam aut peccati pœnam relaxandam, vel ad gratiam augendam, vel ad novam gloriam promerendam : porro sancti in cœlo regnantes, cum sint in termino, non habent peccatum nec pœnam pro peccatis solvendam, in gratia crescere nequeunt, ac novæ, saltem substantialis, gloriæ incapaces sunt. Ergo. — Unde si in liturgia dicitur « *ut illis ad honorem prosit*, » illud de honore accidentali, qui in fidelium laudibus præsertim consistit, intelligendum est.

III. *Missæ sacrificium offertur in sanctorum memoriam*, id est, ad illos honorandos et gratias a Deo eorum intercessione obtinendas. — Constat 1. *ipsa liturgia* in qua legitur : « Ut illis omnibus (sanctis) *prosit ad honorem*, nobis autem ad salutem, et *illi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam agimus in terris.* » — 2. *Auctoritate SS. Patrum.* S. Cyrillus Hieros. (*Catech.* 23, *Mystag.* 5, n. 9), ait : « Cum hoc sacrificium offerimus, *mentionem facimus... martyrum*, ut Deus *orationibus illorum et deprecationibus suscipiat preces nostras.* » Ita alii Patres. — 3. *Conc. Trid.* (sess. 22, can. 5), definiente : « Si quis dixerit, *imposturam esse Missas celebrare in honorem sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda*, sicut Ecclesia intendit; anathema sit. » — 4. *Ratione.* Nam, ex dictis in Tract. *de Deo Redemptore*, certum est sanctos in cœlis regnantes dignos esse qui colantur, nosque

eorum orationibus adjuvari posse : porro hoc sane sufficit ut Missæ sacrificium in sanctorum memoriam jure offeratur. Ergo.

Ex his patet sacrificium offerri quidem in memoriam et honorem sanctorum, sed secundario tantum et quasi accidentaliter; ordinatur autem directe ad Deum, qui per sanctos suos mirabilia operatur.

248. Assertio 2ª : *Non licet sacrificium Missæ pro damnatis offerre.*

Prob. 1. *Praxi perpetua Ecclesiæ.* — 2. *S. Aug.* (lib. 21, *de Civ.*, c. 24, n. 1) : « Si qui usque ad mortem habebunt cor impœnitens... numquid jam pro eis, id est, pro talium defunctorum spiritibus orat Ecclesia ? » — 3. *Rat. theol.* Apud inferos non est peccatorum remissio, sed damnati in statu pœnæ æternæ constituuntur; ergo. — Unde communiter tanquam spurium habetur factum quo S. Gregorius Magnus obtinuerit precibus suis imperatorem Trajanum, justo Dei judicio damnatum, a pœnis inferni liberatum fuisse.

249. Assertio 3ª : *Missæ sacrificium pro animabus in Purgatorio detentis pie et utiliter offertur.*

De fide est; dicit enim conc. Trid. (sess. 22, cap. 3) : « Si quis dixerit Missæ sacrificium... neque pro vivis et *defunctis offerri* debere; anathema sit. » Et (decret. *de Purg.*) definit « animas ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero *acceptabili altaris sacrificio*, adjuvari. »

Prob. 1. *Script. Sacr.* (II *Mach.*, xii, 43) (Judas Machabæus) « duodecim millia drachmas argenti misit Jerosoly- » mam *offerri pro peccatis mortuorum sacrificium*, bene et » religiose de resurrectione cogitans... Sancta ergo et salubris » est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvan- » tur. » Porro si veteris Legis sacrificia adjuvare potuerunt animas defunctorum, a fortiori id valet sanctissimum Missæ sacrificium.

Prob. 2. *Traditione.* Tertull. (*de Corona*, c. 3) : « Oblationes *pro defunctis*... annua die facimus. » — S. Ambr. (*in oratione funebri fratris sui Satyri*, n. 80), ait : « Tibi nunc, omnipotens Deus, innoxiam commendo animam, *tibi hostiam meam offero;*

cape propitius ac serenus fraternum munus, *sacrificium sacerdotis.* » — S. Aug. (*Conf.*, l. 9, c. 13, n. 37) : « Inspira, Domine, servis tuis, fratribus meis, *ut meminerint ad altare tuum* Monicæ famulæ tuæ, cum Patricio quondam ejus conjuge. » Ita omnes doctores, quibus conformis est praxis constans et universalis Ecclesiæ.

Prob. 3. *Ratione.* Sacrificium Missæ, ex dictis ubi de illius effectibus, est satisfactorium et impetratorium : porro sub utroque respectu animabus in purgatorio detentis prodesse potest ; nam, quatenus est satisfactorium, his animabus pœnæ peccatis debitæ relaxationem immediate obtinet ; quatenus vero impetratorium, viventibus obtinere potest gratias, quibus ad preces, eleemosynas, aliaque bona opera in favorem defunctorum elicienda excitentur.

Nec dicatur vix fieri posse, attenta Missarum quæ ubique celebrantur multitudine, ut purgatorium non quotidie evacuetur. Cum enim, ex jam dictis, pœna pro peccatis etiam venialibus luenda, ante culpam dimissam non remittatur, sacrificia totam suam efficaciam, quantum ad remissionem pœnæ, sortiri nequeunt, nisi culpa prorsus expuncta fuerit. Quomodo autem et qua successione ea venialium remissio in Purgatorio fiat, difficile determinari potest, et forte res est in thesauris divinis signata.

250. Scholium. Cum prorsus ignoretur quinam ex defunctis sint in purgatorio, quinam in cœlo vel in inferno, inde sequitur Missæ sacrificium offerri posse pro omnibus defunctis, nisi specialis sit Ecclesiæ prohibitio ; quo in casu illicitum foret Missam *nomine Ecclesiæ* pro hujusmodi defunctis celebrare, illosque in publicis precibus nominare. Regula autem generalis hæc est : licet Missam dicere pro omnibus defunctis quibus sepultura ecclesiastica conceditur, non vero pro illis quibus denegatur.

Hinc non licet sacrificium offerre, saltem *publice*, pro infidelibus, apostatis, hæreticis, schismaticis... ; licet autem pro peccatoribus, etiam insignibus, qui ante mortem suam quædam pœnitentiæ signa dederunt. Nec pariter pro infantibus sine baptismate mortuis idem sacrificium offerendum est, etiam

privatim; siquidem hujusmodi infantes in statu fixo constituuntur. Aliud vero dicendum est de catechumenis adultis, de quibus certo non constat eos baptismum ex negligentia graviter culpabili non suscepisse, ut constat exemplo S. Ambrosii pro imperatore Valentiniano sacrificium offerentis, et responsione Innocentii III qui loquens de presbytero non baptizato (c. 2, *de Presbyt. non baptiz.*), ait: » In Ecclesia tua juges preces hostiasque Deo offerri jubeas pro presbytero non baptizato. »

APPENDIX.

DE REGULIS LITURGICIS IN CELEBRANDA MISSA SERVANDIS.

251. Regularum liturgicarum, quæ ad sacrificii eucharistici celebrationem spectant, rationem tradidit ipsa Tridentina Synodus (sess. 22, cap. 5) dicens: « Cum natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia Mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quædam submissa voce, alia vero elatiore, in Missa pronuntiarentur, instituit. Cæremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, ex Apostolica disciplina et traditione, quo et majestas tanti sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per hæc visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur. »

Ut igitur gradatim debitoque ordine procedamus, dicemus: — 1. de adjunctis externis ad celebrationem Missæ attinentibus; — 2. de rebus ad celebrandam Missam requisitis; — 3. de ipsa celebratione Missæ.

ARTICULUS I.

De adjunctis externis ad celebrationem Missæ attinentibus.

Tria potissimum ad celebrationem Missæ extrinsece spectant : *locus* scilicet *conveniens* seu ecclesia, *tempus congruum* et *minister* sacerdoti celebranti assistens. Hinc tres paragraphi.

§ I. De loco convenienti seu de ecclesia.

Breviter expendemus : — 1. quid nomine ecclesiæ veniat; — 2. an et quatenus ecclesia sit necessaria ad missam licite celebrandam; — 3. quandonam ecclesia exsecrata, polluta vel interdicta censeatur.

I. *Quid ecclesiæ nomine veniat?*

252. *Ecclesia* communiter definitur : *ædes publica cultui divino consecratione vel simplici benedictione permanenter deputata, in quam fideles conveniunt tum ad Deum colendum sacrificiumque offerendum, tum ad sacramenta aliaque religionis auxilia suscipienda.*

Hæc definitio absque fusiore explicatione intelligitur; nonnulla tantum subjungenda ducimus, scilicet :

1. Non unum idemque nomen sortiuntur ecclesiæ. Quæ enim insigniores sunt, principaliores ac digniores, accedente Pontificio diplomate, *Basilicæ* vocantur, sive *Majores*, sive *Minores*, specialibusque gaudent privilegiis. Si in eis constituatur sedes episcopalis, *Cathedrales* vocantur, aut etiam ecclesiæ *Matrices*, quia cæterarum diœcesis ecclesiarum veluti matres ac magistræ habentur. Quæ autem annexam habent clericorum communitatem, cui jure capitulariter coadunari et agere competit, *collegiatæ* nuncupantur. Denique, si quando contigerit ædem publicam, cujus scilicet aditus patet omnibus, cultui divino simplici benedictione ab episcopo deputari in subsidium principalioris ecclesiæ, *oratorii publici*, aut *vicarialis, succursalisve capellæ* nomine donatur.

2. Ecclesia, ex modo dictis, duplici modo cultui divino

deputari, seu sanctificari potest, nemper per *benedictionem* et per *consecrationem*. Benedictio, prout in Rituali Romano describitur, a quolibet sacerdote, ex speciali delegatione episcopi, fieri potest. Consecratio vero, cujus ritus et cæremoniæ in Pontificali Romano reperiuntur, proprio diœcesis episcopo reservatur; episcopo alieno committi potest, sed non simplici presbytero, sine dispensatione Romani Pontificis. Hæc autem consecratio qualibet die etiam non festiva fieri potest, modo intra Missam peragatur. Imo plures episcopi eamdem ecclesiam simul consecrare possunt, et sic non semel consecratæ fuerunt nonnullæ ecclesiæ a pluribus episcopis ad hoc congregatis, non ut assisterent, sed ut comministri essent, suas quippe partes expleturi. Unus potest consecrare ecclesiam, alius altare, tertius celebrare Missam, plures ungere cruces.— In vigilia consecrationis, clerus et populus, cui consecranda est ecclesia, jejunare tenentur, ex Pontificali; sed ex variis responsionibus S. Congr. Rituum, ad hoc jejunium non obligantur nisi episcopus consecrans iique duntaxat qui petunt sibi ecclesiam consecrari. — Ipso autem consecrationis die, officium a clero ecclesiæ consecrandæ strictim addicto tam privatim quam publice recitandum est de *Dedicatione* ab hora tertia. Insuper vigiliæ celebrandæ sunt in honorem sanctorum, quorum reliquiæ sub altari sunt recondendæ. Quin etiam, per totam noctem et usquedum auferantur reliquiæ, quædam personæ ante eas vigilare debent orantes et psallentes (Cf. Bouvier, *de Euch.*).

3. Cum ritus, quibus consecratur ecclesia, solemniores sint ritibus, quæ in benedictione adhibentur, unctione præsertim sanctissimi christimatis parietibus impressa, major externus habetur honor ecclesiis consecratis quam benedictis, earumque dedicationis anniversaria dies quotannis solemni ac peculiari festo recolitur. Nec immerito quidem; nam templi consecratio fidelibus expressius indicat et sanctitatem sacramentorum, quæ in ecclesia ministrantur, et sanctitatem, quæ ad hæc sacramenta ministranda et recipienda requiritur, demumque sanctitatem, quam Christus per sacramenta Ecclesiæ suæ confert. Unde homines in templo consecrato ad majorem reveren-

tiam et devotionem excitantur. — Præterea templum ratione consecrationis specialem acquirit efficaciam, quæ in eo consistit, ut sit in eo virtus quædam, vel ad coercendos dæmones, vel ad obtinendas gratias actuales, quibus eliciantur actus peccatorum venialium remissivi, vel ad conferenda alia gratiæ auxilia, vi scilicet orationum Ecclesiæ, cujus nomine peracta est consecratio. Unde potiori jure quam Judæi possumus dicere (II *Mach.*, III, 38, 39) : « Vere Dei virtus quædam est in loco ; » nam ipse qui habet in cœlis habitationem, visitator et » adjutor est loci illius » (Cf. Suarez, *de Euch.*, q. 83, a. 3, disput. 81, sect. 2, n. 4, 5).

Attamen, quoad spirituales hos effectus, nullum videtur assignari posse discrimen inter ecclesiam consecratam et ecclesiam benedictam. Eosdem enim favores, licet minus solemniter, in benedictione exorat et impetrat Ecclesia, quos in consecratione efflagitat et obtinet. Inhæret etiam ecclesiæ benedictæ, sicut et consecratæ, moralis quædam sanctitas, qua divino cultui apta efficitur, nec in usus profanos converti potest, quandiu formam moraliter eamdem conservat, secundum hanc regulam juris : « Semel Deo dicatum non est ulterius ad usus humanos transferendum. »

II. *An et quatenus ecclesia sit necessaria ad Missam licite celebrandam?*

253. — I. Jure communi non licet Missam celebrare nisi in ecclesia. — « Nullus presbyter Missas celebrare præsumat nisi *sacratis ab episcopo locis* » (Dist. 3, c. *de Consecr.*). — « Ne patiantur episcopi *privatis in domibus*, atque omnino *extra ecclesiam*, et ad divinum tantum cultum dedicata *oratoria* ab eisdem Ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc sacrificium a sæcularibus aut regularibus quibuscumque peragi » (Conc. Trid., sess. 22, Decret. *de Obs. et vit. in celebrat. Missæ*). — Ita omnia ritualia.

254. — II. Ab hac lege eximunt : — 1. *Privilegium ;* sic cardinales, episcopi, et quidam presbyteri ex indulto speciali, habent privilegium altaris portatilis, quo Missam in omni loco decenti celebrare licite possunt. — 2. *Exemptio* ; sic dici potest Missa in capellis seminariorum, regularium conventuum rite

et canonice erectorum, hospitiorum et carcerum ; hæc enim in lege communi non comprehendi sæpe declaravit S. Congregatio. — 3. *Necessitas*, si ecclesia diruatur; — si populus in die festo solemni in ecclesia recipi nequeat ; — si ecclesia aquis plena sit tempore inundationis ; — si desit ecclesia et gravissima sit ratio Missam dicendi, v. g., pro navigantibus, iter facientibus : in omnibus his casibus ad episcopum recurrendum est, si illud commode fieri possit. — 4. *Licentia* legitima habendi oratorium privatum, quæ tantum a Summo Pontifice concedi potest, nec ordinarie conceditur, nisi appositis sequentibus conditionibus, scilicet : — ut oratorium ab episcopo vel ejus delegato visitetur, — ut una tantum Missa in die celebretur, imo exceptis etiam diebus festorum solemnioribus ; — ut sacro assistat aliquis ex iis quibus principaliter indultum concessum est ; — ut nulli fiant actus, qui proprio jure ad ecclesiam parochialem pertinent, v. g., baptismus, communio paschalis ; — imo ut communio non distribuatur, nec audiantur confessiones, nisi permittente episcopo servatisque servandis.

III. *Qandonam ecclesia exsecrata, polluta vel interdicta censenda sit?*

255. — I. Ecclesia *exsecratur*, id est, ita mutatur ut benedictionem aut consecrationem amisisse censeatur, cum parietes ejus sive totaliter, sive nobiliori in parte, uno et eodem tempore destruuntur, aut si omnis parietum crusta vel major saltem pars simul auferatur (S. Lig., n. 368). Ratio est quia consecratio solis parietibus aut altari inhæret, in quibus delineantur cruces et peraguntur unctiones, nec est quid physicum, sed morale. Ergo, ut evanescat consecratio, requiritur quod parietes modo supra dicto evertantur aut corruant ; nec satis est si tecta comburantur, concidant ligna, parietesve successive reficiantur, cum suam identitatem moralem ecclesia his in casibus conservet. Constat ex can. *Ecclesiis de Consecrat.*, dist. 1, necnon ex cap. *Ligneis* 6, *de Consecr.*

256. — II. Ecclesia *polluta* dicitur quando in ea patratur crimen quod ex præscripto canonum adeo judicatur grave, ut sanctitati ejus omnino repugnare videatur, ac proinde obstat

quominus ibidem sacra munia peragantur, donec locus piacularibus ritibus fuerit reconciliatus. Porro legitimum esse hujusmodi præscriptum et sub gravi servandum esse nemo non agnoscet, si, ex una parte, sacrorum mysteriorum sanctitatem perspectam habuerit, et, ex altera parte, recogitaverit maximum redundare dedecus in ecclesias ex certis quibusdam criminibus quæ in eis perpetrantur, cum præsertim, ut jura ordinarie exigunt, publice innotescunt.

Jam vero delicta quibus ecclesiæ polluuntur sunt : homicidium, sanguinis humani effusio, peccatum externum consummatum contra castitatem, et sepultura hominis infidelis aut excommunicati, modo tamen in iis circumstantiis et eo modo admittantur, quo gravis ecclesiæ injuria irrogetur. Videlicet

1. Ut ecclesia polluta censeatur *homicidio*, voluntarium et culpabile sit illud homicidium, et intra ejus ambitum, id est, a pavimento ad fornicem interiorem, ictu lethali committatur necesse est. Unde nec casualis occisio, nec justa defensio, morte adversarii secuta, nec ictus lethalis extra ecclesiam inflictus, licet in ecclesia moriatur vulneratus, ad polluendum templum sufficiunt. Satis est tamen si ictu lethali aliquis in eo percutiatur, licet alibi succumbat (cap. *Proposuisti*, 4, *de Consecratione*).

2. Ea tantum *sanguinis humani effusio* polluit ecclesiam, quæ notabilis reputatur pro gravitate et loco vulneris, et in eodem sensu ac homicidium peccati mortalis arguitur. At percussio, quantumvis atrox, nulla subsequente sanguinis effusione, Ecclesiæ pollutionem non inducit; non tamen requiritur sanguinem intra ecclesiam fundi, modo vulnus grave, ex quo dimanat, in ea inflictum fuerit. In his omnibus jura stricte simul et rationabiliter interpretanda sunt (cap. *Si Ecclesiam*, eodem titulo, in 6°).

3. *Peccatum externum consummatum contra castitatem* quo polluitur Ecclesia est quævis pollutio vel copula carnalis, etiam conjugalis, ob circumstantiam graviter illicita, quæ publice innotescit. Unde quandiu crimen occultum remanet, ecclesia habenda non est ut polluta; statim autem ac publicum

evaserit, polluta reputabitur atque necessarium erit eam reconciliari. Ratio est quia ad scandalum a fidelibus avertendum hæc lex potissimum condita est.

4. Certum est ecclesiam pollui per *sepulturam infidelis, hæretici* ad sectam separatam pertinentis, vel *excommunicati nominatim denuntiati;* at non ita constat eumdem effectum sortiri sepulturam hæretici vel excommunicati notorii. Licet enim tenore Bullæ *Ad evitanda scandala* vitari jubeantur qui ita notorie excommunicationem incurrunt, ut nulla tergiversatione celari possint, pluresque aliunde textus juris prohibeant ne hæretici notorii in locis Deo sacris sepeliantur, non ideo statim concludendum est ecclesiam pollui, si istiusmodi hominum cadavera in ea condantur. In dubio pars benignior, præsertim post factum, tenenda videtur.

Controvertitur etiam utrum sepultura infantis non baptizati, sed ex parentibus fidelibus nati, polluatur ecclesia. Communior sententia affirmat; plures vero negant, quia jura statuunt de pagano et infideli, qui fideles christianam detestatur, nec proinde partem cum fidelibus habere potest; non autem de infante aliquatenus ad Ecclesiam pertinente in persona parentum, quorum fidem quasi repræsentat. In praxi standum est statutis diœcesanis quoad *reconciliationem* ecclesiæ.

Hæc autem reconciliatio, quæ cæremonia est specialis, omnino necessaria est si ecclesia certo polluta fuerit, nec in ea nondum reconciliata ordinarie sine gravi peccato Missa celebrari potest. Plures tamen existimant episcopum dispensative concedere posse, ut in hujusmodi ecclesia divina fiant mysteria, si necessitas urgeat, nec statim peragi possit reconciliatio præcepta.

Et vero ad solum episcopum pertinet ecclesiam pollutam reconciliare, si consecrata fuerit, servato ritu in Pontificali præscripto; communiterque asseritur necessariam esse episcopi delegationem, ut simplex sacerdos ecclesiam benedictam, sed pollutam, reconciliet.

Multi tamen contrarium sentiunt, nec nisi ex decentia episcopalem delegationem requirunt. Cui quidem sententiæ favere

videtur tum Rituale Romanum, tum canon *Si Ecclesia* (*de Consecrat.*), præscribens ut ecclesia *aqua exorcisata protinus lavetur, ne divinæ laudis organa suspendantur.* In praxi igitur, quod sibi magis expedire videbitur, eligat sacerdos, nisi obstent statuta diœcesana; sed in reconciliatione peragenda accurate servet ritum in Rituali Romano descriptum.

Si, sacerdote celebrante, violatur ecclesia ante canonem, dimittatur Missa; si canone inchoato, non dimittatur. Ita rubrica *de Defectibus.* Consummato vero sacrificio, cesset quodvis aliud divinum officium, asportetur sanctissima Eucharistia in alium decentem locum, altariaque ornamentis suis denudentur; imo velamen nigrum ante portam ecclesiæ in signum mœroris et luctus suspendatur. Hic est autem effectus ecclesiæ pollutionis, ut pollutionem etiam adjacentis cœmeterii benedicti secum trahat; sed non vice versa, quia se habet tantum cœmeterium ad ecclesiam ut quid accessorium.

Si quandoque in ecclesia admittitur crimen quod jure communi inter ea quæ ecclesiam polluunt non recensetur, necessaria non est reconciliatio proprie dicta; invaluit tamen usus, ut cæremonia aliqua ad episcopi arbitrium determinanda per modum reconciliationis usurpetur.

Demum, etsi oratoria privata, cum benedicta non sint ecclesiarum ritu, pollutioni propriæ non subjaceant, convenit tamen ut, haud secus ac ecclesia benedicta, laventur, si violata fuerint aliquo crimine; imo in quibusdam diœcesibus revocatur ipso facto licentia in eis celebrandi.

257. — III. Quod attinet ad *interdictum locale* cui aliquando ecclesia subjacet, hæc dicenda sunt. Si veri nominis interdictum sit, seu vera censura propter commissa peccata inflicta, non potest sacerdos in ecclesia interdicta scienter celebrare quin irregularitatem incurrat, a qua per alium quam per Romanum Pontificem liberari nequit. Sed interdictum confundi non debet cum cessatione a divinis in signum mœroris et luctus, quæ, etsi aliquando strictius obliget nullamque patiatur exceptionem, vera censura non est, nec violata irregularitatem inducit. Idem a fortiori asserendum est de prohibitione ab Episcopo facta, quominus divina celebrentur officia in ecclesia cui impendet

ruina, vel necessaria est reparatio ut sacris officiis decenter coaptetur.

§ II. De tempore celebrationis.

Dicendum venit — 1, an qualibet die anni celebrare liceat; — 2. qua hora; — 3. an pluries in eadem die.

I. *An qualibet anni die celebrare liceat?*

258. Licet Missam celebrare omnibus anni diebus, exceptis sequentibus :

1. *Feria V in Cœna Domini*, ex variis S. Congregationis Rituum decisionibus, quibus prohibitum est ne celebrentur Missæ *privatæ* in quacumque ecclesia vel oratorio. Missa vero solemnis permittitur in omnibus et solis ecclesiis in quibus asservanda est SS. Eucharistia. — Attamen, ex speciali indulto Sanctæ Sedis, pluribus in locis præter Missam solemnem aliam privatam celebrare licet, ut consulatur devotioni fidelium qui ad sacram synaxim accedere volunt, nec jejunium diu procrastinari possunt.

2. *Feria VI in Parasceve*, in qua sola Missa præsanctificatorum permittitur.

3. *Sabbato Sancto*, ex decreto S. Cong. Rit. (11 febr. 1690) ad Alexandro VII approbato et sic statuente : « In sabbato Sancto, etiamsi occurrat festum Annuntiationis B. Mariæ Virginis, celebratio Missarum privatarum omnino prohibetur, in quibuscumque ecclesiis et oratoriis tam publicis quam privatis, non obstante quacumque consuetudine, sed unica tantum Missa conventualis una cum officio hujus diei celebretur. » Alia ejusdem Congregationis decreta proferuntur, et Benedictus XIV (lib. 4, c. 5, n. 10) contendit nullam dari causam cur eis non pareatur.

II. *Qua hora Missa celebrari possit?*

259. — I. « Missa privata... quacumque hora *ab aurora* usque *ad meridiem* dici potest. » Hæc sunt verba rubricæ. — Nomine *auroræ* non intelligendum est instans ortus solis, sed tempus illud quod existit inter noctem et diem. — Communi-

ter tenent auctores ad hujus regulæ observationem sufficere, ut non perficiatur Missa ante auroræ initium, et ut incipiatur ante meridiem.

260. — II. Docent auctores prædictam regulam esse gravem, et ideo lethaliter peccare qui illam sine sufficienti ratione notabiliter infringit; illud concludunt tum ex conc. Trid., quod (Decret. *de Celebratione Missæ*) ait : « Ne superstitioni locus aliquis detur, edicto et pœnis propositis caveant episcopi ne sacerdotes aliis quam debitis horis celebrent; » tum ex consensu communi theologorum. — Quodnam autem tempus notabile judicandum sit, difficile præfiniri potest; alii dimidiam horam, alii integram horam requirunt. Ex usu et æstimatione communi, gravior est inordinatio, cæteris paribus, in Missa incœpta post meridiem quam absoluta ante auroram.

261. — III. Ab hac regula excusant — 1. *Ratio gravis*, quales sunt : viaticum moribundo administrandum; funus principis aut alicujus magnatis; prolongatio, ob orationem vel processionem, Missæ solemnis, post quam dici solet Missa privata; iter faciendum, præsertim si de una hora tantum agatur; causa studii perutilis et ordo communitatis, facilitas pro operariis Missam audiendi. — 2. *Consuetudo.* Praxis recepta in Gallia, juxta Collet, permittit Missæ celebrationem in hieme pluribus horis ante auroram, ut fideles eam audire possint; pari ratione permittitur Missa in diebus festivis et dominicis, dimidia hora vel etiam una hora post meridiem. — 3. *Legitima dispensatio* ab episcopo concessa.

III. *An quandoque licitum sit pluries eadem die celebrare?*

262. — I. Juxta Benedictum XIV (l. 3, c. 5, n. 6), nullum existit monumentum ex quo deduci possit in Ecclesia Græca aliquando licitum fuisse eidem sacerdoti bis sacrificium offerre in eadem die. Imo in eadem Ecclesia orientali prohibetur, ne quis sacerdos eodem die Missam celebret ad altare in quo alius celebravit, nisi gravis necesssitas aliter fieri postulet. Sed plura esse possunt altaria in eadem ecclesia, vel plures sacerdotes in eodem altari simul celebrare possunt.

In Ecclesia occidentali olim licebat *pluries* eadem die Missam

celebrare, uti pluribus exemplis ostenditur : sic Walafridus Strabo testatur Leonem III, qui vixit labente sæculo VIII, septem una die, interdum autem novem Missas celebrare consuevisse (Bened. XIV, l. 3, c. 4, n. 12). — Hodie vero generatim non licet nisi unam Missam celebrare ; sic enim statuit Alexander II : « Sufficit sacerdoti *unam missam in una die celebrare*, quia Christus semel passus est et totum mundum redemit; non modica res est unam Missam facere, et valde felix est, qui unam digne celebrare potest. Qui vero pro pecuniis, aut adulationibus sæcularium, una die præsumit plures facere Missas, non æstimo evadere condemnationem » (Apud Labbe, tom. IX, col. 1153. Vide etiam Bened. XIV, Const. *Declarasti*, anno 1746.). — Idem declarat Innocentius III (Decr., l. 3, tit. 41, c. 3).

263. — II. Attamen ab ista prohibitione excipiuntur :

1. *Dies Nativitatis Domini*, in qua, ut fert praxis vigens a diebus saltem S. Gregorii Magni, singuli sacerdotes tres Missas celebrare possunt, primam scilicet in *nocte*, secundam in *aurora*, et tertiam *in die*. Ita rubrica Missalis. Unde non licet sine licentia episcopi ex juxta causa, vel sine indulto apostolico, tres prædictas Missas ante auroram celebrare.

2. *Dies dominici et festivi de præcepto*, de licentia episcopi, si gravis causa, seu aliqua necessitas id exigat, non vero ob solam consuetudinem, sine concessione canonica. — Juxta communem theologorum sententiam datur hujusmodi necessitas bis eadem die celebrandi in triplici casu, nempe : — 1. quando parochus duas habet parochias, nec incolæ unius in ecclesiam alterius se conferre possunt, deestque alter sacerdos, qui in alterutra celebrare queat; — 2. si in eadem parochia aliqua pars populi nimis distat ab ecclesia, et facile convenire posset in aliquod sacellum, vel in aliam ecclesiam. Ad episcopum Lingonensem, anno 1847, responsum fuit ad id sufficere quod communitas aliqua constans viginti personis uno milliario ab ecclesia distet; — 3. cum populus in ecclesiam parochialem nimis angustam totus confluere non potest, nec adest alius sacerdos qui Missam celebrare possit. — Adde hanc licentiam binam Missam in diebus dominicis ac festis de præcepto,

urgente necessitate, celebrandi ab episcopo concedi non posse nisi ad breve tempus, non autem veluti privilegium alicui parochiæ annexum, et ea conditione, ut quantum fieri poterit, in diversis ecclesiis Missæ celebrentur (Bened. XIV, *de Sacr.*, l. 3, c. 5, n. 4; S. Lig., l. 6, n. 351). — Demum hæc facultas ad officium feriæ VI in Parasceve extendi non potest, siquidem post primam Missam Præsanctificatorum sacerdos jam non est jejunus.

3. Excipitur pariter casus quo sacerdos, deficientibus particulis consecratis ante ablutionem moneretur de infirmo communicando, et suam hostiam jam sumpsisset, si alius sacerdos jejunus non reperiatur. Ita communiter (S. Lig., n. 351). — Si vero sacerdos celebrans ante communionem moneretur, pars majoris hostiæ reservanda esset; si autem post ablutionem, jam non est jejunus, nec urget præceptum viatici.

Ex speciali concessione Benedicti XIV, omnes presbyteri sub ditione regum Hispaniæ et Portugaliæ existentes habent facultatem ter sacrum faciendi in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, ea lege, ut omnibus fidelibus defunctis sine quacumque eleemosyna applicentur Missæ.

264. — III. Sacerdos, cui concessa est licentia duas dicendi Missas in eadem die, nequit eleemosynam accipere pro applicatione utriusque Missæ, sed unius tantum, etiamsi altera eleemosyna sive ad sublevandam inopiam fabricæ ecclesiæ, sive in commodum sacerdotis alicujus indigentis, sive in sustentationem missionariorum, sive in aliam denique piam causam applicetur, nullumque omnino commodum vel emolumentum celebrans ipse inde percipiat. Attamen intuitu laboris vel incommodi potest permitti prudenti episcopi arbitrio aliqua remuneratio (S. Cong., 23 mart. 1861 et 11 mart. 1863). Juxta vero declarationem Bened. XIV, licet tria stipendia accipere pro tribus Missis celebratis in die Nativitatis Domini.

265. — IV. Quando duæ Missæ ab eodem sacerdote celebrantur eadem die, hæc servanda sunt :

1 — Si unus adhibeatur calix in eadem ecclesia, in prima Missa, diligentius S. Sanguinem hauriat sacerdos, ita ut,

quantum fieri potest, nihil supersit circa labium calicis, ne patenæ, qua mox tegendus est, adhæreat. — Sumpto Sanguine, calicem in medio corporalis depositum, prius petena et deinde palla cooperiat, ac junctis manibus dicat : *Quod ore sumpsimus*, etc. Calix autem purificatorio nec abstergitur, nec cooperitur. — Subinde sacerdos aquæ vasculo digitos lavet, dicens : *Corpus tuum*, *Domine*, et abstergat. Potest etiam more solito digitos abluere super aliquod vas mundum vitreum aut argenteum, quod in posteriori parte altaris, juxta corporale, dein locabit aliaque palla cooperiet. — Postea manu dextra aut sinistra calicem elevans, altera partem anteriorem corporalis plicet et super mediam plicaturam calicem deponat, eumque velo cooperiat; deinde Missam prosequatur. Quamvis autem aliquid sacri Sanguinis in calice remanserit et species dessicatæ non sint, in transitu, accessu et recessu non est genuflectendum, et sacerdos se vertens ad populum, ut alias, renes ad altare vertere debet. Calix tamen debet reverenter tractari, nonnisi a ministro sacro tangi et deferri, et semper poni super corporale aut pallium, sive intra, sive extra altare.

In secunda Missa, postquam, lecto offertorio, amovit velum calicis, alterutra manu calicem elevans, altera extendat corporale et calicem reponat. Dum autem vinum et aquam infundit, calicem vel super corporali repositum, vel elevatum super mappam altaris, teneat; potest etiam palla deponi ad cornu Epistolæ, ut huic calix imponatur; sed caveat ne sive ante, sive post infusionem, purificatorio calicem extergat; guttæ vero, si quæ sunt dispersæ, circumacto vino, quantum fieri potest, uniantur. His peractis, Missam, sicut fieri solet, prosequatur usque ad ablutionem digitorum. Tunc, si in prima Missa digitos super vas aliquod abluerit, hujusmodi ablutionem e vasculo immittat in calicem et illam sumat simul cum ablutione digitorum secundæ Missæ; sumptis vero ablutionibus, os purificatorio extergat et deinde calicem et vasculum.

Si post secundam Missam tertia celebranda esset, uti contingit in die natali Domini, eadem servanda essent pro tertia ac pro secunda. Advertunt vero auctores optimum esse, ut tunc in secunda Missa formetur intentio guttas in calice dispersas

consecrandi, ne illarum guttarum non consecratarum sumptio frangat jejunium ad tertiam Missam requisitum.

2. Quando vero « sacerdos eadem die duas Missas dissitis in locis celebrare debet, in prima, dum divinum Sanguinem sumit, eum diligentissime sorbeat. Exinde super corporali ponat calicem, et palla tegat, ac junctis manibus in medio dicat : *Quod ore sumpsimus.* — Et subinde aquæ vasculo digitos lavet dicens : *Corpus tuum...* et abstergat. Hisce peractis, calicem super corporali manentem adhuc, deducta palla, cooperiat, ceu moris est, scilicet, primum purificatorio linteo, deinde patena ac palla, et demum velo. Post hæc Missam prosequatur, et completo ultimo evangelio, rursus stet in medio altari, et detecto calice, inspiciat an aliquid divini Sanguinis necne ad imum se receperit, quod plerumque contingit. Quamvis enim sacræ species primum sedulo sorptæ sint, tamen dum sumuntur, quum particulæ, quæ circum sunt, undequaque sursum deferantur, nonnisi deposito calice ad imum redeunt. Si itaque divini Sanguinis gutta quædam supersit adhuc, ea rursus ac diligenter sorbeatur, et quidem ex eadem parte, qua ille primum sumptus est. Quod nullimodo omittendum est, quia sacrificium moraliter durat, et superexistentibus adhuc vini speciebus ex divino præcepto compleri debet.

Postmodum sacerdos in ipsum calicem tantum saltem aquæ fundat quantum prius vini posuerat, eamque circumactam, ex eadem parte qua S. Sanguinem biberat, in paratum vas demittat. Calicem subinde ipsum purificatorio linteo abstergat ac demum cooperiat, ut alias fit, atque ab altari discedat.

Depositis sacris vestibus et gratiarum actione completa, aqua e calice dimissa pro rerum adjunctis vel ad diem crastinum servetur (si nempe eo rursus sacerdos redeat Missam habiturus) et in secunda purificatione demittatur, vel gossipio, aut stuppa absorpta comburatur; vel in sacrario, si sit exsiccanda, relinquatur, vel dimittatur in piscinam.

Quum autem calix, quo sacerdos primum est usus, purificatus jam sit, si illo pro Missa altera indigeat, eum secum deferat; secus vero in altera Missa diverso calice uti poterit » (Decr. S. Cong., 11 marti 1858).

§ III. De ministro sacerdoti celebranti assistente.

266. — I. Necessitas ministri. Necessarius est aliquis Missæ minister, ut multis juris canonici textibus constat. — Talis est praxis universalis Ecclesiæ; et plurima verba Missæ, ut *Dominus vobiscum*, et *omnium circumstantium*... supponunt alium saltem præter sacerdotem astare debere. — Certum est apud omnes, inquit S. Lig. (lib. 6, n. 431), esse mortale celebrare sine ministro; celebrare autem sine ministro, sed muliere respondente, non excedit peccatum veniale, etiamsi id sine gravi causa fiat (S. Lig., n. 392).

267. — II. Qualitates ministri. Minister vir esse debet, nec mulieri permittitur ut altari deserviat. « Prohibendum est ut ulla femina ad altare præsumat accedere, aut presbytero ministrare » (c. 1, *de Cohabitatione cler. et mulier.*). Peccaret igitur mortaliter qui sineret mulierem ministrare ad altare, puta, urceolos proferendo; prorsus melius est celebrare sine ministro quam muliere ministrante; at mulieribus licet celebranti respondere, dummodo longe ab altari stent, præsertim si moniales sint, et cum muliere respondente satius est celebrare quam sine ullo omnino ministro.

268. — III. Causæ a ministro excusantes. Casus in quibus licet absque ministro celebrare Missam, isti sunt : — viaticum infirmo deferendum; — Missa notabiliter incœpta, quando recedit minister, nec mox rediturus est; ex unanimi sententia, post offertorium Missa est notabiliter incœpta; — grave scandalum pro populo; — carentia Missæ pro populo, vel etiam, juxta multos, pro ipso celebrante, qui aliter Missam audire non posset. — Notandum est quod leviores sufficerent rationes, si adesset minister qui posset urceolos præbere, missale deferre, quamvis respondere nesciret, quo in casu sacerdos verba proferret quæ a ministro forent dicenda.

ARTICULUS II.

De requisitis in celebratione Missæ.

Quæstio moveri potest — tum de altari ejusque apparatu;

— tum de vasis ac linteaminibus sacris aliisque ad ea pertinentibus; — tum de vestibus sacerdotalibus.

§ I. De altari ejusque apparatu.

I. *De altari.*

269. — I. Altaris notio. Altaris nomine intelligi solet lapis supra quem offertur divinum Missæ sacrificium. Duplex est altare, aliud *fixum* quod in basi sua immobiliter perseverat; hujus altaris mensa seu pars superior ex uno constat integro lapide, qui totam ejus planitiem constituit, et structuræ inferiori in ipsa consecratione altaris ita conjungitur, ut cum ea unum totum efficiat; aliud vero *portatile,* quod de loco in locum moveri potest; et nihil aliud est quam simplex lapis seorsim consecratus, qui mensæ altaris ligno aliave materia confectæ absque nexu inseritur. Altare portatile, sicut fixum, ex uno lapide confici debet; præterea, etsi absolute sufficiat ut hostiam et calicis partem contineat, decet tamen ut magis amplum sit, præsertim quia præter majorem hostiam, minores aliquando formulæ in pyxide consecrandæ sunt, quæ et ipsæ super ara reponi debent.

270. — II. Altaris consecratio. Altare, sive fixum, sive portatile, consecrari debet; et si de illius consecratione dubitetur, consecrandum est antequam Missæ super illud celebrentur (Decret., dist. 1, can. 18 et 32). — Hujus consecrationis minister est episcopus, vel simplex presbyter ex delegatione Summi Pontificis; episcopus vero simplicem sacerdotem ad id delegare nequit, siquidem in jus commune canonicum non habet potestatem. — Ad hanc vero consecrationem duo pertinent, scilicet : — 1. *unctiones* cum sancto chrismate et oleo catechumenorum, quæ quidem adeo necessariæ sunt, ut solus Papa ab illis dispensare possit. Unde Pius VI presbyteris Gallicanis facultatem altaria consecrandi non concessit, nisi ea conditione ut id facerent *cum oleis ab episcopo benedictis;* — 2. *reliquiarum* appositio; etsi enim plures hujus conditionis necessitatem negent, dicentes nullibi expressum inveniri præceptum de ponendis reliquiis sanctorum in altaribus consecrandis, auctores hodie saltem communius affirmant, innixi

tum auctoritate conciliorum, tum Ecclesiæ consuetudine, quam sat indicat oratio *Oramus te per merita sanctorum tuorum, quorum reliquiæ hic sunt*, etc. Attamen ab illa conditione dispensare valet Summus Pontifex, et de facto dispensavit Pius VI, in concessione supra memorata, in qua nulla mentio fit de reliquiis apponendis. Exinde vero factum est quod, ineunte hoc sæculo, plurima in variis ecclesiis locata fuere altaria portatilia, in quibus nullum invenitur reliquiarum vestigium; hujusmodi autem altaria nunc prorsus irregularia videntur.

In altari fixo, reliquiæ recondi solent sub ara lapidea; quod quidem triplici modo fieri potest : 1. in medio tabulæ altaris, a parte superiori, si nempe tabula effodiatur aut perforetur in medio; — 2. in stipite, a parte anteriori, vel superiori; in utroque casu episcopus claudit sepulchrum cum lapide convenienter aptato; — 3. sepulchrum potest esse in summitate stipitis, et ipsa mensa altaris supra illud ponitur, ut explicatur in Pontificali, ad calcem tituli : *de altaris consecratione, quæ fit sine dedicatione ecclesiæ*. Præter reliquias, in sepulchro includi solent, cum cæremoniis in Pontificali descriptis, nomen episcopi consecrantis et sancti in cujus honorem altare consecratur. — In altari vero portatili parvum fit foramen in una facie, vel in uno latere; solæ ibi reconduntur reliquiæ in modica quantitate et episcopali sigillo cum cera, aptato prius lapide, ut supra, clauduntur (S. Cong. Rit., 9 sept. 1880). Foramen ita sigillo munitum vocatur sepulchrum (Cf. Bouvier, *de Eucharistia*).

Notandum superest reliquias quæ in altari includuntur, — 1. martyrum esse debere (ex dec. S. Cong., 6 octob. 1837), et solum permitti ut cum his SS. Confessorum reliquiæ uniantur, illorum præsertim in quorum honorem ecclesia vel altare dedicantur; — 2. partem aliquam corporis reponendam esse, non vestes, aut quid aliud hujusmodi; — 3. duorum saltem sanctorum reliquias ponendas esse, ob illa verba : *Quorum reliquiæ hic sunt*.

271. — III. Altaris necessitas. Altare consecratum sive fixum, sive portatile, ad Missæ celebrationem omnino necessarium est, non quidem necessitate medii, sed necessitate præ-

cepti tam gravis, ut nusquam hoc in puncto dispensaverit Rom. Pontifex. In quibusdam diœcesibus, qui sine altari Missam celebrare attentaret, pœnam suspensionis ipso facto incurreret. Putat DD. Gousset (n. 319) sacerdotem qui die dominica detegeret altare esse fractum vel sine reliquiis, posse hac die sine novo altari celebrare ob scandalum populi; sed addit prudentem sacerdotem altari portatili, quod sedulo servatur, nunquam carere.

272. — IV. Altaris exsecratio vel pollutio. 1. Altaria tum fixa, tum portatilia exsecrantur, si *enormiter* frangantur, si altare fixum a basi sua separetur, si altare portatile ita frangatur ut calicem cum patena retinere nequeat, vel si, juxta communiorem sententiam, una ex partibus, quæ particulares unctiones susceperunt, frangatur. — Exsecrantur adhuc si dirutum fuerit sepulchrum, vel si amissæ fuerint reliquiæ in illo contentæ. Ita pluries S. Cong. Si autem fuerit tantum fractum episcopale sigillum, remanentibus reliquiis, altare non amittit suam consecrationem, dummodo de authenticitate subsistentium reliquiarum sufficienter constet (*Resp. ad arch. Bitur.*, 5 dec. 1851, n. 5162).

2. Altare fixum polluitur cum ipsa ecclesia, quia pollutio totam afficit ecclesiam, ac proinde altare in ea immobiliter inhærens. Altaria vero portatilia, cum sint ab ecclesia distincta, per ejus pollutionem minime polluuntur. — Quod si ecclesia simpliciter amittit suam consecrationem per destructionem parietum, non ideo profanatur altare etiam fixum; destructio enim afficit tantum objectum destructum.

3. Ex variis decretis S. Cong. Rit., « si sub altari vel sub ejus gradibus humata sint defunctorum cadavera, non est illic celebranda Missa, donec alio transferantur. »

Excipitur tamen, apud S. Ligorium, si cadavera sint profunde inhumata, in aliqua cella sub fornice constructa; nam tunc cadavera videntur ab altari satis separari, ut verba *quorum reliquiæ hic sunt* in ea non cadant.

II. *De altaris apparatu.*

273 — I. De mappis. 1. Hæc habet rubrica ; « Altare coo-

periatur tribus *mappis* seu tobaleis mundis ab episcopo vel alio habente potestatem benedictis, superiori saltem oblonga quæ ad terram usque pertingat, duabus aliis brevioribus, vel una duplicata. » — Itaque sacerdos qui absque gravi necessitate celebraret sine ulla mappa, peccaret mortaliter; si duæ tantum adhiberentur mappæ, adesset peccatum leve.

2. Mappæ illæ debent esse benedictæ, sed illud sub levi requiritur, juxta S. Lig. Cum vero mappæ exigantur præcipue ne in casu effusionis sanguis Christi super terram defluat, melius esset mappam non benedictam adhibere quam cum una vel duabus tantum mappis celebrare.

3. Mappæ, sicut et cætera linteamina, debent esse ex lino vel cannabe, non autem ex lana, serico vel xylino; ita pluries S. Cong.

274. — II. De cruce. 1. Juxta rubricam, crux super altare in medio collocari debet, quæ quidem non ita tenuis aut exigua esse debet, ut ipsius sacerdotis et populi assistentis oculos effugiat, sed adeo magna ut celebrans et populus eamdem commode aspicere possint : ordinarie ex eodem metallo conficitur ex quo sunt candelabra. An vero sufficiat nuda crux, absque imagine crucifixi, disputant auctores; sed sententia magis probanda tenet crucem cum imagine Crucifixi apponendam esse.

2. Ex decis. S. Cong. Rit., crux parva cum imagine crucifixi, posita super tabernaculum in quo asservatur inclusum sanctissimum Sacramentum, non est sufficiens in Missa; sed alia ponenda est crux in medio candelabrorum. Si vero crux in tabernaculo posita eminens esset, alia non requireretur. Idem dicendum, si in altari adsit magna statua sanctissimi Crucifixi, sive imago Christi sit cœlata, sive picta, modo non sit exigua, et ante celebrantem commode statuatur.

3. Juxta communissimam sententiam, sacerdos, qui sine cruce in altari posita celebraret, a peccato saltem veniali non excusaretur; nullum vero esset peccatum, si rationabilis adesset causa. — Quando sanctissimum sacramentum exponitur, licet crucem non apponere, si talis est consuetudo (Ben. XIV, in conc. *Accepimus*. Cf. Bouvier, *loc. citato*).

275. — III. De luminibus. 1. Rubrica præscribit ut « candelabra saltem duo cum candelis accensis hinc et inde in utroque (crucis) latere collocentur. » Ex omnium vero confessione talis præscriptio gravem inducit obligationem. Unde graviter peccaret qui sine lumine celebraret, etiam ad viaticum infirmo ministrandum (S. Lig., lib. 6, n. 394). Celebrare cum unico lumine esset tantum probabiliter peccatum veniale, secluso tamen scandalo ; imo nullum esset peccatum, si rationabilis causa celebrationem suaderet. — Itaque, si deficiat lumen ante consecrationem, desistendum est a Missa celebranda; si post consecrationem, prosequendum est; si autem brevi haberi posset, exspectandum foret et deinde pergendum. — In altari ubi expositum est SS. Sacramentum, sex ad minus candelæ cereæ ardere debent, ex S. Cong. Rit. decreto (15 martii 1698). — Cardinales et episcopi jus habent celebrandi cum quatuor candelis ; id vero simplicibus presbyteris, etiam vicariis generalibus, non permittitur.

2. Candelæ in Missæ sacrificio adhibendæ ex cera confici debent, nec proinde uti licet lumine ex sebo vel oleo ; esset enim derogatio universali Ecclesiæ consuetudini, et quidem in re gravi. Docet tamen S. Ligorius cum aliis plurimis, in casu necessitatis, non vero propter solam devotionem, licitum esse cum candelis ex sebo vel ex oleo celebrare. Candelæ ex stearina (stéarine) confectæ pariter prohibentur.

276. — IV. De missali aliisque minoris momenti. — 1. Ad Missam celebrandam, requiritur *missale ;* nec desunt qui tenent sacerdotem sine missali celebrantem, mortaliter peccare etiam si memoriter sciret quæ dicenda sunt : semper enim, aiunt, aliquod est periculum erroris, et id in re gravissima. Alii tamen cum S. Ligorio ut probabile docent sacerdotem posse quandoque sine missali celebrare, nempe si nullum aut improbabile periculum sit graviter errandi et gravis urgeat ratio celebrandi. De sacerdote cœco infra dicetur.

2. Cætera quæ ad altaris apparatum requiruntur, aut adhiberi solent ut tabulæ secretarum, pulvillus,... non præscribuntur nisi ad decentiam ; unde si deesset scandalum et aliqua existeret ratio celebrandi, sine his Missa licite celebraretur.

3. Demum notandum superest statuas aut imagines sanctorum, necnon capsas reliquiarum in gradibus altaris, SS. Sacramento non exposito, licite collocari; non vero supra tabernaculum, in quo asservatur SS. Eucharistia. Item floribus veris aut fictis, pro temporum varietate, altaria convenienter ornantur; cavendum est tamen ne vas florum aut quid simile ante ostium tabernaculi in quo depicta est imago Domini nostri Jesu Christi, collocetur (S. Cong. Rit., 22 januarii 1701), nec etiam super tabernaculum, quod debet esse ab omni re vacuum juxta Pontificale Romanum (Bouvier, *loc. cit.*).

§ II. De vasis ac linteaminibus sacris aliisque ad ea pertinentibus.

I. *De vasis sacris.*

277. — I. De vasorum sacrorum materia. — 1. Hodie ab omnibus ecclesiis exigitur ut habeant calicem, cujus saltem cuppa sit ex argento interius auro linita. — 2. Patena ejusdem materiæ ac calix esse debet, nempe argentea et in concava superficie auro bene linita. Attamen in casu necessitatis, episcopus usum calicis et patenæ ex stanno permittere potest. — 3. Etsi nulla lege generali præcipiatur ut ciborium ejusdem sit materiæ ac calix et patena, nec ut intus deauretur, illud maxime convenit, et curare debent episcopi ut ciboria, quantum fieri potest, semper sint argentea intus bene inaurata. — 4. Idem dicendum est de lunula ostensorii et de pyxide, seu parvo ciborio quod adhiberi solet ad viaticum deferendum. Cum autem ostensorium sacras species immediate non attingit, nihil obstat quin illud vel saltem ejus ornamenta ob paupertatem aliamve causam ex ære aut stanno efficiantur. — In summitate ostensorii crux visibilis apponatur, prout requirunt ecclesiasticæ leges.

278. — II. De vasorum sacrorum consecratione. — 1. Calix et patena ab episcopo cum sancto Chrismate consecrari debent, ritu scilicet et precibus ab Ecclesia præscriptis. Cum autem hæc consecratio ad ordinem episcopalem pertineat, quilibet episcopus calices et patenas valide consecrare potest. Quoad simplices vero sacerdotes, etsi ad calicem consecrandum ab episcopo delegari nequeant, hanc facultatem a Summo Pon-

tifice accipere possunt, et revera pluries acceperunt. — 2. Ciborium et lunula ostensorii non debent cum oleo sancto consecrari, sed ab eo qui habet facultatem benedicendi ornamenta sacerdotalia, benedici possunt; et hæc benedictio, quidquid alii contradicant, videtur esse de præcepto, sed tantum sub veniali (S. Lig., l. 6, n° 385). Ostensorium vero, etsi sacras species non tangat, laudabiliter tamen benedicitur. eadem scilicet formula qua benedici solent ciborium et lunula ostensorii; quæ quidem formula in missali inscribitur *benedictio tabernaculi seu vasculi pro sacrosancta Eucharistia conservanda.*

279. — III. De necessitate vasorum sacrorum. Usus vasorum sacrorum supra memoratorum pro Eucharistia consecranda ubique et quidem sub gravi præcipitur : itaque mortaliter peccaret ille qui sine calice et patena aptis et specialiter consecratis Missam celebrare præsumeret. Plures quidem contenderunt licite adhiberi posse calicem non consecratum, sed quo sacerdos usus fuisset ex bona vel mala fide ad celebrandam Missam, quia censent contactum sacrarum specierum sufficere ad consecrandum calicem aliunde idoneum; sed non valet ista ratio; alioquin dicendum foret sacras species in pavimentum cadentes illud consecrare; insuper consecratio non reputatur valida, nisi fiat ritu et precibus ab Ecclesia præscriptis. — Idem dicendum erit de sacris linteaminibus, aliisque paramentis sacerdotalibus.

280. — IV. De contactu vasorum sacrorum. 1. Vasa sacra, dum actu continent corpus aut sanguinem Christi, extra casum necessitatis aut periculum profanationis, nemini tangere licet, absque peccato mortali, præter quam sacerdoti aut diacono. Ita communius theologi. Utrum vero presbyteri et diaconi, in peccato mortali existentes, gravis peccati arguendi sint, si nondum reconciliati cum Deo vasa sacra Eucharistiam continentia tangant, dictum fuit in Tractatu *de Sacram. in genere* (Cf. n. 73). Quælibet vero vasa sacra species consecratas continentia nullibi reponantur nisi super corporale.

2. Vasa sacra vacua, quæ chrismate inunguntur, ut calix et patena, post eorum consecrationem, nuda manu tangere licet

non solum sacerdotibus et diaconis, sed etiam subdiaconis, et quidem vi suæ ordinationis, ac proinde ubique; imo ipsis acolythis in altari ministrantibus, quando ea, quæ ad Missam necessaria sunt, præparare debent. — Addit Benedictus XIV diuturna consuetudine factum esse « ut ordinati omnes, et qui sola tonsura prædíti sunt, si aliqua causa intercedat, sacra vasa, dum vacua sunt, extra altaris ministerium tangant. — Quoad autem laicos et feminas etiam moniales, si absque necessitate aut rationabili causa vasa sacra nuda manu tangunt, secluso contemptu et scandalo, venialiter tantum peccant; peccant quidem, saltem probabilius, quia universali Ecclesiæ consuetudini adversantur, sed venialiter tantum, ut generaliter docent theologi. Hinc si justa accedat causa, nullum erit peccatum. — Hic vero advertatur eos qui peccato mortali inquinati vasa sacra vacua tangunt, venialiter peccare.

3. Omnes tangere possunt vasa simpliciter benedicta, quandiu non adhibita fuerunt; sed post eorum usum non magis ea tangere fas est ac calices et patenas, excepto ostensorio, quando lunula ab eo separatur; non enim habetur ut vas sacrum.

281. — V. De vasorum sacrorum exsecratione. Generaliter dici potest vasa sacra suam consecrationem aut benedictionem amittere, quoties per fractionem vel aliter amittunt figuram aut formam essentialem, sub qua sunt consecrata, aut etiam si fiunt inutilia et inepta ad convenientem usum, ad quem sunt benedicta aut consecrata (de Herdt, p. 1, n° 55). Exinde

1. *Calix* consecrationem suam perdit — quando ita frangitur ut non amplius, vel nonnisi indecenter, sacrificio inservire possit, licet per breve tempus et facile reparari queat; — quando in ejus fundo fit foramen etiam exiguum; secus vero, si foramen in loco superiori accidat, ita ut sine periculo consecrari possit; — quando cuppa a pede separatur, nisi calix sit tornatilis; quia tunc in tali forma fuit consecratus; — quando calix de novo inauratur (S. R. C., 14 jun. 1845); ratio est quia sacra species immediate tangit aurum de novo additum, nec debet SS. Sacramentum a re non consecrata tangi. Attamen

calix, sicut et patena, consecrationem suam non amitteret, si per usum diuturnum decideret inauratio. Ita communissime doctores.

2. *Patena* perdit suam consecrationem, si tam enormiter frangatur, ut usui consueto amplius inservire nequeat, vel si de novo ejus superficies inauretur.

3. *Pyxis* benedictionem suam amittit iisdem modis ac calix, si nempe in cuppa tale foramen fiat, ut sit periculum ne sacræ hostiæ penetrare possint, vel si enormiter frangatur. Idem dicendum est de *ostensorio* ejusque *lunula*, si per fractionem aut aliter ad convenientem usum inepta redduntur; post novam inaurationem pyxis et lunula iterum benedici debent.

Notandum vero est — 1. prædicta vasa post modicam reparationem non amittere suam consecrationem aut benedictionem, modo nulla fiat fractio notabilis; nec requiritur ac decet ut exsecrentur antequam artifici tradantur (S. R. C., 22 apr. 1822); — 2. gravis peccati arguendum esse, qui vasa sacra ad usus profanos converteret vel adhiberet, v. g., calicem ad bibendum in mensa, quia gravis est irreverentia ac contemptus: — 3. attamen, urgente necessitate, eadem vasa licite vendi posse; quo in casu, si personis ecclesiasticis vel aurificibus et ad usum ecclesiarum vendantur, integra tradi possunt; si ad usus profanos, prius frangenda sunt, ne sancta ab aliis quam a ministris Ecclesiæ tractentur (Bouvier, *loc. cit.*; de Herdt, ibid.).

II. *De linteaminibus sacris.*

282. — I. De materia sacrorum linteaminum. — 1. *Corporale*, ita dictum quia corpus Christi involvit, « ex puro lino contextum esse debet, quia sindone munda corpus Christi legitur involutum in sepulchro » ; ita ordo Romanus. Potest etiam ex cannabe confici, juxta S. Ligorium et alios, non vero ex serico aliove panno, saltem quoad mediam partem qua hostiam vel calicem tangit; in extremitatibus vero potest esse sericum vel auro elaboratum (S. R. Cong., 15 maii 1819).

2. *Palla* ejusdem materiæ esse debet ac corporale, saltem ex parte quæ calicem immediate tangit; at, ex usu apud nos communiter recepto, in parte superiori auro vel serico constare

potest, dummodo pannus superior non sit nigri coloris aut referat aliqua mortis signa (S. Cong. Rit., 10 jan. 1852).

3. *Purificatorium*, sic vocatum quia ad tergendum calicem adhibetur, debet esse *ex pura et candida tela* (Rit. Romanum); quod intelligendum est de lino vel cannabe (Decr. 15 maii 1819).

283. — II De benedictione linteaminum sacrorum. Corporale et palla de præcepto sunt benedicenda, et illud fit eadem benedictione. Purificatorii vero benedictio nullibi præscribitur, nec formula pro hujus benedictione in Rituali aut Missali habetur. Multi tamen volunt ut illud simul cum mappis benedicatur, si non ex præcepto, saltem ex dicentia, et si seorsim benedicatur, assumenda est forma benedictionis mapparum, mutando verbum *altare* in verbum calix; sed communior praxis est, ut non benedicatur. — Quamvis autem non benedictum fuit, statim ac inserviit, illud tangere non licet donec lotum fuerit. Idem a fortiori dicendum est de corporali et palla : quod tamen de prohibitione sub levi, juxta communem sententiam, intelligitur.

284. — III. De necessitate sacrorum linteaminum. Docent Suarez, S. Ligorius et alii multi mortale esse peccatum sine corporali et palla, aut cum eis non benedictis, celebrare, nisi gravis urgeat necessitas celebrandi. Minor autem requireretur necessitas ad celebrandum sine palla benedicta quam sine corporali, quia palla sacras species immediate non tangit. Unde plures dicunt quod si palla desit, aut per quadrantem exspectari debeat, loco ejus adhiberi potest aliud corporale, aut purificatorium, aut bursa (Cf. S. Lig., l. 6, n° 387). Si vero deficiat purificatorium, suppleri potest ope strophioli mundi, quod tamen postea ad usus profanos non adhibendum erit (S. Lig., n° 389).

285. — IV. De sacrorum linteaminum munditie, integritate et lotione. — 1. Summa vigilantia curandum est ut sacra linteamina sint munda et nitida; hinc a gravi culpa non excusari posset sacerdos, qui ex negligentia ad divinum sacrificium uteretur corporali et palla adeo sordidis, ut in mensa communi horrorem excitarent. Attamen, juxta plures, graviter

non peccaret ille qui corporali notabiliter immundo in necessitate uteretur, si nempe ipse aut alii deberent alias sacrum de præcepto omittere.

2. Item studiose invigilandum est ne corporale ullum etiam minimum foramen habeat circa medium et partes in quibus collocatur hostia. Corporale ita laceratum ut non remaneat pars ad divinum sacrificium apta, eo ipso suam amittit benedictionem.

3. Rituale Rom. hæc habet de lotione sacrorum linteaminum : « Antequam corporalia, pallæ et purificatoria laicis lavanda tradantur, prius ab aliquo in sacris constituto, in sacristia vel in ecclesia, in eodem vase seu pelvi qua calices et patenæ abluuntur, aqua calida semel et iterum laventur, et deinde in cumulum torta, ut aqua bene exprimatur, quæ tota in sacrarium projicienda est; laicis, id est, monialibus, vel certe aliis honestis et adultis matronis tandem lavanda offerantur. » Idem legitur in Pontificali. Ex his vero multi inferunt laicum non posse sine peccato mortali primam lotionem facere, alii vero communius putant peccatum fore solum veniale, imo nullum esse peccatum, justa interveniente causa, et ratio est quia non majus est peccatum hæc linteamina lavare cum debita reverentia, quam tangere. Juxta S. Ligorium secunda lotio a laicis fieri posset; attamen communis praxis est, ut prædicta linteamina a laicis prima et secunda vice non laventur absque licentia episcopi. — Si sacra piscina non existeret, aut insufficiens esset, aqua lotionis in locum decentem, v. g., in cœmeterium, projici posset (Cf. Bouvier, *loc. cit.*).

III. *De cæteris objectis ad vasa sacra attinentibus.*

286. — I. De velo calicis. Rubrica vult ut sacerdos Missam celebraturus, calicem *velo serico* tegat. Illud velum ordinarie ex eodem panno conficitur ac casula. Si vero casula non ex serico, sed ex crassiore panno conficeretur, velum nihilominus sericum esse deberet, ut observat Romsée.

287. — II. De bursa. Super velum ponitur *bursa*, in qua deponitur corporale plicatum. Hæc autem, cum ad ornamentum calicis pertineat, ex eadem materia ac velum fieri conve-

nit, et ejusdem coloris esse debet ac ornamentum. Convenit etiam ut pars ejus interior panno serico, vel, ut communius fit, tela linea alba tegatur, propter honorem corporali debitum. — Bursa, sicut et velum, una cum paramentis sacris benedicuntur, nec dantur pro illis speciales benedictionis formulæ. — Qui corporale sine velo deferunt, aut sine velo celebrant, non bene agunt, inquit Gavantus; non tamen probabiliter peccant, quia velum et bursa ob solam decentiam requiri videntur (S. Lig., l. 6, n. 395).

288. — III. De reliquis objectis Missæ celebrationi inservientibus. Rubrica præscribit insuper ut ad cornu epistolæ præparentur « parva campanula, ampullæ vitreæ vini et aquæ, cum pelviculo et manutergio mundo in fenestella, seu in parva mensa ad hoc præparata. » Hujusmodi objecta non benedicuntur; sed, ob reverentiam SS. Sacramento debitam, munda et nitida esse debent.

§ III. De vestibus sacerdotalibus.

289. — I. De vestium sacerdotalium significatione et materia. — 1. *Amictus*, a voce *amicire* seu *cooperire*, allegorice velamen faciei Christi vel coronam spineam significat; in sensu morali, galeam salutis contra diabolicos incursus, ut constat ex oratione quæ in amictu induendo recitatur, et vocis castigationem seu linguæ custodiam, ex Pontificali in ordinatione subdiaconi. — Debet autem fieri ex tela alba, linea vel cannabia, duas habere chordulas, et in medio crucem depictam. Ita ex rubrica. — Sacerdos vero amictum induens, non manu et amictu simul se signet, ut immerito quidam faciunt, sed sola manu sine amictu; dein capiti amictus imponatur et mox ad collum declinetur ut vestium collaria circumtegat.

2. *Alba*, a suo colore sic dicta, vestem albam, qua Christus ab Herode indutus fuit, repræsentat, et in ordine ad mores est symbolum innocentiæ, qua ministrantes altari fulgere debent. — Debet esse linea vel cannabia, non vero ex lana vel serico, neque ex gossypio, quia tunc non esset ex tela simpliciter dicta (S. Cong. Rit., 15 maii 1819). — In albarum et aliarum

vestium fimbriis et manicis non licet apponere fundum rubrum (S. C. R., 17 aug. 1833).

3. *Cingulum* est appendix albæ, quam decenter aptat, ne diffluat et gressum impediat. Allegorice consideratum, funes et flagella, quæ Christi corpus ambierunt, denotat; in sensu morali, signum est castitatis, ut constat ex oratione *Præcinge me, Domine*, etc. « Sacerdotes in sacrificio Missæ congruentius utuntur cingulo lineo quam serico » (S. Cong. Rit., 22 jan. 1701); non itaque prohibetur sericum, nec necessario debet esse album; sed potest esse coloris paramentorum (8 jun. 1708).

4. *Manipulus*, ita dictus a manu qua portatur, significat funes, quibus Christi manus ligatæ fuerunt; quoad mores, dolores et pœnitentiam, laborem et bona opera repræsentat; ac proinde in brachio sinistro collocatur, non tantum ut dextera sit expeditior, sed etiam quia dolor et labor congruunt præsenti vitæ, quæ per sinistram denotatur. — Ejusdem materiæ est ac casula, et non tantum a sacerdote, sed etiam a diacono et subdiacono defertur.

5. *Stola* significat allegorice funes Christi collo injectos, vel crucem humeris impositam; in sensu morali, jugum Domini et obedientiam christianam exprimit. Nunc velut signum auctoritatis communiter habetur, et quamvis episcopis, presbyteris et diaconis communis sit, mos tamen invaluit, ad exprimendam eorum distinctionem, ut episcopi eam haberent pendentem, presbyteri in formam crucis super pectus, et diaconi ab humero sinistro ad latus dextrum versantem. — Eadem materia conficitur ac casula.

6. *Casula*, quæ sic dicitur, quia olim tanquam parva casa totum corpus tegebat, ac etiam *planeta* vocatur, quia erat versatilis circa corpus, purpureum vestimentum, quo milites Christum induerunt, vel tunicam inconsutilem, quam milites detraxerunt, quando cruci affigendus erat, repræsentat; moraliter, vestem nuptialem, vel, quod idem est, caritatem quæ omnia tegit, denotat. — Apud nos nunc casula duabus constat partibus quæ anterius et posterius tegunt corpus a collo ad genua. — Cum olim necesse fuerit casulam hinc et inde elevare, ut celebrans liberiora haberet brachia, mos permansit

eam paululum sublevare. — Quantum fieri potest, ex pannis pretiosis, nempe aureis, argenteis, sericis, vel saltem ex panno tenui, et quo plebes uti non solent, conficiendæ sunt casulæ, non vero ex gossypio, lino aut lana (S. Cong. Rit., 28 Julii 1881). Ad hunc usum converti possunt vestes mulierum pretiosæ, ut fert communis sententia contra plures (Cf. Bouvier, de Herdt, *loc. cit.*). De significationibus sacrarum vestium consuli etiam possunt Innocentius III, l. 1, c. 35 et seq.; — Bona, *Tract. ascet.*, c. 5, § 2; — Benedictus XIV, *de Sacr. Missæ*, sect. 1, § 54 et seq.

290. — II. De sacerdotalium vestium benedictione. 1. Certum est de præcepto benedici debere amictum, albam, manipulum, stolam et casulam. Etsi vero quidam putent cingulum non necessario benedicendum esse, idem probabilius de cingulo ac de aliis prædictis vestibus dicendum est. — Hæc autem obligatio indumenta sacerdotalia benedicendi est sub gravi, nisi excuset parvitas materiæ, puta, si agitur de amictu, cingulo vel manipulo.

2. Benedictio vestium sacerdotalium ad episcopum pertinet; imo ex jure communi, juxta communem theologorum sententiam, episcopi sine speciali Sedis Apostolicæ indulto eam facultatem aliis delegare non possunt.

3. Attamen, si sacerdos absque legitima delegatione paramenta sacerdotalia benediceret, valeret ista benedictio; siquidem ab ordine presbyterali pendet, et solo jure ecclesiastico episcopis reservatur; hujusmodi vero sacerdos venialiter peccaret.

291. — III. De necessitate vestium sacerdotalium. Omnes fatentur dari obligationem Missam absque vestibus supra memoratis non celebrandi. Cum vero, juxta multos, in hac omissione etiam voluntaria sacrarum indumentorum dari possit parvitas materiæ, prædictæ vestes distingui solent in majores et minores; *majores* sunt alba, casula et probabilius stola; reliquæ tres dicuntur minores. Ex his vero theologi

Inferunt — 1. mortale esse peccatum celebrare sine ullis vestibus sacris, quantacumque occurrat necessitas, nisi forte in casu vitandi mortem, non intentatam in contemptum religionis (S. Lig., l. 6, n. 289).

Inferunt — 2. pariter sine gravi peccato omitti non posse albam aut casulam; idem plerique dicunt de stola; cum vero nonnulli stolam inter vestes minores annumerent, non est improbabile, ait Quarti, licitum esse celebrare sine stola in gravi necessitate, v. g., ad infirmum communicandum, vel ut populus die dominica sacrum audiat. Sed in casu posset adhiberi manipulus pro stola, si manipulus longior sit et convenienter aptari possit.

Inferunt — 3. gravem necessitatem excusare ad celebrandum sine amictu, aut cingulo, vel manipulo, et forte quidem ad celebrandum sine his omnibus, quia defectus harum vestium minorum non infert tantam irreverentiam. Imo, juxta plures, quævis rationabilis causa sufficit ut sine aliqua ex vestibus minoribus celebretur. Notetur tamen tunc pro manipulo stolam, et pro cingulo aliud ligamen adhiberi posse.

292. — IV. De vestium sacerdotalium colore. « Paramenta altaris, *celebrantis et ministrorum,* inquit rubrica, debent esse coloris convenientis officio et Missæ diei, secundum usum Romanæ Ecclesiæ, quæ quinque coloribus uti consuevit : albo, rubro, viridi, violaceo et nigro. » Etsi vero quidam dicant hanc rubricam esse tantum directivam, alii communius et probabilius putant eam obligare, non tamen sub gravi, nisi adsit scandalum. Unde quævis rationabilis causa ab omni peccato excusat, v. g., si vestes debiti coloris sacerdotum numero non sufficerent. — At omnino reprobantur paramenta ex telis sericis vitreis (S. Cong. R., 11 sept. 1847). — Similiter prohibentur paramenta varii coloris (gallice *de toutes couleurs*), quæ propter flores cujusque coloris immixtos non pauci volunt omni festo adhiberi posse. Si tamen unus color, v. g., albus, cæteris prævaleat, pro eo colore legitime adhibentur. — Prohibentur etiam paramenta flavi et cærulei coloris (S. C. R., 12 nov. 1831). — Sed permittuntur paramenta ex aurea tela (*drap dor*) quæ juxta usum Urbis pro albo et rubro colore, et apud nos etiam pro viridi adhibentur (Cf. Gury, n. 393).

293. — V. De exsecratione vestium sacerdotalium. — 1. Paramenta sacra benedictionem suam amittunt — quando ita sunt lacerata aut usu trita ut usui suo, juxta moralem homi-

num æstimationem, inservire nequant; — quando amittunt formam sub qua sunt benedicta, sive id fiat per accidens, sive ex industria pars quædam a toto separetur, ita ut, stante separatione, licet per brevissimum tempus, suo usui inservire non possint; — quando uno et eodem actu additur pars quæ est major parte benedicta; nam major pars trahit ad se minorem (Cf. de Herdt, p. 1, n. 54).

2. Si vero formam suam retinentia reficiantur, aut aliquid novi in minori quantitate eis addatur, nova benedictione non indigent, quia accessorium naturam principalis sequi congruit.

3. Fragmenta paramentorum vetustorum jam benedictione consecratorum in usus profanos nunquam convertenda sunt, sed comburenda; et cineres in piscinam aut in locum honestum projiciendi sunt.

4. Denique notandum est graviter illicitum esse vestibus sacris, etiam usu jam attritis, in profanos usus adhibere; attamen si illud fieret, non ideo paramenta jam benedicta benedictionem suam amitterent; quod enim semel benedictum est, tale manet quamdiu in eadem forma existit, nisi aliud jure exprimatur (de Herdt, *loc. cit.*).

ARTICULUS III.

De Missæ celebratione.

Dicendum venit — 1. de rubricis pro missæ celebratione præscriptis; — 2. de nonnullis difficultatibus in missa quandoque occurrentibus; — 3. de convenientia eorum quæ in actione celebrandi dicuntur et fiunt.

§ I. De ritibus pro Missæ celebratione præscriptis.

Duplicis generis sunt illæ rubricæ : aliæ scilicet *intra*, aliæ *extra* missam servandæ.

I. *De rubricis intra Missam servandis.*

294. Communis est sententia theologorum omnes rubricas quæ ritus intra missam servandos proponunt, habendas esse ut præceptivas. Quod quidem constat ex Bulla S. Pii V,

initio Missalis apposita, in qua hæc leguntur : « Mandantes et stricte omnibus ac singulis... præcipientes, in virtute sanctæ obedientiæ, ut... Missam juxta ritum, modum ac normam per Missale a nobis nunc traditum decantent aut legant, neque in Missæ celebratione alias cæremonias, vel preces quam quæ in hoc Missali continentur, addere vel recitare præsumant. » Ista verba indicant obligationem ex se gravem, siquidem dicitur : *stricte in virtute sanctæ obedientiæ.*

Obligant autem graviter vel leviter, prout materia exigit, et consuetudo determinat. Quod ut intelligatur, observandum est omnes partes Missæ non esse ejusdem rationis : quippe aliæ sunt essentiales; aliæ accidentales. Inter accidentales, quædam sunt gravioris, quædam levioris momenti, attento fine ad quem ordinantur, vel indecentia omissionis, quod non parum pendet a judicio doctorum et prudentum. Gravitas igitur materiæ in præsenti casu non tam æstimanda est ex ejus quantitate quam ex ejus qualitate, attento, ut dixi, ejus fine et judicio prudentum.

295. — II. Multiplici modo infringi possunt rubricæ quæ ad missam spectant, videlicet :

1° *Per omissionem,* de qua hæc dicenda sunt :

1. Omissio partium quæ *extraordinariæ* dicuntur, quia in omni Missa non reperiuntur, est communiter peccatum veniale; unde omissiones unius prophetiæ in fereiis quatuor temporum, unius aut alterius orationis post primam orationem dicendæ, *communicantes* et *hanc igitur oblationem*... quæ specialia sunt quibusdam festivitatibus, non sunt ex se peccata mortalia. — Non esset pariter mortale peccatum, si omitterentur *Gloria in excelsis, Credo, Prosa*...

2. Omissio partium quæ *ordinariæ sunt,* sive de verbis, sive de signis agatur, est peccatum mortale ex genere suo; ita omnes. Ad dijudicandum utrum materia dicenda sit notabilis vel levis, attendendum est tum ad dignitatem rei omissæ, tum ad illius quantitatem vel gravitatem.

Hinc *ante canonem* et *post communionem* omissio erit gravis, si omittantur vel confessio quæ fit initio Missæ, vel epistola, vel evangelium, vel verba oblationis panis aut vini, vel præ-

fatio...; levis autem erit omissio, si prætermittantur *Kyrie eleison*, aut una vel altera collecta, aut tractus, aut graduale, aut offertorium, aut postcommunio... Si autem tot omitterentur partes leves ut simul junctæ æquivalerent communi epistolæ vel præfationi, adesset peccatum mortale.

Hinc intra *canonem proprie dictum*, seu a *te igitur* usque ad *Pater noster*, mortale est omittere quamlibet orationem, aut ejus verba ita mutare, ut sensus varietur, vel aliquod verbum omittere, quo sublato, reliqua verba sensum non faciunt. Extra hunc casum, non esset mortalis omissio quinque aut sex verborum, vel nominum sanctorum; controvertitur an voluntaria omissio vocis *enim* in forma consecrationis esset mortale peccatum.

Hinc *intra canonem improprie dictum*, a peccato mortali excusari non posset is qui omitteret *Pater noster; Libera nos;* verba quæ dicuntur dum pars hostiæ in calicem dimittitur; totum *Agnus Dei*, vel *Domine non sum dignus;* secus, si semel aut bis diceret; qui omitteret orationes communioni prævias; si prima sola omitteretur, probabilius est peccatum fore tantum veniale : nam omittitur in Missis pro defunctis; qui omitteret orationem *quid retribuam*.

3. Quoad omissionem *rituum*, graviter peccaret qui omitteret mixtionem aquæ cum vino, elevationem hostiæ et calicis post consecrationem, fractionem hostiæ et ejusdem particulæ mixtionem cum sanguine, purificationem patenæ et calicis. — E contra veniale esset omittere signum crucis super aquam, unam aut alteram crucem super oblata, tunsionem pectoris, lavationem manuum, ablutionem digitorum in fine Missæ, inclinationes quasdam vel genuflexiones, altaris deosculationem... et alia hujusmodi, quia hæc sigillatim sumpta non reputantur materia gravis; secus vero, si simul plura signa prætermitterentur, quæ materiam gravem ex doctorum consensu constituerent. — Præter materiæ gravitatem attendendum est in levioribus etiam omissionibus ad finem intentum, ad contemptum ritus in agente, ad scandalum ex parte assistentium; quæ omnia peccatum ex veniali mortale facile reddere possunt.

2° *Per additionem;* in missæ celebratione omnis additio facta est illicita, tum ob expressam prohibitionem a S. Pio V latam, tum ob reverentiam SS. Eucharistiæ debitam et abusus graves exinde secuturos, tum denique ob unanimem theologorum sententiam. Hæc itaque additio est peccatum ex genere suo mortale.

Hujus autem peccati gravitas dijudicanda est, — sive ex parte Missæ in qua fit additio : sic graviter peccaret qui quasdam voces adderet consecrationi, qui v. g., diceret : Hoc est corpus meum de Virgine natum; — sive ex intentione celebrantis, si nempe sacerdos intenderet novum introducere ritum in Missæ celebratione, quia illud est specialiter vetitum; — sive ex quantitate rerum additarum, ut patet. At difficile præfinitur quænam quantitas ad materiam gravem requiratur. — In aliis casibus non datur peccatum mortale; sic, si ex importuna devotione addantur plures collectæ, vel *Credo*, vel *Gloria*, *Pater*, *Ave*, vel quid simile, id non excedit culpam venialem; ita communiter. Rationabiliter tamen censent plures esse mortale addere *Gloria* et *Credo* in Missa *de Requiem*, quia hæc videtur satis gravis inordinatio (S. Lig., lib. 6, n. 411).

3° *Per immutationem.* Omnino prohibitum est aliquid in Missa propria auctoritate *immutare;* quæ immutatio, si contingat, est quandoque peccatum mortale, quandoque autem duntaxat peccatum veniale, ratione illius quantitatis et partis Missæ in qua fit.

Unde celebrare aliam Missam quam designatam, vel Missam votivam aut *de Requiem* in festo duplici vel infra octavam privilegiatam, absque rationabili causa in rubricis approbata, dicere, est peccatum saltem veniale, et mortale si adsit contemptus, vel grave scandalum, puta, si in festo solemniori Missa *de Requiem* sine gravi causa publice celebraretur; — mutare epistolam unam in aliam, evangelium in aliud, præfationem in aliam, est peccatum veniale, nisi tamen ex adjunctis adesset gravis deformitas, ut fieret, si, v, g., die Paschæ aut Pentecostes cantaretur evangelium defunctorum; — evangelium dicere loco epistolæ, et vice versa, gravis esset immutatio; secus, si inter orationes dicendas non servaretur ordo præs-

criptus; — imperfecte ritus præceptos facere, v. g., genuflexiones, signa crucis, manuum elevationes et similia, est peccatum ex genere suo veniale.

4° *Per defectum pronuntiationis.* Hæc in rubricis leguntur (1 p., tit. 16) : « Distincte et apposite (verba sacerdos) proferat; non admodum festinanter, ut advertere possit quæ legit; nec nimis morose, ne audientes tædio afficiat; neque etiam voce nimis elata, ne perturbet alios qui fortasse in eadem ecclesia tunc temporis celebrant; neque tam submissa, ut a circumstantibus audiri non possit; sed mediocri et gravi quæ devotionem moveat, et audientibus ita sit accommodata, ut quæ leguntur, intelligant. Quæ vero secreto dicenda sunt, ita pronuntiet, ut et ipse se audiat, et a circumstantibus non audiatur. » Ex quibus patet

1. Quædam *alta voce* dicenda esse; unde qui submissa voce pronuntiaret quæ alte dicenda sunt, peccaret, quia certas et positivas rubricas non custodiret. Attamen illud peccatum esset veniale, cum materia non videtur gravis juxta theologorum æstimationem. — Imo nullum adesset peccatum, si quæ alte dicenda sunt, audirentur a Missæ ministro et assistentibus propinquioribus, licet alii audire non possent.

2. Quædam vero *submisse* recitari debere; quod quidem confirmat conc. Trid. (sess. 22, c. 9) dicens : « Si quis dixerit Ecclesiæ Romanæ ritum, quo *submissa voce* pars canonis et verba consecrationis proferuntur, damnatum esse, anathema sit. » Hinc qui alta voce diceret ea quæ submisse tantum proferenda sunt, ita ut audiretur a personis distantibus sex vel octo passibus, peccaret venialiter; si autem tam alte pronuntiaret ut ejus verba pervenirent ad quadraginta passus juxta quosdam, aut saltem ad trecentos palmos juxta alios, committeret peccatum mortale, ob scandalum et irreverentiam. At nullum esset peccatum, si a solis Missæ ministris audiretur sacerdos. — Non tamen ita submisse pronuntianda sunt verba canonis ut seipsum non audiat sacerdos, posito quod strepitus non fiat in ecclesia, quia rubrica expresse dicit: « Ita pronuntiet, ut et ipsemet se audiat. » Imo juxta S. Lig. (lib. 6, n. 414), qui seipsum non audiret in prolatione verborum con-

secrationis peccaret mortaliter, quia, juxta multos auctores, prolatio verborum quæ non audiuntur non est vera prolatio; et ideo dubia haberetur consecratio, quod sine gravi culpa fieri non posset in prædicto casu.

3. Omnia *distincte et apposite* esse pronuntianda. — Hinc nec nimis festinanter, nec morose nimis, sed convenienter et cum devotione omnia verba dicenda sunt. — Qui verba Missæ integre non diceret, sed balbutiendo, vel illa syncopando, leviter peccaret. — Qui verba sine ratione sæpe sæpius repeteret. leve peccatum pariter committeret; imo forsitan et grave, si inde liturgia perturbaretur, vel si verba consecrationis exinde nonnisi cum notabili indecentia pronuntiarentur. — Qui verba pronuntiat vel ritus peragit cum notabili distractione voluntaria, intra canonem et præsertim in consecratione, probabilius peccat graviter ob notabilem injuriam Deo irrogatam (S. Lig., lib. 6, n° 410).

5° *Per confusionem,* scilicet quando simul peraguntur quæ seorsim fieri debent, v. g., si sacerdos et minister non alternatim, sed conjunctim loquerentur; si verba signis misceret sacerdos, quando sejungi debent; in his casibus peccatum esset, sed peccatum istud majus aut minus foret juxta confusionis gravitatem. — Quod de confusione signorum et verborum dicitur, et de eorum inversione pari ratione dicendum est.

296. — III. Expendunt etiam theologi an et quousque obligent rubricæ in triplici sequenti casu :

1. *In infirmitate manuum;* de qua S. Lig. hæc habet (lib. 6, n. 402) : « Dicit Gobat quod si quis nequiret celebrare nisi utroque brachio super altari innixo, licite sic celebraret privatim, non autem publice, nisi hoc faceret ex necessitate. Hoc autem puto non excedere veniale, a quo videtur excusari posse, qui ob infirmitatem nequiret rectus stare, et ex sua devotione vellet celebrare, modo vitetur populi admiratio. Dicunt etiam Croix et Concina quod si quis non possit elevare hostiam, sed possit reliqua, potest celebrare privatim, et etiam publice, si adsit necessitas, et populus moneatur; sed puto satis esse populum tantum monere, si quis ex devotione celebret. »

2. *In infirmitate oculorum;* olim, ut refert Bened. XIV

(*Inst.* 34, n° 5), non concedebatur sacerdoti oculorum infirmitate laboranti facultas Missam celebrandi, nisi sub clausula « quod non sit omnino cæcus et memoriter non recitet » ; attamen videtur dari quandoque hodie prædictam facultatem sacerdotibus cæcis, cum certis quibusdam clausulis sedulo servandis, et inter quas præcipua in eo consistit ut præfatus cæcus non celebret nisi cum assistentia alterius, qui eum monere possit, si in quibusdam deficiat.

3. *In debilitate corporis et crurum ;* si quis aliter celebrare non posset quam cum adjutorio baculi, docent illud licite fieri posse Croix, Vasquez et alii apud S. Lig. (lib. 6, n° 402), qui eorum sententiam simpliciter refert, eam nec laudando nec redarguendo. — Si sacerdos Missam celebrare non posset nisi sedens, id quidem ei liceret, si ageretur de repentina infirmitate post consecrationem superveniente; non autem posset aliter, etiam ad viaticum infirmo ministrandum, sine speciali S. Pontificis licentia; porro omnino improbabilis est hujus licentiæ concessio, tum quia illam Pius VI illustri episcopo Germaniæ denegavit; tum quia ipse Pius VI, senex factus, ita Missam celebrare recusavit, ne exinde multæ nascerentur petitiones, et forsan gravissima erga SS. Sacramentum injuria (Vide Caron, *Cérémonies de la messe basse*, cap. 22, n° 46).

297. — IV. Advertunt demum auctores tempus in celebratione missæ lectæ adhibendum, non debere, generatim loquendo, excedere secundam horæ partem, nec tertia parte brevius esse. Ita Bened. XIV (*de Sacr.*, lib. 3, c. 21), S. Lig. (lib. 6, n. 400), et alii plures.

Docent itaque præfati auctores non posse a mortali excusari sacerdotem qui infra quadrantem Missam absolveret, etiamsi Missa sit de brevioribus, v. g. de B. Maria in sabbato; — sive ob irreverentiam Deo irrogatam ; nam si Missa infra quadrantem dicatur, non videtur quomodo verba Missæ possint integre et revertenter pronuntiari, atque cæremoniæ digne et convenienter adimpleri; insuper, in hoc casu, verba quæ a cæremoniis sejungi debent, pronuntiantur ordinarie eo tempore quo efficiuntur cæremoniæ ; demum, etiamsi verba integre et seorsim pronuntiarentur, etiamsi nulla cæremonia omitte-

retur, hæc tamen omnia peragere nequit prædictus sacerdos, ob brevissimum tempus assignatum, nisi festinanter et cursim, nisi cum mentis præoccupatione et animi distractione; quæ omnia gravem erga Deum continent injuriam. — Sive ob scandalum populo generatum; tum quia populus, videns Missam tam celeriter celebratam, merito judicabit sacerdotem quasdam cæremonias, vel quædam verba omittere, aut saltem indevote et distracte illa omnia peragere; tum quia si attendat has cæremonias tam cito perfici, ipsi cæremoniarum contemptus ingeritur.

Cum autem Missa dimidiam horam multum excedere non debeat, ne inde tædium populo generetur, si privatim celebraretur, ultra prædictum tempus facile protrahi posset, ut constat exemplo quorumdam sanctorum qui, magna devotione erga SS. Sacramentum æstuantes, in celebrando divino sacrificio multum temporis consumebant.

II. *De rubricis extra Missam servandis.*

298. — De matutino officio et laudibus ante Missam recitandis. Quidam, ut S. Antoninus, S. Raymundus de Pennafort, docuerunt gravem dari obligationem recitandi ante Missam Matutinum cum Laudibus; nituntur auctoritate Innocentii IV, qui (*Epist.* 10, n. 11, *ad Ottonem*) ait : « Sacerdotes Missam celebrare, priusquam officium matutinale compleverint, *non præsumant*, » Missalisque Romani qui hanc omissionem inter defectus Missæ numerat. — At communissima sententia tenet hanc obligationem non esse nisi levem; sic enim accipitur juxta communem sensum rubrica superius relata; si quis tamen, inquit Bened. XIV (*de Sacr.*, lib. 3, c. 13, n. 4), nulla causa urgente, perpetuo id faceret, ita ut videretur quasi animo statuisse nunquam celebrare dicto matutino et laudibus, tunc merito mortaliter peccare diceretur. — Ex hac secunda sententia deducunt auctores quamlibet rationabilem causam ob omni peccato excusare; a quacumque igitur culpa immunis est sacerdos, juxta S. Lig. (lib. 6, n. 347), « si dans eleemosynam postulet ut statim celebretur, si exspectet populus aut aliqua persona gravis, si superior præ-

cipiat, si tempus celebrandi transeat, vel instet commoditas studii, itineris et similia. »

299. — II. De lotione manuum. Duplex est lotio manuum, alia ante, alia post Missam. — Datur præceptum naturale, et quidem grave, ob reverentiam SS. Eucharistiæ debitam, abluendi manus ante Missam, si graviter sordidæ sint. Jure positivo nullum datur præceptum; rubrica enim ut directiva tantum communiter habetur; unde præfata lotio domi recte fieri potest. Post Missam lotio omitti potest absque peccato, præsertim ubi non est in usu.

300. — III. De precibus ante et post Missam, vel a sacerdote vestes sacras induente recitandis. — 1. Nullum datur præceptum preces in Missali pro præparatione ad Missam contentas dicendi; Rubrica enim ait: « Sacerdos Missam celebraturus orationi aliquantulum vacet, et preces præparatorias ad Missam *pro temporis opportunitate* recitet. » — Existit vero præceptum naturale aliquam præparationem adhibendi SS. Eucharistiæ sacramento; unde rectissime ait S. Ligorius (n. 410): « Sacerdos, qui sine ulla præparatione, saltem domi facta, ad sacrificandum accederet, puto ab aliqua culpa non excusandum. »

2. Quod attinet ad preces recitandas, dum induuntur vestes sacræ, communissima sententia tenet dari obligationem levem eas recitandi.

3. De gratiarum actione post Missam, idem dicendum est ac de præparatione. Attamen canticum *Benedicite*, psalmus 140 et aliæ preces quæ in Missali indicantur ut post Missam in gratiarum actionem dicendæ, nonnullis videntur simpliciter præscriptæ, sicut orationes paramentis correspondentes; quod plures negant. — Juxta DD. Bouvier, qui orationis mentalis exercitio immediate ante vel post Missam vacant, aliam præparationem et gratiarum actionem facere non tenentur.

§ II. De nonnullis difficultatibus in Missa occurrentibus.

Agendum est — 1. de defectibus qui in Missa quandoque obveniunt; — 2. de Missa incœpta perficienda; — 3. de Missa non interrumpenda.

I. *De defectibus qui in Missa quandoque obveniunt.*

301. — I. De defectu in materia qui suppleri potest. — 1. *De emendando defectu panis.* Sacerdos *ante consecrationem* advertens hostiam esse corruptam aut non triticeam, ea remota, aliam ponat, et facta oblatione, saltem mente concepta, prosequatur ab eo loco ubi desivit, nisi jam recitasset *qui pridie quam pateretur*, quæ verba semper resumenda sunt.

Non igitur necesse est novam hostiam super patenam ante oculos elevare, recitando *suscipe sancte Pater*, quod tamen fieri potest, neque facere super eam signa crucis quæ fieri solent.

Si vero post consecrationem, sed ante sumptionem sanguinis id adverterit, debet statim aliam hostiam ponere, eam offerre ut supra, moxque illam consecrare more solito, incipiendo a verbis *qui pridie*. Facta consecratione et prætermissis, si factæ fuerint, elevatione et commixtione sacræ particulæ in calice, non repetendo verba et signa intermedia, Missam prosequitur ab eo loco ubi desiit. Hostiam vero ita consecratam sumat, etiamsi priorem sumpserit, nec amplius sit jejunus; præceptum enim de perficiendo sacrificio majus est quam præceptum de servando jejunio. Si e contra priorem hostiam invalide consecratam non sumpserit, debet illam sumere post sumptionem Corporis et Sanguinis, vel aliis in statu gratiæ existentibus sumendam tradere, aut saltem alicubi reverenter conservare, donec omnino constet illam esse corruptam, et tunc in sacrarium projicere. Hæc fieri debent ad cautelam, quia ordinarie non omnino constare potest hostiam totaliter corruptam aut non triticeam esse. Insuper oblatio facta et prolata super istam materiam verba consecrationis exigunt ut ipsa reverenter tractetur.

Quod si hoc post sumptionem sanguinis contingat, debet celebrans rursus apponere novum panem et novum vinum cum aqua, et facta utriusque oblatione, ut supra dictum fuit; utrumque consecrare, incipiendo a verbis *qui pridie*; prætermissis autem elevatione et omnibus aliis quæ fiunt et dicuntur usque ad communionem, statim utrumque sumere et Missam

prosequi. — Ratio cur utrumque consecrari debeat, est — 1. ne sacrificium maneat imperfectum; — 2 ut debitus servetur ordo, qui postulat ut prius consecretur hostia et deinde calix. Corpus enim Christi prius existere debet, antequam ex eo fundatur Sanguis (Cf. de Herdt, *loc. cit.*).

2. *De emendando defectu in vino.* Si celebrans ante consecrationem calicis advertat aquam, siceram aut alium liquorem pro vino adhibitum fuisse, aut vinum esse acetum aliasve corruptum, hunc liquorem defectivum in aliquod vas effundere debet, vinum cum aqua statim apponere, et, facta oblatione ut supra, consecrare, incipiendo a verbis *Simili modo*, si jam consecratio panis peracta fuerit. Liquorem vero defectivum, si oblatio facta sit, cum ablutione digitorum sumat, vel in sacrarium projiciat.

Si post prolata verba consecrationis calicis id advertat, sed ante sumptionem Hostiæ, eodem modo agere debet ac supra dictum est. Quid vero in hoc casu si particula Hostiæ in calicem jam missa fuerit? Cum alius calix pro nova consecratione adhiberi non possit (S. Cong., 16 sept. 1815), aqua aut alius liquor defectivus effundi debet in alium calicem aut ciborium, vel quodcumque vas mundum, deficiente calice aut ciborio; potest etiam, effusa aqua aut alio liquore, particula hostiæ in calice retineri et superinfundi vinum cum modica aqua ad consecrandum. Quoad liquorem effusum, si sit potabilis et particula hostiæ nondum immixta fuerit, cum ablutione digitorum sumendus est, et si sacra particula jam commixta fuerit, cum prima ablutione. Si autem potabilis non sit, in sacrarium effundatur, prius tamen sacra particula, si immissa sit, diligenter erepta; et casu quo particulæ separatæ eripi non possint sine periculo ne quædam fragmenta pereant, in tabernaculo conservari debet, donec particulæ certo corrumpantur, et tunc totum in sacrarium mittatur (De Herdt. *loc. cit.*).

Demum, si post sumptionem hostiæ vel etiam hujusmodi liquoris invalidi, defectum advertat, novam hostiam et novum vinum cum aqua mixtum offerat, consecret et sumat, quamvis non sit jejunus; deinde Missam prosequatur. Ita expresse Rubrica Romana. Attamen si Missa celebretur in loco publico,

ubi plures adsunt, ad evitandum scandalum, poterit apponere solum vinum cum aqua, et, facta oblatione ut supra, consecrare ac statim sumere, Missamque prosequi. Idem dicatur, si celebrans defectum vini advertat quidem post sumptionem hostiæ, sed ante sumptionem particulæ in calice relictæ, quod fieri potest; ratio est, quia tunc corpus et sanguis simul in altari existunt, quamvis distincte sumi nequeant. — Caveat vero sacerdos qui, dum liquorem defectivum ore tenet, cognoscit vinum non esse, ne hunc liquorem ejiciat, tum ob indecentiam inde secuturam, tum ob periculum simul ejiciendi particulam hostiæ, sed potius eum deglutiat, etsi jejunium naturale ita frangatur.

3. *De emendando defectu essentiali in utraque simul materia occurrente.* Si sacerdos talem defectum ante consecrationem advertat, debet materias debitas apponere, et Missam prosequi. — Si post prolata consecrationis verba id advertat, Missam omittat; nihil enim egit, nec quidquam est, quod suppleri oporteat.

Quidam tamen existimant sacerdotem post consecrationem invalidam, si materiam ita consecratam nondum sumpserit, materias debitas apponere, offerre, consecrare et sumere posse, quia jus celebrandi non amisit, imo quandoque debere, si nempe sine gravi scandalo aut infamia ab altari discedere nequit. Quin etiam, juxta quosdam, in omni casu ita agere teneretur, ob legem ecclesiasticam vi cujus Missam notabiliter incœptam prætermittere non licet, quoties licite perfici potest. — Denique, si defectum utriusque materiæ post sumptionem cognoscat sacerdos, cum non jam sit jejunus, neque ulla necessitate ad celebrandum urgeatur, nihil renovet, sed ad scandalum vitandum recitare potest orationes quæ communionem subsequuntur, iis omissis, quæ sacramenti perceptionem significant, et, facta benedictione super populum, evangelium S. Joannis legere (Cf. de Herdt, *loc. cit.*).

302. — II. **De defectu qui suppleri non potest.** Si, occurrente defectu essentiali circa consecrationem, non habeatur materia sufficiens, qua suppleatur defectus, ante consecrationem ab altari simpliciter recedendum est, ut patet. — Si

advertatur defectus post consecrationem hostiæ aut etiam vini, nec ullo modo aut nonnisi difficillime materia apponenda haberi possit, Missa est absolvenda, ita tamen ut prætermittantur verba et signa quæ pertinent ad speciem deficientem et signa utrique speciei communia fiant super solam speciem valide consecratam. Si aliquandiu, puta, per mediam horam juxta plerosque, exspectando, materia certa haberi possit, exspectandum erit. Sed in hoc casu, deficiente pane azymo, adhiberi potest et debet fermentatus. — Si autem defectus versaretur circa utramque materiam, deficientibus pane simul et vino, post prolata verba consecrationis et ante sumptionem, Missa abrumpenda esset; post vero sumptionem, ad vitandum scandalum, posset sacerdos orationes post communionem recitare, dare benedictionem et legere evangelium S. Joannis.

303. — III. De dubio occurrente circa validitatem materiæ. Si dubitet sacerdos an hostia vel vinum sit materia debita validæ consecrationis, idem faciendum est ac si materia sit certo invalida, quia sacrificium, dum fieri potest, nunquam relinquendum est imperfectum (S. Lig., l. 6, n. 206). Disputant vero auctores utrum in hoc casu consecratio fieri debeat absolute vel conditionate. Juxta S. Ligorium et alios, fieri debet *sub conditione*, ne novum sacrificium inchoetur et alterum mutiletur. Attamen consecratio *absoluta* conformior videtur Rubricis et minori exponit periculo, siquidem sacerdos ita sacrificium perficiens semper jejunus communicat, omnesque preces et ritus, quæ fiunt cum specie absolute et certo consecrata, infallibiliter verificantur.

304. — IV. De defectu in prolatione formæ. — 1. Si defectus circa unam duntaxat speciem versetur et ante sumptionem speciei valide consecratæ advertatur, sacerdos integram formam repetere debet incipiendo a verbis *qui pridie*, vel *simili modo*, prout agitur de prima vel secunda consecratione; forma repetita, cætera prosequatur a loco ubi desiit.

2. Si vero in hoc casu defectus advertatur post sumptionem, vel hostiam invalide consecratam, vel speciem valide consecratam, sive sit species panis sive vini, sumpsit celebrans;

si prius, novam hostiam statim apponat, offerat, consecret et sumat, etiamsi non sit jejunus; *si posterius*, utramque materiam de novo consecrare debet, ex dictis supra.

3. Si defectus utramque consecrationem respiciat, nec ulla materia sumpta fuerit, utramque speciem statim consecret, et Missam continuet. Si vero alterutram speciem sumpserit, cum jam non sit jejunus, nec adsit ratio sacrificii perficiendi, consecrare non debet, sed, ut jam dictum fuit, ad scandalum vitandum, orationes post communionem recitare, benedictionem populo dare, et evangelium S. Joannis dicere potest.

4. Demum si dubium prudens et valde probabile oriatur circa debitam formæ prolationem, iteretur etiam consecratio, et quidem etiamsi dubitetur de utraque materia, eaque sumpta jam fuerit : nam sacerdos, quamdiu est in altari, sacrificium *forsan inchoatum* perficere tenetur per novam utriusque materiæ consecrationem. Quando autem forma consecrationis in casu dubii super eamdem materiam repetenda est, sub tacita conditione facienda est hujusmodi iteratio; non enim valent hic rationes modo allatæ ubi de dubio circa materiam, quando scilicet nova assumitur materia.

305. — V. De nonnullis casibus specialibus. — 1. Si, facta jam oblatione, *afferantur minores hostiæ consecrandæ*, ante præfationem, juxta communem sententiam, admitti possunt hæ hostiæ, modo adsit gravis, vel saltem rationabilis causa, v. g., desiderium communicantis; oblatio enim censetur adhuc perseverare. — Post præfationem, sed ante incœptum canonem, gravis requiritur causa, ut licite admittantur; hujusmodi est magna multitudo ad communionem parata, vel etiam necessitas viaticum pro moribundo consecrandi, aut hostiam solemniter exponendam habendi.

Ratio est, quia ordo Missæ nonnisi gravi de causa inverti potest. — Incœpto canone, ex communi sententia, nunquam licet hujusmodi hostias admittere, etiamsi ageretur de viatico pro moribundo consecrando, quo in casu consultius erit partem majoris hostiæ detrahere et reservare; quidam tamen contradicunt, censentes has particulas consecrari posse, præ-

sertim si multi infirmi viaticum accepturi essent, quibus omnibus non posset reservari pars majoris hostiæ.

2. *Si sacerdos advertat aquam non fuisse vino in calice mixtam*, ante consecrationem calicis, debet statim modicum aquæ apponere, eamque de more benedictam in calicem infundere, quin requiratur nova oblatio, siquidem illa aqua, cum sit in parva quantitate, unum cum vino efficitur. — Post consecrationem calicis, aqua jam apponenda non est; idem dicendum, si sacerdos adverteret defectum aquæ, quando jam incœpta fuit prolatio formæ.

3. *Si demum celebrans defectum essentialem materiæ sive panis sive vini non cognoverit, nisi postquam, sumptis ablutionibus, calicem jam cooperuerit, vel finita Missa, ab altari discesserit*, hæc dicenda sunt :

Quamdiu sacerdos est in altari, potest et debet defectum corrigere, servatis tamen quæ supra dicta fuere. Cum enim nova consecratio, durante eadem actione, fiat, non minus censenda est continuatio sacrificii inchoati, quam si immediate post sumptionem fieret; nec magis frangitur jejunium eucharisticum ex sumptis ablutionibus, quam ex sumptione materiæ invalide consecratæ. — Si vero ab altari jam discesserit, nihil faciendum superest, quia nova consecratione novum sacrificium inchoaretur. At in hoc casu, si stipendium pro applicatione fructus acceptum fuerit, nova applicanda est Missa.

De cæteris defectibus qui occurrere possunt, v. g., de hostia fracta et in calicem lapsa, de sacro sanguine effuso, de casu quo species consecratæ disparent, de hostia evomita, etc., multa habentur in Rubrica Missalis; unusquisque legat et discat. Vide etiam de Herdt, *sacræ Liturgiæ praxis*, 3 p.

II. *De Missa incœpta perficienda.*

306. — I. Generatim loquendo, Missam incœptam derelinquere non licet, et quidem tum ob præceptum divinum de incœpto sacrificio perficiendo, tum ob præceptum ecclesiasticum quo gravissimis pœnis plectuntur delinquentes, tum ob injuriam tam sancto mysterio illatam, tum denique ob unani-

mem theologorum consensum. — Si itaque Missa derelinqueretur post consecrationem et ante communionem, fatentibus omnibus, daretur peccatum mortale; si post offertorium et ante consecrationem, idem communiter asseritur, quia vere incœptum est sacrificium; si ante offertorium, probabilius non esset peccatum mortale, præsertim si Missa vix incœpta esset.

307. — II. Attamen *ante consecrationem*, Missa derelinqui debet, — 1. si sacerdos animadvertit se non esse jejunum, vel in peccato mortali constitui, vel esse excommunicatum, suspensum aut interdictum; — 2. si agnoscit locum esse interdictum, vel si violatur ecclesia ante canonem; — 3. si celebrans graviter infirmatur, vel in syncopem incidat, vel moriatur, aut si timeatur incursus hostium, vel alluvionis, vel ruina loci in quo celebratur (*Rubrica de defect.*); — 4. si excommunicatus denuntiatus ecclesiam ingreditur ut sacrum audiat, modo tamen nondum incœptus sit canon; secus enim Missa prosequenda esset; sed facta communione, omnia in sacristiam asportari deberent, ut ibi perficeretur liturgia.

308. — III. Quod attinet ad sacerdotem qui pro infirmitate Missam perficere nequit, hæc in rubrica leguntur : « Si post consecrationem corporis (sacerdos graviter infirmetur, vel in syncopem inciderit, aut moriatur), Missa per alium sacerdotem expleatur ab eo loco, ubi ille desiit, et in casu necessitatis etiam per non jejunum. Si autem non obierit, sed fuerit infirmus, adeo tamen ut possit communicare, et non adsit alia hostia consecrata, sacerdos qui Missam supplet, dividat hostiam, et unam partem præbeat infirmo, aliam ipse sumat. Si autem semiprolata forma corporis obiit sacerdos, quia non est facta consecratio, non est necesse ut Missa per alium suppleatur. Si vero obierit semiprolata forma sanguinis, tunc alius prosequatur Missam, et super eumdem calicem repetat integram formam, incipiens ab eo loco, *simili modo postquam cœnatum est;* vel posset super alium calicem præparatum integram formam proferre, et hostiam primi sacerdotis, et sanguinem a se consecratum sumere, ac deinde calicem a priori sacerdote relictum. »

Ex his concludunt auctores adesse præceptum grave pro aliis

sacerdotibus sacrificium incœptum prosequendi, dummodo sit inter illas duas actiones unio moralis. Expendendum est itaque quodnam tempus requiratur ad istam unionem moralem; alii diem integrum concedunt; alii usque ad meridiem, et ita sentire videtur Benedictus XIV; S. Ligorius et DD. Bouvier unicam tantum horam permittunt; unde juxta illos, post horam non debet fieri Missæ continuatio, quia idem non censetur permanere sacrificium. — Si autem nullus haberi possit sacerdos qui Missam perficiat, sacra hostia et calix per clericum, vel etiam laicum præ cæteris magis dignum et dispositum in tabernaculo ponenda sunt, ut sacerdos qui postea celebrabit, illa sumat post sumptionem sanguinis a se consecrati et calicem abluat; sed non potest laicus, vel clericus non sacerdos sacras species sumere, nisi tamen id necessarium sit ut consulatur reverentiæ SS. Sacramenti et impediatur profanatio.

309. — IV. Si tandem agitur de casu incendii, incursus hostium, inundationis, hæc dicenda sunt : si post consecrationem utriusque speciei illud periculum detegatur, sacerdos statim sumat species, vel fugiat, illas secum asportando et quamprimum sumendo. Si post consecrationem corporis tantum detegatur periculum, potest sacerdos statim vinum consecrare et species sumere, vel fugere ea intentione ut sacrificium serius compleat, si possit. Si postea non possit, excusatur a peccato, juxta sententiam communem. — Post consecrationem, nunquam licet directe et voluntarie Missam deserere, etiam ob periculum mortis; et ideo mors est potius subeunda quam obtemperandum hosti præcipienti ut deseratur Missa, quia id fieret cum religionis contemptu.

III. *De Missa non interrumpenda.*

310. — I. Generatim loquendo non licet absque gravi causa Missam intermittere, tum propter prohibitionem, tum propter reverentiam SS. Eucharistiæ debitam; igitur peccatum erit grave si notabilis sit interruptio, leve autem si brevis sit. Difficile definitur quandonam notabilis sit intermissio; post consecrationem, quarta horæ pars sufficere videtur; tempus notabilius ante consecrationem requiritur, forsan una hora.

311. — II. Attamen Missam per aliquod tempus, justis de causis, interrumpere licet. Causæ vero justæ interrumpendi sunt :

1. Concio facienda, banna publicanda aliaque hujusmodi; quæ tamen nonnisi post evangelium fieri solent; — 2. adventus alicujus principis, vel turbæ peregrinorum in die festo, si alias Missam audire non possent; tunc si oblatio nondum facta fuerit, posset sacerdos, saltem juxta multos, Missam rursus ab initio repetere, ut totum sacrum audiant. Idem dicendum est de adventu cardinalis, episcopi, aut processionis populi. Quidam tamen negant Missam jam incœptam repeti posse, tum quia ordo sacrificii potior esse debet quam hominum quavis dignitate conspicuorum commodum, tum quia via pateret abusui; — 3. gravis necessitas sacerdoti vel cuidam assistentium superveniens, puta, si ægrotus in periculo mortis versaretur. in hoc casu, sacerdos, si nondum peracta fuerit consecratio, Missam licite intermittit non tantum ut moribundum baptizet vel absolvat, sed etiam ad alia sacramenta, puta, viaticum et extremam unctionem ministranda. — Post vero consecrationem, non deberet alia sacramenta, præter baptismum et pœnitentiam, ministrare, quia non sunt tantæ necessitatis; attamen, si moribundus prope esset, v. g., in ecclesia, viaticum ministrari posset, dummodo sacerdos vestes sacras non exueret (S. Lig., l. 6, n. 352). — Sed ad hoc requiritur etiam ut celebrans altare e conspectu suo non amittat (S. Cong. Rit., 19 decemb. 1829). — Quando Missa interrumpenda est post consecrationem ad moribundum extra ecclesiam absolvendum, diligentissime curare debet sacerdos ut sacræ species sedulo conserventur, nisi forte consultum melius existimaverit eas in tabernaculo occludere (Bened. XIV, *de Sacrif.*, l. 3, c. 14, n. 15).

312. — III. Si ante consecrationem per horam integram interrupta fuisset Missa aliter quam per concionem, processionem aut aliam cæremoniam cum ipsa Missa junctam, denuo incipienda esset propter unionis moralis defectum. In aliis casibus nihil iterandum est, sed prosequenda est Missa ab ea parte qua fuit derelicta. Post consecrationem, si ab instanti in

quo Missa interrupta est, duæ horæ nondum elapsæ sint, sacerdos prosequatur; si vero longius tempus effluxerit, sacræ species reservandæ sunt in crastinum sumendæ (Collet, c. 13, n. 7).

§ III. De convenientia eorum quæ in Missa dicuntur et fiunt.

313. Cum in SS. Missæ sacrificio totum salutis nostræ mysterium recolatur, ideo præ cæteris cum majori solemnitate peragi debuit. Si enim verba tantum et facta Christi hoc sacramentum et sacrificium instituentis usurpata fuissent, insufficienter sane provisum fuisset ipsius dignitati ac bono sive celebrantis sive assistentium. In ordinatione autem eorum quæ in Missa dicuntur et fiunt, ratio præsertim haberi debuit significationis mysticæ quæ inest mysteriis celebratis. Porro in iis significantur tum passio Christi, tum corpus ejus mysticum, cujus Eucharistia unitatem repræsentat, tum fructus qui ex ejus pio ac devoto usu in percipientes redundant. Quæ quidem optime intellexit et ad vivum vere depinxit Ecclesia.

Et vero singula fere sacerdotis verba et actiones passionem Christi commemorant ac veluti oculis contemplandam exhibent; corpus vero mysticum non tantum commixtione aquæ cum vino in calice offerendo, sed etiam fidelium consortio et cooperatione in ipsa celebratione adumbratur. Unde fit ut quædam alterna voce recitentur a sacerdote et ministro, quædam inchoentur a sacerdote quæ populus prosequitur, quædam cantentur a choro, quædam vero soli sacerdoti dicenda reserventur, juxta hæc B. Pauli (*Eph.*, v. 19) : « Implemini » Spiritu Sancto loquentes vobismetipsis in psalmis et in hym» nis et canticis spiritualibus. » Denique in totius Missæ decursu nihil dicitur aut agitur, quod ad pium salutiferumque usum tanti sacrificii ac sacramenti sacerdotem plebemque non præparet; imo quædam ad hunc finem specialiter diriguntur.

Ut autem hæc mira sacræ liturgiæ ad Missam attinentis œconomia dilucidius appareat, verborum et actionum series intimaque veluti contextura separatim expendenda videntur.

I. *De convenientia verborum et orationum quæ in Missa celebranda recitantur.*

314. — I. Introitus seu communis sacerdotis et fidelium præparatio. Quamvis sacerdos jam antea Missæ celebrandæ se disposuerit, sive oratione mentali, sive recitatis precibus in Missali aut Breviario appositis, statim ab exordio intelligat necesse est aliam sibi proximiorem peragendam esse præparationem. Hæc enim verba ei suggerit Ecclesia : *Introibo ad altare Dei;* quæ sane in memoriam revocant quam sublime prorsusque divinum opus aggrediatur; ut autem statim recordetur se una cum assistentibus non tantum ope divina, sed et maxima conscientiæ puritate indigere, recitare ordinarie jubetur psalmum *Judica me,* in quo alterna voce cum ministro se in spem majoremque fiduciam erigere conatur. Quibus quidem animi sensibus permotus et confortatus, confessionem peccatorum generalem instituit et ministri confessionem excipit, posteaque altaris gradus ascendit, humillime flagitans, ut auferantur a se et populo christiano omnes iniquitates.

Quo vero accuratior sit sua plebisque fidelis præparatio, accedens ad librum sacerdos in divinas laudes erumpit, quæ ex psalmis ut plurimum desumuntur, quia, ut ait S. Dionysius, psalmi comprehendunt per modum laudis quidquid in Sacra Scriptura continetur; nec immerito ad divinam laudem recurrit sacerdos, juxta illud (*Ps.* XLIX, 23) : « *Sacrificium* » *laudis* honorificabit me et illic iter quo ostendam salutare » Dei. » Hi psalmorum versiculi *introitus* nomine proprie donantur, tum quia ab iis olim sacerdos Missam incipiebat et etiam nunc ab initio cantantur a choro; tum quia, ut plures ascetici auctores volunt, figuratur ingressus Christi in mundum religionisque obsequium quod jam Patri suo persolvit.

Laudis divinæ præconium statim subsequitur commemoratio præsentis miseriæ et misericordiæ iterata petitio, dum alterna voce sacerdos et minister recitant *Kyrie eleison;* ter quidem pro persona Patris, ter autem pro persona Filii, his verbis : *Christe eleison,* et ter pro persona Spiritus Sancti, ad depellendam triplicem nostram miseriam, ignorantiæ, culpæ

et pœnæ; vel ad significandum quod tres personæ sunt in se invicem.

Ne vero celebrans aut populus miseriæ suæ conscius tantisper animo concidat, fit statim commemoratio cœlestis gloriæ ad quam post præsentem vitam et miseriam tendimus, usurpato hymno *Gloria in excelsis Deo*, qui angelicus dicitur, eo quod prima ejus verba cecinerunt angeli in nativitate Domini. Nec immerito cantatur in festis in quibus commemoratur gloria cœlestis; intermitittur autem in officiis luctuosis quæ ad commemorationem miseriæ pertinent.

His itaque incensus orationem unam vel plures recitat sacerdos quæ collectæ vocantur, eo quod ipse pro hominibus ad Deum legationis munere fungens, adstantium totiusque Ecclesiæ vota in unum quasi colligit, Deoque exhibet ut digni tantis mysteriis habeantur.

315. — II. Instructio seu specialis populi præparatio. Quum autem altissima etiam sint quæ in Missa geruntur et fidem maximam requirant, aliam præparationem haberi voluit Ecclesia, qua populi præsertim fides accurata instructione augeretur. Quæ quidem instructio dispositive fit per doctrinam prophetarum et apostolorum quæ in Ecclesia legitur a lectoribus et subdiaconis. Postea cantatur a choro *graduale*, quod significat profectum vitæ, et *alleluia*, quod significat spiritualem exultationem, vel *Tractus* in officiis luctuosis, quo significatur spiritualis gemitus : hæc enim consequuntur prædictam doctrinam. Perfecte autem populus instruitur per doctrinam Christi in Evangelio contentam, quæ a summis ministris legitur, scilicet a diaconis. Unde merito fideles exclamare possunt (*Hæb.*, I, 1-2) : « Multifariam multisque modis olim loquens » Deus Patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus » est nobis in Filio. » Nec enim Verbi divini incarnati mysteriis percipiendis aptius disponi possunt quam per Verbum ipsum divinum, quod sub Litteris afflante Spiritu Sancto exaratis latere Patres nos edocent, cujusque mentes luce sua illustrans. Nonne etiam ait Apostolus Christum habitare in cordibus nostris per fidem?

Sed quia (*Rom.*, X, 10) « corde creditur ad justitiam, ore

» autem fit confessio ad salutem », lecto Evangelio, interdum cantatur fidei symbolum, quo populus ostendit se Christo loquenti assentire, triumphumque agere propter fidem omnium hæreseon victricem. Cantatur autem hoc symbolum in festis de quibus fit aliqua mentio in ipso symbolo, sicut in festis Christi et B. Mariæ et Apostolorum, qui hanc fidem fundaverunt, et aliis hujusmodi, præsertim doctorum. Et hæc quidem ad Missam pertinent quæ vocatur catechumenorum.

316. — III. Oblatio, secreta, præfatio. Præparato et instructo populo, acceditur ad sacrificii oblationem quæ incipit per laudem populi in cantu offertorii; quo significatur læto animo dona Deo esse tribuenda, juxta hæc Davidis verba (I *Paralip.*, XXIX, 17) : « Ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli universa hæc; et populum tuum, qui hic repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria. » Olim enim dona offerebant fideles, ex quibus materia sacrificii detrahebatur. — Interea sacerdos panem et vinum consecrandum separatim accipiens, ea jam Deo dedicat tanquam immaculatam hostiam et calicem salutaris, utpote mox convertenda in corpus et sanguinem Christi. Unde fit ut jam omnes sacrificii perfecti effectus deprecari non vereatur, commemoratisque præcipuis Salvatoris mysteriis, sanctissimam Trinitatem suppliciter exoret, ut oblationem acceptare dignetur quæ sanctis in cœlo profutura est ad honorem, sibi autem ac populo ad salutem. Quin etiam hortatur fideles, ut oratione concordi sacrificium hoc Deo acceptabile fieri præstent, collectaque iterum populi vota una vel multiplici oratione Deo repræsentat. At secreto preces fundit, ut intelligant omnes Deum eo majori animi recollectione et reverentia invocandum esse quo proximor est sacrificii perfectio.

Hæc tamen, quia circa materiam duntaxat sacrificii remotam versantur, sunt tantum prima sacrificii delineatio ejusque veluti præludium. Actio enim vere sacrificalis nonnisi virtute omnino supernaturali ac divina ipsiusque Christi verbis effici potest. Cum igitur longe majorem ac simul communiorem devotionem exigat, sacerdos, præfatione præmissa, rursus præparat fratrum mentes, dicendo : *Sursum corda*, ut dum plebs

respondet : *Habemus ad Dominum*, admoneatur nihil aliud sibi quam Dominum cogitandum esse; dein sublimi quodam cantico adstantium mentes ad cœlos secum elevans, eis Christum objicit summum sacerdotem universæque religionis mediatorem; unde illos hortatur, ut una cum cœlitibus Deo per ipsum dignas laudes gratesque referant, statimque angelorum voces usurpans, Deum ter sanctum cum choro celebrat, Christoque regi mox species sacramentales ingressuro cum pueris Hæbræorum exultans occurrit, dicens : *Benedictus qui venit*, etc.

317. — IV. Consecratio. Dum vero cantum prosequitur chorus, silentium Christi patientis imitatus sacerdos, intusque collectis animi potentiis, secreto continuat quæ ad ipsius officium exclusive pertinent. Cujus quidem silentii hæc etiam ratio redditur, quod omnipotentiæ suæ miracula secreta virtute, dum silent creaturæ, Deus ordinarie operatur, juxta hæc Sapientiæ (XVIII, 14) : « Cum quietum silentium contineret » omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipo- » tens sermo tuus, Domine, de cœlo a regalibus sedibus pro- » silivit. » Unde cantum suspendit chorus, dum peragitur consecratio, nec nisi post adoratum in silentio Christum decantat : *Benedictus qui venit...*

Sacerdos autem — 1. commemorat pro quibus hoc sacrificium offertur, scilicet, pro universali Ecclesia et pro his qui in sublimitate sunt constituti, et specialiter quosdam nominat qui offerunt vel pro quibus offertur; — 2. sursum cor erigens commemorat sanctos, præsertimque B. Mariam Virginem, SS. Apostolos et Martyres, quos sibi intima communione consociari exoptat, ut eorum meritis auctus precibusque suffultus, in omnibus quæ peracturus est, divina protectione muniatur. — 3. Non jam ergo solus, sed veluti e cœlo descendens, una cum tota curia cœlesti sparsaque per orbem Ecclesia ad oblationem sacrificalem sacerdos accedit, dicens : *Hanc igitur oblationem.* — 4. Quin etiam, cum sit de ratione sacrificii eucharistici, ut offerens se ipsum offerat, nec debeat corpus Christi mysticum a corpore ejus naturali separari, nonnisi sub hac significatione panis et vini oblationem Deo repræsentat,

cum in oratione subsequenti Deum rogat, ut eam *benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem acceptabilemque facere* dignetur. Nec enim de elementis materialibus hæc prædicari possunt, nec corpus et sanguis Christi vere nobis fieri possunt, in salutem, nisi exhibeamus nos hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium. Mystice igitur in Christum transformemur et cum eo immolemur necesse est. Unde S. Augustinus dicit rogari Deum ut oblationem faciat *benedictam,* id est, per quam benedicamur et gratia perfundamur; *adscriptam*, id est, per quam cœlo adscribamur; *ratam*, id est, per quam de visceribus Christi esse censeamur; *rationabilem*, id est, per quam a bestiali sensu exuamur; *acceptabilem*, ut quibus nobismetipsis displicemus, per hanc acceptabiles unico ejus Filio simus.

Tunc panem et vinum accipiens, sacerdos ea consecrat verbis ipsis dominicis, quæ jam explanavimus. Utraque vero consecratione expleta, statim memor passionis Christi insignisque gloriæ quam in resurrectione et ascensione consecutus est, de thesauro sibi commisso ea dona promere festinat, quæ gloriam Dei hominumque salutem superabunde procurare valent, *hostiam* scilicet vere *sanctam* et *immaculatam*.

At, cum saluberrimi sacrificii effectus offerentium indignitate impediri possint, Deum exorare satagit, ut propitio ac sereno vultu oblata dona respiciat, eaque, licet a peccatoribus exhibita, non tantum propter eorum excellentiam, sed etiam ob Ecclesiæ preces et sanctorum merita quæ simul offeruntur, haud minus accepta habeat quam sanctissimorum patriarcharum munera, quorum veritas tunc tantum adimpletur. Quapropter supplex simul et fidens præsto sibi esse angeli illius præsidium qui oblationes fidelium Deo repræsentat, sacrificii sacramentique effectum petit — 1. quantum ad ipsos sumentes, cum dicit: *Supplices te rogamus..*; — 2. quantum ad mortuos qui sumere non possunt, cum subjungit : *Memento etiam, Domine...*; — 3. quantum ad ipsos sacerdotes offerentes cum exclamat : *nobis quoque peccatoribus.* Quæ quidem omnia ut efficacius obtineat, orationem concludit per Christum qui panem et vinum virtute sua creatrice corpus suum et san-

guinem effecit, principiumque ac fontem sanctitatis, vitæ ac salutis constituit; per Christum, inquam, nobis in hoc sacrificio ita mediatorem ut *per ipsum, cum ipso et in ipso Deo Patri omnipotenti sit omnis honor et gloria.*

318. — V. Communio. Cum vero ad integritatem sacrificii Missæ pertineat ut saltem a sacerdote comedatur victima, fidelesque hujus convivii participes esse deceat, nova præparatio sacerdotis et populi omnino congruit.

Præparantur autem — 1. per orationem communem quæ est oratio dominica, in qua panem quotidianum dari nobis petimus, et etiam per illam specialem orationem quam sacerdos pro se populoque fundit, cum dicit : *Libera nos, quæsumus, Domine, ab omnibus malis.*

Præparantur — 2. per pacem quæ delictorum expiationem consequitur. Unde ter sacerdos dicit : *Agnus Dei...* Est enim hoc sacramentum unitatis et pacis; in Missis tamen defunctorum, in quibus sacrificium offertur non pro pace præsenti, sed pro requie mortuorum, pax intermittitur.

Deinde, recitatis aliis orationibus sive ad confirmandam pacem sive ad amplius expianda delicta, fit perceptio sacramenti, sumente sacerdote et postmodum aliis dante, ut Dyonisius dicit (*Ecc. hier.*, c. 3) : « Ille qui aliis divina tradit, primus debet ipse esse particeps. » Sacerdos autem tantum sacramentum non accipit, nec fidelibus præbet, nisi se adstantesque excitet brevioribus quibusdam, sed igneis verbis, quæ caritatis ardorem in cordibus accendere valeant.

Ultimo autem tota Missæ celebratio in gratiarum actione terminatur, populo exultante pro sumptione mysterii, quod significat cantus post communionem; et sacerdote per orationem gratias fundente, sicut et Christus, celebrata cœna cum discipulis, hymnum dixit. Omnia demum concludit sacerdos tum solemniter benedicendo fideles post dimissionem a diacono factam, tum recitando evangelium, in quo beneficia Christi Domini recoluntur, præcipue vero initium Evangelii secundum Joannem, in quo, post Verbi divini celebratam divinitatem et potentiam, adeo vivide exinanitio ejus per incarnationem

depingitur, ut stupendum illud mysterium contemplari nobis videamur, cujus Eucharistia merito dicitur reproductio et complementum. Unde jure nobis gratulari possumus quod nobiscum habitet Christus Dei Filius, *plenus gratiæ et veritatis*, omnibus de plenitudine sua communicans (Cf. S. Thom., 3 p., q. 83, a. 4. — Suarez, *De Euch.*, disp. 83, sect. 1; Bossuet, *Explication des cérémonies de la messe;* D. Olier, *Cérémonies de la messe*).

II. *De convenientia actionum quæ in Missa a sacerdote exercentur.*

319. — I. *Ablutio manuum* ad reverentiam Eucharistiæ sacramenti usurpatur, et hoc dupliciter : — 1. quia aliqua pretiosa tractare non consuevimus nisi ablutis manibus; 2. quia extremarum corporis partium ablutio emundationem a minimis etiam peccatis significat, quæ a suscipientibus hoc sacramentum requiritur, juxta hæc verba Christi Apostolos prima vice communicaturos alloquentis (*Joan.*, XIII, 10) : « Qui » lotus est non indiget nisi ut pedes lavet. » Lavantur autem manus in Missa, tum quia facilius ablui possunt, tum quia sunt organum cui omnia opera tribuuntur. Unde dum manus abluit, sacerdos recitat Psalm. XXV, *Lavabo inter innocentes...*

320. — II. *Thurificatione* etiam utitur sacrdos solemniter celebrans propter duo : — 1. nempe ad reverentiam sacramenti, ut per bonum ejus odorem depellatur quidquid pravi odoris respersum fuerit in loco, a quo fideles abhorrerent; — 2. ad repræsentandum effectum gratiæ, quia sicut omnium virtutum odore Christus plenus fuit, ita et ad fideles ministrorum officio derivatur ejus exemplorum suavitas, dicente Apostolo (II *Cor.*, II, 14) : « Odorem notitiæ suæ spargit per nos in omni loco. » Unde thurificato altari, per quod Christus designatur, thurificantur omnes per ordinem.

321. — III. *Crucesignationis* in Missa adhibitæ duplex dari potest ratio generalis, scilicet : — 1. ut exprimatur passio Christi, quæ ad crucem terminata est; — 2. ut ostendatur consecrationem tanti sacramenti et acceptationem sacrificii om-

nesque fructus ejus ex virtute crucis Christi procedere. Specialiter autem signo crucis fideles benedicuntur, ut ab incursu inimici protegantur, dignique Deo per Christum efficiantur. Item benedicuntur oblata ante consecrationem, ut sanctificentur; post consecrationem vero, ut quæ eis inest sanctitas, ad nos uberius proveniat.

322. — IV. *Hostiæ fractio* non tantum fit ad imitationem Christi panem eucharisticum frangentis, sed et significat tum divisionem corporis Christi quæ facta est in passione, tum distinctionem corporis mystici secundum diversos status, tum demum distributionem gratiarum quæ ex passione Christi procedunt. Pars vero in calicem immissa pertinet ad resurrectionem Christi, et ulterius designat consummationem sanctorum in gloria per indeficientem unionem eorum cum Christo in Deo participatamque corporis ejus clarificationem.

323. — V. *Varii manuum gestus* ex parte celebrantis non fiunt etiam sine significatione mysterii, et eo tendunt ut pios animi sensus ei suggerant, vel quos experitur ad ædificationem fidelium manifestent. Cum enim jungit manus, præsertimque inclinatus altari apponit, humilitatem obedientiamque Christi usque ad mortem designat, seipsumque humili corde orantem ostendit. Levat manus orando, ad significandum orationem suam ad Deum pro populo dirigi; quas etiam extensas tenet, ut misericordiam Dei efficacius imploret; sic (*Ex.*, XVII, 11) « cum levaret Moyses manus, vincebat Israel. » Quod vero super oblata manum utramque imponit, fit ad expressius significandum se una cum Ecclesia Christo in ratione oblationis uniri totumque Deo devoveri. Denique, in quibusdam ecclesiis et ordinibus religionis, sacerdos post utramque consecrationem brachia extendit, ut adstantium oculis evidentius pateat Missam esse memoriale mortis Domini, eorumque augeatur caritas.

324. — VI. Quod attinet ad *oculorum elevationes*, suapte natura sunt indicium hominis mentem ad Deum elevantis, gratias ei agentis, eumque supplicantis ut in invocantes oculos ipse demittat eosque exaudiat. Item capitis inclinationes repetitæ ad cultum duliæ pertinent, si fiunt prolato nomine

sanctorum; ad cultum hyperduliæ, cum fiunt pronuntiatio nomine Mariæ; et ad cultum latriæ, si vel ante crucem, vel invocato nomine Jesu. Nec genuflexiones aliam significationem præ se ferunt, meritoque adorandum esse Christum post consecrationem inculcant.

325. — VII. Denique septies *populum salutat* sacerdos, dices : *Dominus vobiscum*, vel *Pax Domini sit semper vobiscum*, tum ad designandam septiformem Spiritus Sancti gratiam, tum ad excitandos fideles, ut attentius et ferventius orent. Expandit vero manus ac iterum jungit in hac salutatione, ut eorum vota quasi colligere videatur. Quin etiam, ut eos non lateat rem communem agi in Missa, ipsumque cunctorum negotia tractare, pluraliter loquitur, etsi unus tantum respondeat minister, quia hic totius populi catholici personam gerit, et ejus nomine respondet. Hoc tamen episcopi proprium est quod celebrans in festis primumque fideles salutans dicat : *Pax vobis*, quia ad ipsum, utpote plenitudine sacerdotii pollentem, spectat Christum resurgentem et gloriosum repræsentare, pacemque fidelibus dare quam Christus discipulis suis dedit et reliquit.

326. Conclusio. Hæc quidem paulo fusius explanavimus, tum ut perspiciant theologiæ candidati quantum pietati sacerdotali nutriendæ conferat liturgicarum precum et cæremoniarum plenior intelligentia sedulaque meditatio, tum ut mysticam earum significationem in oratione meditati hanc postea plebem sibi commissam suavius ac fortius edoceant, sicque ad divina frequentanda mysteria efficacius impellant. Quod quidem ut præstent, sæpius fidelibus inculcare conentur nihil in tota religione excellentius esse quam sacrosanctum Missæ sacrificium; atque eis viam quasi sternentes methodum ediscendam curent Missam audiendi. Quinimo eis suggerant praxim non tam sacerdoti celebranti assistendi quam una cum eo mysteria sacra peragendi. Memores quippe eos esse decet se per baptismi et confirmationis characterem consecratos fuisse, ut sint regale sacerdotium, spiritualesque Deo hostias offerant. Oh! si scirent donum Dei, quam alacriter et fructuose aquam haurirent ex fontibus salvatoris et festinarent ad eum

qui in hoc sacramento et sacrificio vere nobis via, veritas, et vita est!

Attendant vero sibi præsertim sacerdotes et videant cujus ministerium sibi traditum est, ut illud fideliter et devote adimplentes, seipsos irreprehensibiles exhibeant, olimque Christo summo sacerdoti æternoque pontifici perennitur consocientur.

EXPLICIT TOMUS TERTIUS.

INDEX ANALYTICUS

TRACTATUS DE SACRAMENTIS IN GENERE

SUMMA DOCTRINÆ CATHOLICÆ DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Num. Pag.

Decretum concilii Florentini 1
Canones concilii Tridentini 2

NOTIONES PRÆVIÆ.

I. — Tractatus objectum, præstantia et utilitas.

1. Objectum 4
2. Præstantia 4
3. Utilitas 4

II. — Sacramenti notio.

4. Definitio sacramenti quoad nomen 5
5. — — quoad rem 5

III. — Dicendorum indoles et ordo.

6. Tractatus indoles et divisio 8

CAPUT I. — De existentia sacramentorum.

Art. I. — *De convenientia sacramentorum.*

7. Probatur sacramenta, quatenus sunt signa sensibilia, œconomiæ humanæ salutis optime congruere. — *Assertio.* . . 9

Art. II. — *De numero sacramentorum.*

8. Errores circa numerum sacramentorum novæ Legis . . . 11
9. Probatur dari in nova Lege sacramenta, eaque numero septem, nec plura nec pauciora, videlicet baptismum, confirmationem, eucharistiam, pœnitentiam, extremam-unctionem, ordinationem et matrimonium. — *Assertio* 11

Tria quæruntur scilicet :

10. 1. Utrum sacramenta recte numerantur eo ordine, quem probavit synodus Tridentina 16

Num. Pag.
11. 2. Quænam sit respectiva sacramentorum dignitas, ... 17
12. 3. Quomodo sacramenta se ad invicem habeant ratione necessitatis. 18

Art. III. — *De institutore sacramentorum.*

13. Opiniones theologorum. 18
14. Probatur omnia novæ Legis sacramenta a Christo immediate instituta fuisse. — *Assertio.* 26
Duo quæruntur, videlicet :
15. 1. Qua ratione Christus, qui Deus et homo est, sacramentorum auctor dicatur. 20
16. 2. Utrum Christus potestatem excellentiæ, secundum quam sacramenta instituit, puro homini communicare potuerit ? . . 21

CAPUT II. — De materia et forma sacramentorum.

17. Quid et quotuplex sit materia in sacramentis ? Quid nomine formæ veniat ? 20

Art. I. — *De veritate materiæ et formæ.*

18. Probatur omnia novæ Legis sacramenta rebus et verbis constare, rebus quidem tanquam materia, et verbis tanquam forma. — *Assertio.* 20
19. *Scholium.* Quandonam voces *materia et forma*, respective ad sacramenta, usum obtinuerint ? 24

Art. II. — *De determinatione materiæ et formæ.*

20. Quotuplici modo Christus materiam et formam sacramentorum determinare potuerit ? Quid ea de re certum sit, quid vero controversum ? 25
21. Probatur Christum probabilius in specie determinavisse materiam et formam omnium novæ legis sacramentorum. — *Assertio* 26

Art. III. — *De recto usu materiæ et formæ.*

§ I. — *De unione inter materiam et formam.*

22. An et qualis unio requiratur inter materiam et formam sacramentorum ? 27
23. Quandonam habeatur unio requisita materiam inter et formam ? — *Principium* 27
24. An et quatenus materia formæ præponi debeat — in sacramentis eucharistiæ et pœnitentiæ ? — In aliis sacramentis ? — *Corollarium.* 28

§ II. — *De mutatione in materia et forma sacramentorum.*

I. — An et quæ mutatio in materia et forma tollat sacramenti veritatem.

Num. Pag.
25. Determinatur sensus quæstionis 29
26. Quotuplex mutatio fieri possit in materia et forma sacramentorum? 30
27. Quandonam substantialiter mutetur materia? — *Regula* 1ª . . 30
28. Quandonam substantialiter mutetur forma? — *Regula* 2ª . . 30
29. Quid, si formæ sacramentali inseratur vel addatur vox æquivoqua? — *Regula* 3ª 30
30. *Scholium.* An valeat sacramentum, si minister aliquam faciat mutationem accidentalem quam judicat essentialem, aut si ritum hæreticum vel superstitiosum inducere intendat? . . 31

II. — Quale peccatum sit mutare materiam et formam sacramentorum?

Duo statuuntur principia, nempe :

31. 1. Omnem mutationem substantialem esse peccatum mortale ex *toto* genere suo, quod tamen fit veniale ob imperfectionem actus. 31
32. 2. Mutationem accidentalem esse peccatum *ex genere suo* mortale. 32

III. — An et quatenus adhibere liceat materiam dubiam?

33. Quid si materia dubia? 32

Duo probantur nimirum :

34. 1. Nunquam licitum esse materiam dubiam adhibere, quoties datur materia certa. — *Assertio* 1ª 32
35. 2. Materia dubia uti licitum esse, deficiente materia certa, gravique aliunde urgente necessitate. — *Assertio* 2ª 33

§ III. — *De iteratione materiæ et formæ sacramentorum.*

I. — Quandonam sacramenta iteranda sint?

36. I. Sacramenta iterari non possunt sine peccato gravi, quando non datur dubium prudens de eorum validitate et notabilis ratio ea iterandi. 33
37. II. Sacramenta iterari debent, quoties, dato gravi de eorum valore dubio, eorum iterationem exigunt *caritas*, *justitia* aut *religio*. 34
38. III. Quædam exinde consectaria deducuntur circa iterationem baptismi, ordinis, absolutionis, consecrationis? 34

II. — Quomodo sacramenta iteranda sint?

39. I. Utrum in iteratione sacramenti dubie confecti apponenda sit conditio? 34
40. II. An exprimi possit hujusmodi conditio, seu quid dicendum sit de usu formæ conditionalis? 35
41. III. An conditionis expressio sit de præcepto? 35

CAPUT III. — De sacramentorum effectibus.

Art. I. — *De gratia quam sacramenta producunt.*

Num. Pag.
42. Proponitur ac præfinitur quæstio. 36

§ I. — *Quomodo sacramenta novæ legis gratiam conferant?*

43. Determinatur sensus quæstionis. 36
44. Probatur sacramenta novæ Legis ex opere operato gratiam conferre obicem non ponentibus. — *Assertio.* 37
45. Objectiones solvuntur. 39
46. Quænam corollaria ex præcedenti assertione defluant? . . . 40
47. *Scholium.* De causalitate physica vel morali sacramentorum. — Multiplex est causa efficiens, alia scilicet physica, alia moralis ; utraque iterum principalis et instrumentalis. — Quænam sint certa de modo quo sacramenta novæ Legis gratiam causant ? — Ostenditur sacramenta novæ Legis gratiam *physice* producere. 40

§ II. — *Qualem gratiam conferant sacramenta?*

48. Exponitur quæstio. 43
Tria statuuntur nempe :
49. 1. Duo sacramenta Baptismum scilicet et Pœnitentiam, vi suæ institutionis conferre gratiam primam. — *Assertio* 1ª . . . 43
50. 2. Quinque alia sacramenta secundam gratiam per se producere. — *Assertio* 2ª 43
51. 3. Aliquando tamen et per accidens sacramenta mortuorum gratiam secundam et sacramenta vivorum gratiam primam producere. — *Assertio* 3ª 44
Duo postea quæruntur scilicet :
52. 1. Utrum gratia quam sacramenta novæ Legis conferunt aliquid addat gratiæ communiter dictæ et quid illud sit. . . 46
53. 2. Utrum sacramenta æqualem gratiam suscipientibus conferant 48

§ III. — *An sacramenta quoad gratiam reviviscere possint?*

54. Quid et quotuplex sit obex? 50
Duo probantur, nempe :
55. 1. Baptismum ficte susceptum, remoto obice, quoad gratiam reviviscere. — *Assertio* 1ª 50
56. 2. Probabilius alia sacramenta characterem imprimentia similiter reviviscere. — *Assertio* 2ª 52
Duo quæruntur :
57. 1. Quid de aliis sacramentis tenendum sit ? 52
58. 2. Quænam dispositio requiratur ut removeatur obex sacramentumque reviviscat 53

ART. II. — *De charactere.*

Num. Pag.
59. Characteris notio 54

§ I. — *De characteris existentia.*

Duo asseruntur, nimirum :
60. 1. In tribus sacramentis, baptismo scilicet, confirmatione et ordine, imprimi in anima characterem. — *Assertio* 1ª . . . 55
61. 2. In cæteris non imprimi. — *Assertio* 2ª 57

§ II. — *De characteris natura.*

62. I. Character sacramentalis est quid reale, animæ intrinsecum 58
63. II. Qualitas supernaturalis, quæ se habet velut characteris genus, est consecratio perpetua atque indelebilis, a gratia distincta, simulque potestatem dat ad sacra vel recipienda vel peragenda. 58
64. III. Ex dictis infertur characterem non esse in essentia animæ, sed in aliqua ejus potentia ; — characterem ordinem habere ad gratiam ; — characteres sacramentales inter se ordinari pro potestate quam conferunt, vel diverso respectu sub quo nos Christo conformant. 60

§ III. — *De dotibus characteris sacramentalis.*

65. I. Character est indivisibilis. 61
66. II. In hac vita indelebilis. 62
67. III. Etiam in altera vita perseverans. 62

CAPUT IV. — DE MINISTRO SACRAMENTORUM.

ART. I. — *Quis sit sacramentorum minister?*

68. Quotuplex sit sacramentorum minister? 64
Duo probantur videlicet :
69. 1. Solum hominem viatorem, ratione præditum, posse esse sacramentorum ministrum ordinarium. — *Assertio* 1ª 64
70. 2. Simplices christianos non esse omnium sacramentorum ministros etiam extraordinarios, sed hos tantum qui in Ecclesia rite ordinati sunt. — *Assertio* 2ª 64

ART. II. — *Quænam requirantur in ministro sacramentorum?*

§ I. — *De sanctitate.*

71. Errores 65
72. Probatur sanctitatem non requiri in ministro ad validam sacramentorum confectionnem. — *Assertio*. 66

Num. Pag.

Tria quæruntur :

73. 1. An et quatenus peccet minister qui in statu peccati mortalis sacramentum conficit, actionemve aliquo modo sacramentalem exercet 67

74. 2. Utrum minister peccati mortalis conscius sacramentalem confessionem præmittere teneatur, antequam sacramentum conficiat aut ministret 70

75. 3. An et quatenus sacramenta a malis ministris petere ac recipere liceat, tum in extrema, tum in gravi, tum in communi necessitate 71

§ II. — *De fide.*

76. Expositio historica de necessitate fidei in sacramentorum ministro 74

77. Probatur fidem per se non requiri in sacramentorum ministro ad validam eorum confectionem. — *Assertio.* 74

78. Solvuntur objectiones. 75

§ III. — *De intentione.*

81. Quid intentionis nomine veniat? — Divisio paragraphi . . . 76

I. — An et quænam in genere requiratur intentio in sacramentorum ministro?

82. Errores 77

83. Probatur ad validam sacramentorum administrationem requiri in ministro intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia. — *Assertio* 77

II. — Quodnam esse debeat objectum intentionis in ministro sacramentorum requisitæ?

84. Quotuplici modo intelligi possit intentio faciendi quod facit Ecclesia? Quænam ea de re moveatur difficultas? 78

85. Probatur ad sacramenti valorem non sufficere intentionem externam, sed requiri internam. — *Assertio.* 80

86. Solvuntur objectiones. 83

88. *Scholium.* In praxi opinio communior et tutior circa intentionem semper tenenda est 83

III. — Qualis esse debeat intentio in ministro sacramentum conficiente?

89. Quotuplex sit intentio? 84

90. Quid tenendum sit de intentione explicita et implicita?. . . 84

Duo probantur, nempe :

91. 1. Ad validam sacramenti confectionem non sufficere intentionem habitualem, et multo minus interpretativam, sed requiri intentionem, si non actualem, saltem virtualem. — *Assertio* 1ª 85

92. 2. Valere intentionem conditionalem ad sacramentum conficiendum, quando sacramenti effectus non remanet condi-

Num. Pag.

tione suspensus ; secus vero, si conditio sacramenti effectum suspensum relinquat. — *Assertio* 2ª 85

Quæritur :

93. 1. An valide sacramentum conferat minister qui errat circa personam sacramentum suscipientem. 87

94. 2. An valeat sacramentum, si minister intentiones habeat oppositas 87

95. 3. An præter intentionem requiratur attentio. 87

ART. III. — *An et quatenus sacramentorum minister ea ministrare vel quandoque denegare teneatur?*

§ I. — *De obligatione sacramenta ministrandi.*

96. Quid minister ex caritate vel ex munere ? — Probatur ministrum *ex munere* teneri sub gravi ad sacramenta administranda fidelibus iis indigentibus vel ea rationabiliter petentibus. — *Assertio.* 88

Corollaria. Ergo ministri ex munere sacramenta ministrare tenentur :

97. 1. Fidelibus in extrema necessitate constitutis, etiam cum periculo vitæ. 89

98. 2. Fidelibus in gravi necessitate positis, cum gravi incommodo 90

99. 3. Fidelibus in communi necessitate versatis, cum levi incommodo 90

§ II. — *De obligatione sacramenta indignis denegandi.*

100. Status quæstionis exponitur. 91

An et quatenus sacramenta deneganda aut concedenda sint :

101. 1. Peccatori publico sive publice sive occulte petenti. — *Regula* 1ª 91

102. 2. Peccatori occulto occulte petenti. — *Regula* 2ª 92

103. 3. Peccatori occulto publice petenti ? — *Regula* 3ª 93

Quæritur :

104. 1. Quomodo in praxi se gerere debeant sacerdotes in sacramentorum dispensatione 93

105. 2. Utrum liceat administrationem sacramentorum simulare ne indigno conferatur 95

CAPUT V. — DE SUBJECTO SACRAMENTORUM.

106. Quid subjecti sacramentorum nomine veniat? 96

ART. I. — *Quodnam sit sacramentorum subjectum?*

107. Prænotatur solum hominem viatorem esse subjectum sacramentorum secundum præsentem Dei et Christi institutionem. 96

Num. Pag.
108. Probatur omnem hominem viatorem esse subjectum capax baptismi; quoad alia sacramenta prærequiri baptismum; neque tamen omnem baptizatum esse subjectum capax omnium sacramentorum. — *Assertio*. 97

ART. II. — *Quid requiratur ex parte subjecti ad validam sacramentorum susceptionem?*

109. Non agitur de infantibus, sed de solis adultis. 98
Tria asseruntur, videlicet:
110. 1. Ad valorem sacramenti, excepta Pœnitentia, non requiri fidem in suscipiente. — *Assertio* 1ª 98
111. 2. Ad sacramenti valorem, excepta Eucharistia, requiri in adultis intentionem internam illud suscipiendi ut rem in Ecclesia sacram. — *Assertio* 2ª 99
112. 3. Intentionem in suscipiente sacramentum requisitam non necessario esse intentionem actualem, aut virtualem, sed sufficere habitualem, imo pro sacramento extremæ-unctionis interpretativam. — *Assertio* 3ª 100
113. *Corollarium*. Ergo non tanta requiritur intentio in suscipiente ac in ministrante sacramentum. 102

ART. III. — *Quid requiratur ex parte suscipientis ad fructuosam sacramentorum receptionem?*

114. Diversæ requiruntur dispositiones pro vario sacramentorum genere. 102
Duo statuuntur, nempe:
115. 1. Ad fructuosam sacramentorum baptismi et pœnitentiæ susceptionem requiri et sufficere in adultis attritionem supernaturalem. — *Assertio* 1ª 102
116. 2. Ad fructuosam receptionem sacramentorum vivorum ex se requiri et sufficere statum gratiæ. — *Assertio* 2ª 104
117. *Corollarium*. Infertur peccatum veniale non impedire primarium effectum sacramentorum vivorum. 104
118. Quæritur utrum novum peccatum veniale admittat qui sacramentum recipit cum peccato veniali. 105
119. *Scholium*. Ostenditur non minimas esse voluntatis humanæ partes in producendis sacramentalibus effectibus. 105

CAPUT VI. — DE SACRAMENTORUM CÆREMONIIS.

120. Dantur definitio et divisio cæremoniarum. 107

§ I. — *Utrum Ecclesiæ competat jus cæremonias instituendi?*

121. Probatur Ecclesiæ jus competere cæremonias instituendi. — *Assertio*. 107

§ II. — *An et quatenus cæremoniæ sacramentorum sint utiles?*

Num. Pag.

Tria probantur, nimirum :

122. 1. Cæremonias sacramentales in se sumptas esse bonas et utiles. — *Assertio* 1ª 108
123. 2. Cæremonias sacramentales ab Ecclesia Romana nunc adhibitas esse laudabiles ac probandas. — *Assertio* 2ª 109
124. 3. In administrandis sacramentis usum linguæ latinæ esse convenientem et legitimum. — *Assertio* 3ª 110
125. *Scholium.* Quomodo procurari possit, ut administratio sacramentorum in lingua vernacula fidelibus sit utilis?. . . . 111

§ III. — *An adsit obligatio cæremonias sacramentorum observandi?*

126. Probatur ritus in solemni sacramentorum administratione ab Ecclesia catholica adhiberi consuetos sine peccato omitti aut immutari non posse. — *Assertio.* 112
127. *Corollarium.* Infertur usum Ritualis romani esse de præcepto. 113

APPENDIX I. — DE SACRAMENTALIBUS.

§ I. — *An et quot sint sacramentalia?*

128. I. Sacramentalium definitio. 113
129. II. Sacramentalium divisio. 114

§ II. — *Quinam sint sacramentalium effectus?*

130. Sacramentalia non conferunt gratiam sanctificantem *ex opere operato* 115

An et quatenus sacramentalibus tribui possint :

131. I. Spiritualis quidam gratiæ motus ? 115
132. II. Remissio peccatorum venialium? 116
133. III. Relaxatio pœnæ temporalis peccato debitæ ? 117
134. IV. Dæmonum expulsio vel cohibitio ? 118
135. V. Aliquorum beneficiorum ordinis temporalis collatio ? . . 119

APPENDIX II. — DE SACRAMENTIS ANTE CHRISTUM ADHIBITIS.

136. Objectum appendicis 118

I. — De remedio contra peccatum originale.

Duo præmittuntur, nempe :

137. 1. Ostenditur aliquod remedium viguisse in statu Legis naturæ, quo peccatum originale in infantibus deleretur 119
138. 2. Expenditur quodnam fuerit illud remedium 120
139. Probatur remedium contra peccatum originale pro salute infantium in lege naturæ institutum probabilius sacramentum fuisse. — *Assertio* 120
140. *Scholium.* Quamdiu duraverit hoc remedium ?. 121

II. — De circumcisione.

Num. Pag.

141. Statuitur circumcisionem, qua Abrahæ posteri divino cultui consignabantur, sacramenti rationem habuisse. — *Assertio.* 122
142. *Scholium.* Expenditur utrum circumcisio instituta fuerit in remedium contra peccatum originale. 123

III. — De ritibus mosaicis.

143. Probatur alia sacramenta nostrorum præfigurativa, præter circumcisionem, sublege mosaica, extitisse. — *Assertio* . 124
Duo quæruntur :
144. 1. Quis fuerit numerus illorum sacramentorum et quomodo singula sese habeant relative ad sacramenta novæ Legis. . 125
145. 2. An et quatenus sacramenta mosaica gratiam sanctificantem produxerint. 126

TRACTATUS DE BAPTISMO

SUMMA DOCTRINÆ CATHOLICÆ DE BAPTISMO.

Decretum concilii Florentini. 128
Canones concilii Tridentini. 129

NOTIONES PRÆVIÆ.

I. — Objectum et utilitas tractatus.

1. Objectum hujus Tractatus. 131
2. Utilitas ejusdem, respectu præsertim pastorum animarum. . 131

II. — Baptismi notio.

3. Definitio baptismi quoad nomen, et quoad rem. 131
4. Varia nomina baptismi. 133
5. Baptismi figuræ 133

III. — Ordo dicendorum.

6. Divisio Tractatus in sex capita. 133

CAPUT I. — De baptismi existentia.

7. Exponuntur errores. 134
Tria probantur :
8. 1. Christum ritum baptismalem instituisse. — *Assertio* 1ª . . 134
9. 2. Baptismum a Christo institutum, baptismum Joannis omnino præcellere. — *Assertio* 2ª 135

Num. Pag.
10. 3. Baptismum a Christo adhibitum et institutum esse verum novæ legis sacramentum. — *Assertio* 3ª 136
11. *Scholium.* Quid dicendum sit de tempore quo baptismus a Christo institutus fuit? 137

CAPUT II. — De materia et forma baptismi.

Divisio in tres articulos.

Art. I. — *De materia Baptismi.*

§ I. — *De materia remota Baptismi.*

12. Errores circa materiam remotam baptismi. 138
13. Probatur omnem et solam aquam naturalem esse materiam remotam necessariam baptismi. — *Assertio.* 138
14. *Corollaria practica.* Quænam materia sit — 1° valida; — 2° invalida; — 3° dubia.
Duo quæruntur, nempe :
15. 1. Qualis aqua ad licitam baptismi, sive privati, sive solemnis administrationem, adhibenda sit. 140
16. 2. An præceptum adhibendi aquam baptismalem obliget sub gravi? 141

§ II. — *De materia proxima Baptismi.*

17. Quotuplici modo adhiberi possit aqua in baptismo? — Quænam fuerit ea de re Ecclesiæ disciplina? 141
Duo probantur, nempe :
18. 1. Valere baptismum collatum sive per immersionem, sive per infusionem, sive per aspersionem. — *Assertio* 1ª 142
19. 2. Trinam immersionem, sive infusionem, sive aspersionem, non esse de necessitate sacramenti, sed præcepti tantum. *Assertio* 2ª 143
Quæritur :
20. 1. An aqua debeat immediate tangere corpus? 144
21. 2. In qua parte corporis fieri debeat ablutio? 144
22. 3. Quænam quantitas aquæ requiratur ad validitatem baptismi? 144
23. 4. Quomodo adhibenda sit aqua a ministro baptismi? . . . 145
24. *Scholium.* Quænam causæ Ecclesiam Romanam induxerint ad ritum infusionis adoptandum? 146

Art. II. — *De forma Baptismi.*

25. Errores circa formam baptismi. 146
26. Quænam sit forma legitima baptismi? — *Assertio.* 147
Tria quæruntur, nempe :
27. 1. Utrum ad valorem baptismi exprimendus sit actus baptizandi? 148

Num. Pag.
28. 2. Utram ad baptismi validitatem pariter necessaria sit distincta expressio triuṁ personarum? 148
29. 3. Quænam verba in forma baptismi velut essentialia habenda sint? 149
30. *Scholium.* Quid sentiendum sit de baptismo in solo nomine Christi collato 150

CAPUT III. — De baptismi effectibus.

§ I. — *An et quatenus per baptismum remittatur peccatum?*

32. Probatur per baptismum non solum remitti omne peccatum tam originale quam actuale, sed etiam omnem pœnam peccato debitam, sive æternam, sive temporalem, quin tamen tollantur pœnalitates vitæ præsentis. — *Assertio.* 151

§ II. — *An et qualem gratiam conferat baptismus?*

33. Probatur baptismum tam parvulis quam adultis gratiam sanctificantem cum virtutibus infusis ex opere operato conferre eamque gratiam, quatenus a baptismo dimanat, merito dici regenerativam; imo ordinem dicere ad specialia auxilia pro vita christiana recte instituenda, suo tempore conferenda. — *Assertio* 154
34. *Scholium.* De nonnullis baptismi effectibus cum charactere simul et gratia conjunctis. 158

CAPUT IV. — De baptismi ministro.

35. Quænam prænotanda sint de baptismi ministro? 159

Art. I. — *De ministro Baptismi solemnis.*

36. Quotuplex sit baptismi solemnis minister? 160
Duo probantur, nempe :
37. 1. Simplices presbyteros esse sacramenti baptismatis ministros ordinarios sed extra necessitatem juridictione indigere ad illud licite administrandum. — *Assertio* 1ª 160
38. 2. Diaconum esse ministrum baptismi, sed extraordinarium tantum. — *Assertio* 2ª 161

Art. II. — *De ministro Baptismi in casu necessitatis.*

39. Probatur, urgente necessitate, quemlibet hominem, non tantum valide, sed et licite baptizare posse. — *Assertio.* . . . 162
Quæritur :
40. 1. Quis ordo servandus sit, si plures adsint qui baptizare valeant? 163
41. 2. Utrum quis se ipsum baptizare possit 163

Num. Pag.
42. 3. An plures unum simul baptizare possint. 164
43. 4. An unico ministro plures simul fas sit baptizare. . . . 164

CAPUT V. De baptismi subjecto.

Art. I. — *Quinam Baptismum suscipere possint?*

§ I. — *Utrum infantes valide baptizantur?*

44. Recensentur errores 165
Duo probantur, nempe :
45. 1. Infantes valide et licite baptizari posse. — *Assertio* 1ª . . 165
46. 2. Parvulos baptizatos, cum adoleverint, mandata Dei et Ecclesiæ observare teneri, quin sint interrogandi an ratas habeant promissiones eorum nomine factas in baptismo. — *Assertio* 2ª 167
Duo quæruntur, scilicet :
47. 1. Utrum infantes baptizare expediat ?. 168
48. 2. Utrum præceptum sit infantes baptizare 170

§ II. — *An pueros infidelium invitis parentibus, baptizare liceat?*

49. Quandonam certo liceat baptizare filios infidelium, invitis parentibus 170
50. Probatur illicitum esse generatim, invitis parentibus, infidelium infantes baptizare. — *Assertio*. 171

§ III. — *An et quatenus baptismus iterari non debeat?*

51. I. Baptismum rite collatum iterari non posse. 173
52. II. In vero dubio, sive juris, sive facti, an aliquis sit baptizatus, debere baptismum, non quidem iterari, sed conferri sub conditione 174
53. III. Quænam agendi ratio tenenda sit :
1. Quoad infantes expositos. 175
2. Quoad hæreticos ad fidem conversos. 175
3. Quoad infantes ab obstetrice vel laico baptizatos. 176

Art. II. — *Quænam sit necessitas baptismum suscipiendi.*

54. Quotuplici modo aliquid possit esse necessarium? — Quodnam sit dogma catholicum de necessitate baptismi? 177

§ I. — *An et qua ratione Baptismus aquæ sit necessarius?*

55. Recensentur errores. — Doctrina catholica. 178
56. Probatur, excepto casu martyrii, baptismum aquæ esse omnibus ad salutem necessarium, necessitate medii : adultis quidem in re, vel in voto ; infantibus vero in re. — *Assertio*. . 179

Num. Pag.

57. *Corollarium.* Ex assertione præcedenti infertur baptismum esse necessarium necessitate præcepti, — sive naturalis, — sive divini, — sive ecclesiastici. 182

58. *Scholium.* Quid sentiendum sit de Theologis qui necessitatem baptismi aliquatenus labefactaverunt? 182

§ II. — *An et quatenus baptismus flaminis Baptismi sacramentum suppleat in adultis?*

59. Quid sit baptismus flaminis? 183

60. An baptismus flaminis, seu caritas aut contritio perfecta, suppleat vices baptismi aquæ, quoad justificationem consequendam? — *Assertio* 183

61. *Quæritur* quale votum baptismi aquæ includere debeat caritas aut contritio perfecta, ut illum quoad justificationem suppleat. 185

§ III. — *An et quatenus baptismus sanguinis Baptismum aquæ suppleat?*

62. Exponitur martyrii notio. 186

Duo probantur, nempe :

63. 1. Baptismum sanguinis, seu martyrium, supplere vices baptismi aquæ in infantibus et adultis, quoad remissionem omnis culpæ et pœnæ. — *Assertio* 1ª 186

64. 2. Martyrium, positis quibusdam conditionibus, tam in adultis quam in infantibus, per modum operis operati, effectus suos sortiri. — *Assertio* 2ª 189

Art. III. — *Quænam dispositiones in adultis requirantur ad Baptismum suscipiendum?*

Duo probantur, nempe :

65. 1. Ad validam susceptionem baptismi, non requiri in adulto neque fidem neque pœnitentiam, sed requiri et sufficere intentionem illum suscipiendi, quæ aliquando fuit et moraliter perseverat. — *Assertio* 1ª 192

66. 2. Ad licitam et fructuosam sacramenti susceptionem præter intentionem requiri in adultis rectam fidem et attritionem supernaturalem. — *Assertio* 2ª 193

67. *Scholium.* An et quomodo præparandi sint adulti priusquam baptizentur? 194

CAPUT VI. — De cæremoniis baptismi.

Art. I. — *De Patrinis.*

68. I. Patrinorum notio. 195

69. II. Patrinorum necessitas. 196

Num. Pag.
70. III. Patrinorum electio. 196
71. IV. Patrinorum obligationes. 198

ART. II. — *De tempore et loco Baptismi.*

72. I. Quandonam baptismus administrari possit ? 198
73. II. Quid in Rituali Romano circa tempus et locum baptismi præscribatur ? 198

ART III. — *De ritibus in Baptismi administratione observandis.*

§ I. — *Quænam sint præcipuæ Ecclesiæ præscriptiones circa ritus in Baptismi administratione servandos?*

74. 1. De nominis impositione 200
75. 2. De interrogationibus. 200
76. 3. De sacris oleis 200
77. 4. De libro baptismali 202

§ II. — *An et quandonam cæremoniæ Baptismi supplendæ vel iterandæ sint?*

Utrum et quatenus cæremoniæ baptismi suppleri vel iterari debeant :
78. 1. Si baptismus collatus fuerit sine solemnitate. 202
79. 2. Si hæretici ad veram fidem convertantur 203
3. Si deprehendatur baptismum fuisse nullum. 203

§ III. — *Quænam sit Baptismi cæremonarium significatio?*

80. I. Cæremoniæ ad fores ecclesiæ usurpatæ 203
81. II. Cæremoniæ ad fontem baptismalem adhibitæ 204
82. III. Cæremoniæ post baptismum peractæ 205

TRACTATUS DE CONFIRMATIONE

SUMMA DOCTRINÆ CATHOLICÆ DE CONFIRMATIONE.

Decretum concilii Florentini. 207
Canones concilii Tridentini. 208

NOTIONES PRÆVIÆ.

1. Tractatus objectum et utilitas. 209

Num. Pag.
2. Confirmationis definitio et varia nomina 209
3. Tractatus divisio. 210

CAPUT I. — De existentia sacramenti confirmationis.

4. Recensentur errores 210
5. Probatur confirmationem esse verum et proprium sacramentum. — *Assertio* 210
6. Solvitur objectio 214
7. *Scholium.* A quo et quandonam confirmatio fuerit instituta ? . 214

CAPUT II. — De materia et forma confirmationis.

Art. I. — *De materia Confirmationis.*

§ I. — *Quænam sit materia remota sacramenti Confirmationis?*

8. Theologorum opiniones 215
9. Probatur materiam remotam sacramenti confirmationis esse chrisma ex oleo olivarum confectum. — *Assertio* 215
Duo quæruntur, nempe :
10. 1. Utrum balsamum in confectione chrismatis de necessitate sacramenti adhibendum sit et quale balsamum. 217
11. An chrisma ab episcopo etiam de necessitate sacramenti sit benedicendum. 218

§ II. — *Quænam sit materia proxima sacramenti Confirmationis?*

12. Exponuntur thologorum opiniones 219
13. Probatur materiam essentialem et adæquatam sacramenti confirmationis esse chrismationem et manuum impositionem quæ chrismationem comitatur. — *Assertio.* 220
Per modum corollarii expenditur :
14. 1. Quid agendum sit, sit omissa fuerit prima manus impositio 223
15. 2. Utrum unctio fieri possit mediante instrumento, et quomodo peragenda sit. 223

Art. II. — *De forma Confirmationis.*

16. Recensentur opiniones theologorum 224
Probatur in duplici assertione :
17. 1. Orationem, quæ primæ manus impositioni super confirmandos respondet, ad essentiam formæ sacramenti confirmationis nullo modo pertinere. — *Assertio* 1ª 225
18. 2. Legitimam esse formam sacramenti confirmationis apud Latinos adhibitam. — *Assertio* 2ª 225
19. 3. Formam confirmationis apud Græcos usurpatam esse pariter legitimam. — *Assertio* 3ª 226
20. *Scholium.* Nonnullis objectionibus satisfit. 227

CAPUT III. — De effectibus sacramenti confirmationis.

Num. Pag.

Tria prænotantur, nempe :

21. 1. Per confirmationem in anima imprimi characterem, ideoque hoc sacramentum iterari non posse 227

22. 2. Confirmationis sacramentum producere gratiam *ex opere operato* 228

23. 3. Confirmationem ex primaria sua institutione non primam, sed secundam gratiam conferre. 228

24. Probatur proprium confirmationis effectum in hoc reponendum esse, quod vitam supernaturalem in baptismo incœptam per verum incrementum perficiat, animamque roboret ad fidem intrepide et fortiter propugnandam. — *Assertio* 228

Duo quærantur, videlicet :

25. 1. An et quo sensu dici possit Spiritum Sanctum dari in confirmatione. 231

26. 2. Utrum major gratia in confirmatione quam in baptismo conferatur 232

CAPUT IV. — De ministro sacramenti confirmationis.

27. Quotuplex sit minister ? 233

Art. I. — *De ministro Confirmationis ordinario.*

28. Exponuntur errores 233

29. Probatur solum episcopum, ex sua ordinatione, ministrum esse ordinarium sacramenti confirmationis. — *Assertio.* . . 234

Duo quæruntur :

30. 1. An et quatenus jurisdictio necessaria sit ut potestas confirmandi legitime exerceatur 235

31. 2. An et quatenus episcopi confirmationem administrare teneantur. 235

Art. II. — *De ministro Confirmationis extraordinario.*

32. Probatur simplicem sacerdotem, ex speciali S. Pontificis delegatione, sacramentum confirmationis valide et licite conferre posse. — *Assertio.* 236

CAPUT V. — De confirmationis subjecto.

33. Quid nomine subjecti confirmationis veniat ? 238

§ I. — *Quinam Confirmationis capaces sint?*

34. Solus baptizatus est capax confirmationis. 238

35. Probatur omnem hominem baptizatum, sive infantem, sive adultum, esse capacem confirmationis ; nullum tamen hodie

Num. Pag.

regulariter confirmandum esse in Ecclesia Latina, nisi adepta rationis ætate. — *Assertio.* 239

§ II. — *Quænam sit necessitas Confirmationis recipiendæ?*

36. Exponuntur opiniones. 239
37. Probatur confirmationis sacramentum non esse quidem necessarium necessitate medii; sed tamen adultis necessarium esse necessitate præcepti quod graviter obligat. — *Assertio.* 240
38. *Corollaria.* An et quatenus peccent qui sacramentum confirmationis non recipiunt, vel suos nondum confirmatos ad hoc sacramentum non disponunt 242

§ III. — *Quænam dispositiones requirantur ad Confirmationem suscipiendam?*

Dispositiones requiruntur :
38. Aliæ ex parte corporis. 242
39. Aliæ ex parte animæ 242

CAPUT VI. — De cæremoniis confirmationis.

40. Quid cæremoniarum confirmationis nomine veniat? 243

§ I. — *De quibusdam circumstantiis ad administrationem sacramenti Confirmationis attinentibus.*

Quid sit dicendum :
41. I. De loco et tempore. 243
42. II. De situ confirmandorum. 244
43. III. De patrino et matrina 244
44. IV. De registro 245

§ II. — *De ritibus in administratione sacramenti Confirmationis ab Episcopo adhibitis.*

Quid sit dicendum :
45. I. De manuum impositione 246
46. II. De chrismatione et levi alapa 246
47. III. De nomine confirmandi. 246
48. IV. De vitta linea 246
49. V. De benedictione pontificis 246

§ III. — *De significatione cæremonarium Confirmationis.*

Quid significent :
50. I. Munus patrini et matrinæ 246
51. II. Ritus ab episcopo confirmante adhibiti 247

TRACTATUS DE SS. EUCHARISTIA

SUMMA DOCTRINÆ CATHOLICÆ DE SS. EUCHARISTIA.

Num. Pag.
Decretum concilii Florentini 250
Decretum et canones concilii Tridentini. 252

NOTIONES PRÆVIÆ.

I. — Tractatus objectum.

1. Quodnam sit præsentis Tractatus objectum ? 268

II. — Eucharistiæ notio.

2. Definitio Eucharistiæ quoad nomen et quoad rem. 269
3. Varia Eucharistiæ nomina 270
4. Eucharistiæ figuræ. 271

III. — Utilitas et ordo dicendorum.

5. Tractatus utilitas, præsertim respectu sacerdotum. 272
6. Divisio in tres partes 272

PARS. I. — De mysterio præsentiæ realis Christi in Eucharistia.

CAPUT I. — De veritate præsentiæ realis Christi in Eucharistia.

7. Errores sacramentariorum circa realem Christi in Eucharistia præsentiam 273
8. Dogma catholicum 274

ART. I. — *Exponuntur argumenta ex Sacra Scriptura deprompta.*

I. — Ex verbis promissionis.

9. Proferuntur verba promissionis 276
10. Ex verbis promissionis probatur realis præsentia Christi in Eucharistia 277
11. Solvuntur objectiones. 279

II. — Ex verbis institutionis.

13. Verba institutionis exponuntur 280
14. Ex verbis institutionis demonstratur dogma de præsentia reali 281
15. Objectionibus satisfit 283

III. — Ex verbis usum Eucharistiæ exprimentibus.

Num. Pag.

18. Verba usum Eucharistiæ exprimentia, qualia leguntur II *Cor.*, x, 16, et xi, 27, præsentiam realem confirmant 284
19. Diluuntur objectiones. 286

Art. II. — *Exponuntur argumenta ex traditione deprompta.*

I. — Ex testimoniis SS. Patrum.

Evincitur SS. Patres admisisse dogma præsentiæ realis :

22. I. Ex locis in quibus interpretantur verba institutionis. . . 287
23. II. Ex locis in quibus dubia circa Eucharistiam nascentia proponunt et solvunt. 289
24. III. Ex locis in quibus exponunt consectaria quæ ex dogmate Eucharistiæ defluunt. 290
25. *Scholium.* Principia ad solvendas objectiones ex SS. Patribus desumptas 291

II. — Ex conciliis et liturgiis.

Ecclesiæ fides circa dogma realis præsentiæ Christi in Eucharistia proponitur :

26. I. Authentice, conciliis 292
27. II. Practice, liturgiis 293

III. — Ex præscriptione.

28. Argumentum præscriptionis instituitur in confirmationem realis præsentiæ Christi in Eucharistia. 294

Art. III. — *Exponuntur momenta rationis.*

I. — Momentum rationis negativum.

29. Ostenditur dogma præsentiæ realis dici non posse rationi contrarium 296

II. — Momentum rationis positivum.

Ratione suadetur dogma præsentiæ realis Christi in Eucharistia, ex eo quod :

30. I. Summas Dei perfectiones illustrat 298
31. II. Hominis bonum promovet 302

CAPUT II. — De natura præsentiæ realis christi in eucharistia.

Art. I. — *De modo quo Christus ponitur in Eucharistia seu de transsubstantiatione.*

32. Transsubstantiationis notio 306

§ I. — *An et quatenus per consecrationem eucharisticam substantia panis et vini in corpus et sanguinem Christi convertatur?*

Num. Pag.
33. Errores de modo quo Christus in Eucharistia præsens fit . . 307
34. Probatur totam substantiam panis et vini in Eucharistia per consecrationem converti in substantiam corporis et sanguinis D. N. J.-C. — *Assertio.* 307
Tria quæruntur, nempe :
35. 1. Utrum substantia panis et vini ita per consecrationem esse desinat, ut nihil prorsus ejusdem remaneat. 310
36. 2. Qualis sit operatio qua transsubstantiatio peragitur . . . 312
37. 3. Utrum transsubstantiatio eucharistica sit vera et proprie dicta conversio. 314

§ II. — *Quænam sit natura specierum panis et vini quæ post consecrationem in Eucharistia remanent?*

38. Probatur species eucharisticas esse quid reale et objectivum, ipsa videlicet accidentia absoluta panis et vini ex divina virtute sine objecto servata. — *Assertio.* 315
39. *Corollaria.* Refelluntur diversa systemata circa naturam specierum panis et vini. 319
Quæritur :
40. 1. Utrum omnia accidentia in hoc sacramento sine subjecto maneant. 321
41. 2. An et quomodo species sacramentales corrumpi possint. . 322
42. 3. An et qua ratione species eucharisticæ in substantiam corporis humani per nutritionem convertantur. 323

Art. II. — *De modo quo Christus existit sub speciebus sacramentalibus.*

43. Demonstratur Christum in Eucharistiæ sacramento sub unaquaque specie et sub singulis cujusque speciei partibus totum contineri, non modo separatione facta, sed etiam ante separationem. — *Assertio.* 323
Per modum corollarii deducitur :
44. 1. Christum in Eucharistia præsentem esse cum omnibus intrinsecis sanctissimæ humanitatis suæ proprietatibus . . . 326
45. 2. Corpus Christi in Eucharistia virtute divina supra conditionem corporalem elevari modumque existendi spiritualem accipere 327
46. 3. Animam Christi in Eucharistia omnes actus immanentes, qui a sensibus non pendent, elicere posse ; imo propter identitatem humanitatis ipsi pariter inesse omnes perceptiones, quas alibi ex sensuum exercitio obtinet. 329
Duo quæruntur, scilicet :
47. 1. Qualis detur unio species inter et corpus Christi. . . . 329

Num. Pag.
48. 2. Quænam de corpore Christi sub speciebus sacramentalibus existente prædicari possint. 330

ART. III. *De permanentia præsentiæ Christi sub speciebus eucharisticis.*

49. Errores Novatorum 331
50. Probatur Christum in SS. Eucharistia existere independenter ab usu, et permanere quandiu panis et vini species supersunt incorruptæ. — *Assertio.* 332
Duo quæruntur, nimirum :
51. 1. Qualis corruptio specierum requiratur ut corpus Christi sub his esse desinat 333
52. 2. Quandiu sacræ species censeantur remanere integræ post sacramenti sumptionem. 334

CAPUT III. — DE CONSECTARIIS PRACTICIS PHÆSENTIÆ REALIS CHRISTI IN EUCHARISTIA.

53. Quænam consectaria ex dogmate præsentiæ realis Christi in Eucharistia defluant? 334

§ I. — *De adoratione Christi in Eucharistia.*

54. Errores 335
55. Utrum Christus in Eucharistia cultu latriæ adorandus sit. — *Assertio* 336
56. *Scholium.* Ad solvendas Protestantium cavillationes nonnulla adnotantur tum circa objectum formale adorationis nostræ, tum circa cultum exteriorem SS Eucharistiæ adhibendum. . 337

§ II. — *De reservatione sanctissimæ Eucharistiæ.*

57. Exponitur quæstio. 338
58. Demonstratur sanctissimæ Eucharistiæ finibus consentaneum esse eam in Ecclesiis reservari. — *Assertio.* 338
59. *Scholium.* De quibusdam Ecclesiæ præscriptionibus ad Eucharistiam spectantibus, et imprimis de renovatione particularum consecratarum, necnon de lampade diu noctuque coram tabernaculo accendenda. 339

§ III. — *De specialibus exercitiis quibus SS. Eucharistia asservata honoratur.*

60. Status quæstionis explicatur. 340
61. Probatur optimo concilio corporis Christi festum ac processionem solemnem fuisse instituta, meritoque pariter, servatis tamen servandis, in ecclesiis quandoque exponi et circumferri SS. Sacramentum. — *Assertio.* 340

Num. Pag.
62. *Scholium.* De suadenda praxi Christum in Eucharistia delitescentem frequenter invisendi. 342

PARS II. — **De sanctissimo Eucharistiæ sacramento.**

CAPUT I. — De existentia sacramenti eucharistiæ.

§ I. — *An Eucharistia sit sacramentum?*

63. Probatur Eucharistiam esse verum et proprie dictum novæ Legis sacramentum. — *Assertio.* 343
64. *Scholium.* Quandonam Eucharistiæ sacramentum fuerit institutum? 344

§ II. — *Quid in Eucharistia sacramenti rationem habeat?*

65. Exponuntur opiniones, statimque probatur species consecratas ut continentes corpus et sanguinem Christi, totam sacramenti Eucharistiæ essentiam constituere? — *Assertio* . . . 346
66. Nonnulla corollaria deducuntur. 347

§ III. — *An et qua ratione sacramentum Eucharistiæ unum ac multiplex dici potest?*

I. — De unitate specifica sacramenti Eucharistiæ.

67. Probatur sacramentum Eucharistiæ, etsi existat sub alterutra specie panis et vini, specifice tamen unum esse. — *Assertio.* 348

II. — De multiplicatione numerica sacramenti Eucharistiæ.

Quomodo multiplicetur sacramentum Eucharistiæ :
68. I. In fieri 350
69. II. In facto esse 350
70. III. In sumptione 350

CAPUT II. — De materia et forma sacramenti eucharistiæ.

Art. I. — *De materia sacramenti Eucharistiæ.*

71. Recensentur errores. — Divisio articuli 350

§ I. — *De pane eucharistico.*

Duo probantur, nempe :
72. 1. Primam sacramenti Eucharistiæ remotam materiam esse panem, non quemlibet, sed triticeum. — *Assertio* 1ª 352
73. 2. Panem triticeum, sive azymum sive fermentatum, esse materiam validam sacramenti Eucharistiæ; jure autem ecclesiastico, azymo pane Latinos, fermentato autem Græcos uti teneri. — *Assertio* 2ª 354

Num. Pag.

Tria quæruntur, videlicet :

74. 1. An et quandonam liceat sacerdoti Latino uti pane fermentato. 355
75. 2. An constans semper fuerit usus panis fermentati apud Græcos et azymi apud Latinos. 355
76. 3. Quænam ad consecrationem requirantur panis quantitas, forma et integritas. 356

§ II. — *De vino eucharistico.*

Duo statuuntur, nimirum :

77. 1. Præter panem triticeum, vinum de vite materiam esse remotam Eucharistiæ sacramenti. — *Assertio* 1ª 357
78. 2. Aquam vino miscendam esse in calice consecrando, non tamen de necessitate sacramenti, sed probabilius de necessitate præcepti apostolici. — *Assertio* 2ª 359

Quæritur :

79. 1. Quænam debeat esse ad Eucharistiam conficiendam vini qualitas et quantitas. 360
80. 2. Quænam debeant esse tum qualitas, tum quantitas aquæ miscendæ. 360
81. 3. Quid fiat aqua vino mixta. 361

Art. II. — *De forma Eucharistiæ.*

82. Recensentur opiniones theologorum 361

Tria probantur, videlicet :

83. 1. Christum, Eucharistiam instituentem, panem et vinum non solo imperio voluntatis, nec prævia benedictione, sed verbis consecrasse. — *Assertio* 1ª 362
84. 2. Eucharistiam verbis dominicis, non sacerdotis precibus consecrari. — *Assertio* 2ª 363
85. 3. Sola verba : Hoc est corpus meum, et Hic est calix sanguinis mei, aut Hic est sanguis meus, Eucharistiæ conficiendæ essentialia esse. — *Assertio* 3ª 365

Tria quæruntur, nempe :

86. 1. Quisnam sit sensus singulorum verborum formæ sacramenti Eucharistiæ 369
87. 2. Quænam mutatio in forma Eucharistiæ sacramenti veritatem tollat. 369
88. 3. Quomodo proferenda sit Eucharistiæ forma 370

Art. III. — *De conditionibus requisitis ut Eucharistiæ materia formæ subjiciatur.*

89. An et quatenus Eucharistiæ materia sacerdoti consecranti præsens esse debeat. — *Assertio* 1ª 373
90. An et quatenus materia consecranda per intentionem sacerdotis determinari debeat. — *Assertio* 2ª 374

Num. Pag.

91. An et quatenus necessaria sit utriusque materiæ consecratio. — *Assertio* 3ª 376

CAPUT III. — De effectibus sacramenti eucharistiæ.

92. Recensentur varii Eucharistiæ effectus. 378

§ I. — *An et quomodo SS. Eucharistia vitam supernaturalem in nobis augeat et conservet?*

93. Quæstio præfinitur. 378
Tria probantur, scilicet :
94. 1. Modum peculiarem, quo a SS. Eucharistia vita supernaturalis augetur, in hoc potissimum contineri, quod fideles digne communicantes cum Christo et inter se per caritatem uniat. — *Assertio* 1ª 379
95. 2. Eucharistiam de se efficacem esse ad excitandum animæ devotionem et caritatis fervorem, cum speciali spiritus suavitate et dulcedine. — *Assertio* 2ª 381
96. 3. Idem sacramentum conferre etiam ex opere operato actuale Dei auxilium ad peccata vitanda, superandas tentationes et virtutes exercendas. — *Assertio* 3ª 383
97. *Corollarium.* De gratia sacramentali SS. Eucharistiæ 385
Quæritur :
98. 1. Quandonam Eucharistia gratiam causet 385
99. 2. Utrum major gratia conferatur communicanti sub utraque specie quam sub una 386
100. 3. Utrum SS Eucharistiæ sumptio aliis quam sumentibus prosit 386

§ II. — *An et quatenus Eucharistia peccata remittere valeat?*

101. *Status quæstionis.* Quid nomine peccati venire possit ? . . . 387
Probatur :
102. 1. Eucharistiam per se et ex primaria institutione peccata mortalia non dimittere. — *Assertio* 1ª 387
103. 2. Ab ea tamen peccata venialia deleri. — *Assertio* 2ª . . . 388
104. 3. Imo ipsas pœnas temporales peccatis debitas non quidem directe, sed indirecte et ex consequenti, remitti. — *Assertio* 3ª 389

§ III. — *An et qua ratione efficacia SS. Eucharistiæ sacramenti ad ipsa suscipientium corpora protendatur?*

Tria expenduntur, nimirum :
105. 1. Utrum ex digna sumptione SS Eucharistiæ peculiaris oriatur affinitas Christum inter et suscipientem ? — *Assertio* 1ª . 390
106. 2. An Eucharistia vim habeat peccati fomitem moderandi aliosque bonos effectus in appetitu sensitivo operandi ? — *Assertio* 2ª 391

Num. Pag.
107. 3. Utrum Eucharistia digne suscepta verum jus ad gloriosam resurrectionem corpori conferat? — *Assertio* 3ª 392

CAPUT IV. — De ministro sacramenti ss. eucharistiæ.

§ I. — *Quis sit minister Eucharistiæ?*

108. Recensentur errores. 394
Tria statuuntur, nempe :
109. 1. Jure divino solos presbyteros esse ministros SS. Eucharistiæ conficiendæ. — *Assertio* 1ª 394
110. 2. Ministrum Eucharistiæ dispensandæ ordinarium jure divino esse solum sacerdotem ; extraordinarium vero, diaconum. — *Assertio* 2ª 396
111. 3. Jure ordinario non omnes sacerdotes, sed eos tantum qui jurisdictionem habent, Eucharistiam dispensare posse. — *Assertio* 3ª 397
Duo quæruntur :
112. 1. An plures sacerdotes eamdem materiam simul consecrare valeant. 399
113. An liceat quandoque SS. Eucharistiam sibi dispensare? . . 400

§ II. — *An et quandonam adsit obligatio Eucharistiam dispensandi?*

An et quatenus pastores animarum teneantur ministrare Eucharistiam fidelibus .
114. I. In articulo mortis. 401
115. II. Rationabiliter petentibus 401
116. III. Tempore pestis. 401

§ III. — *Quænam servanda sint ad licitam SS. Eucharistiæ dispensationem?*

117. I. De tempore convenienti 402
118. II. De loco competenti. 403
119. III. De modo legitimo. 403

CAPUT V. — De subjecto ss. eucharistiæ.

120. Quodnam sit subjectum sacramenti Eucharistiæ? 407

Art. I. — *Quinam Eucharistiæ sacramentum recipere possint?*

121. Solus homo viator et baptizatus Eucharistiam sacramentaliter recipere potest. 407
122. Probatur omnem hominem baptizatum Eucharistiæ sacramentaliter recipiendæ capacem esse. — *Assertio*. 407
Quæritur :
123. 1. Utrum in articulo mortis communio danda sit amentibus, delirantibus et sensibus destitutis. 408

Num. Pag
124. 2. An communio dari possit semifatuis, epilepticis, surdis mutis 409
125. 3. An dari possit communio capite damnatis 410

Art. II. — *Quænam sit necessitas Eucharistiam suscipiendi?*

126. Undenam oriatur necessitas recipiendi SS. Eucharistiæ sacramentum? 410

§ I. — *Utrum Eucharistiæ sumptio necessaria sit necessitate medii?*

127. Recensentur errores statimque contra novatores probatur nemini, nec infantibus, nec adultis necessarjam esse SS. Eucharistiam necessitate medii ad salutem. — *Assertio.* 410
128. Solvuntur objectiones. 411

§ II. — *An et quatenus Eucharistiæ sumptio necessaria sit ex præcepto divino?*

129. Probatur Eucharistiam fidelibus adultis necessariam esse necessitate præcepti divini ; nullum tamen extare præceptum divinum, ex quo non sacrificantes Eucharistiam sub utraque specie suscipere teneantur. — *Assertio.* 412
130. *Corollarium.* Usus calicis rite laicis fuit interdictus, non tamen absolute 414
Tria quærúntur, scilicet :
131. 1. Quandonam obliget præceptum divinum communionis . . 414
132. 2. Quinam viaticum suscipere teneantur 415
133. 3. Quinam a suscipiendo viatico excusentur. 416

§ III. — *An Eucharistiæ sumptio necessaria sit ex præcepto Ecclesiæ?*

I. — An et quale existat præceptum ecclesiasticum suscipiendi SS. Eucharistiam?

134. I. Adest præceptum Ecclesiasticum suscipiendi Eucharistiæ sacramentum. 417
135. II. Præfatum præceptum sub gravi obligat 417
136. III. Communio ab Ecclesia præscripta pie sancteque facienda est 417

II. — Quos obliget istud præceptum?

An et quatenus præceptum ecclesiasticum communionis obliget :
137. I. Adultos 417
138. II. Pueros 418

III. — Quandonam obliget præceptum ecclesiasticum communionis?

139. I. Præceptum ecclesiasticum communionis obligat tempore Paschatis 418

Num. Pag.
140. II. Ad quid vero teneatur, elapso jam tempore Paschatis, ille qui culpabiliter vel inculpabiliter communionem omisit? . 419
141. III. Quid de illo qui, incœpto tempore paschali, prævidet se postea non posse communicare? 419

IV. — Ubinam implendum sit præceptum communionis?

142. I. Communio paschalis fieri debet in propria parochia . . . 419
143. II. Utrum sub gravi? 419
144. III. Quinam ab ea lege eximantur? 420
145. IV. An qui communionem paschalem non recepit in parochia sua tempore præscripto, teneatur postea in parochia communicare? 420

ART. III. — *Quænam requirantur dispositiones in suscipiente SS. Eucharistiam?*

§ I. — *De dispositionibus requisitis ex parte animæ.*

146. Prænotatur in suscipiente Eucharistiam requiri fidem. . . . 420
147. Probatur in suscipiente SS. Eucharistiam requiri gratiæ statum. — *Assertio* 420
Tria quæruntur, nempe:
148. 1. An et quatenus gratiæ status, de quo supra, per sacramentum Pœnitentiæ acquiri debeat. 421
149. 2. Quandonam sufficiat ad licitam Eucharistiæ susceptionem status gratiæ sine sacramento acquisitus. 423
150. 3. Quid sibi velit clausula: *Quam primum confiteatur*, in decreto Tridentino expressa 424

§ II. — *De dispositionibus requisitis ex parte corporis.*

I. — De jejunio.

151. I. Jejunii necessitas 425
152. II. Jejunii natura 425
153. III. Causæ a jejunio excusantes. 427

II. — De corporis decentia.

154. I. Quænam requiratur corporis decentia? 429
155. II. Utrum corporis laesa imp macuediat a communione suscipienda? 429

ART. IV. — *De frequenti communione.*

§ I. — *An frequens communio sit præscripta aut saltem utilis?*

156. Recensentur errores. 430
157. Probatur frequentem communionem, non esse quidem præscriptam, sed tamen valde animabus utilem. — *Assertio.* . . 430
158. *Corollarium* deducitur de cura a confessariis adhibenda ut pœnitentes amore divino inflamment eosque ad communio-

Num. Pag.
nem frequentem admittere possint ; nec non de prudentia necessaria ad concedendam vel denegandam communionem. 431

§ II. — *Quænam dispositiones requirantur ad frequentem communionem?*

Tria prænotantur, nimirum :
159. 1. Communionum numerum et opportunitatem a confessario, non vero a pœnitente, præfinienda esse 432
160. 2. Communionum frequentiam ex utilitate pœnitentis determinandam esse 433
161. 3. Nullum statum per se removere a communione; multum tamen attendendum esse ad pœnitentis conditionem . . . 434
Dantur deinde regulæ circa dispositiones requisitas, ut permittatur aut consulatur :
162. 1. Communio menstrua. — *Regula* 1ª 434
163. 2. Communio hebdomadaria. — *Regula* 2ª 435
164. 3. Communio frequens seu pluries in hebdomada. — *Regula* 3ª 436
165. 4. Communio quotidiana. — *Regula* 4ª 436
166. *Scholium.* De communione spirituali. — Quid sit? — An sit utilis? — Ubi et quandonam fieri possit? 437

PARS III. — De Missæ sacrificio.

PRÆNOTIONES.

I. — De sacrificio generatim sumpto.

168. I. Sacrificii nomen et variæ significationes 438
169. II. Genuina sacrificii notio. 439
170. III. Excellentia et convenientia sacrificii 442
171. IV. Divisio sacrificii. 444

II. — De sacrificiis ante Christum usurpatis.

172. I. Historicæ notiones. 446
173. II. Doctrina. Expenditur quænam fuerit ratio et indoles sacrificiorum ante Christum usurpatorum 448

III. — De nomine et definitione sacrificii eucharistici.

174. Nomen sacrificii eucharistici apud Græcos, — apud Latinos. . 450
175. Sacrificii eucharistici definitio. — Ordo dicendorum 450

CAPUT I. — De veritate sacrificii missæ.

176. Errores Novatorum. 451
177. Probatur Missam esse verum et proprie dictum sacrificium :
I. Argumentis ex Scriptura Sacra depromptis. 452
II. Argumentis ex traditione depromptis 457

Num. Pag.
III. Argumentis ex ratione depromptis 459
178. Solvuntur objectiones. 460

CAPUT II. — De essentia sacrificii missæ.

Art. I. — *De materia sacrificii Missæ.*

180. Exponitur theoria novatorum de natura sacrificii eucharistici. — Doctrina catholicorum de ejusdem materia. 464
Tria probantur, nempe :
181. 1. Christum, prouts sub peciebus panis et vini præsens existit, veram et essentialem esse sacrificii eucharistici materiam. — *Assertio* 1ª 464
182. 2. Species panis et vini necessarias quidem conditiones esse, non tamen partes intrinsecas Missæ sacrificii. — *Assertio* 2ª . 467
183. 3. Panem et vinum, etsi sint materia ex qua conficitur sacrificium Missæ, non tamen ejusdem hostiam sive totalem, sive partialem dici posse. — *Assertio* 3ª 468
Per modum corollarii infertur :
184. 1. Sacrificium Missæ non consistere in mera mortis Christi repræsentatione. 468
185. 2. Missæ sacrificium idem esse quoad substantiam ac sacrificium crucis 469
186. 3. Missæ sacrificium idem esse ac cœnæ sacrificium, non solum substantialiter, sed quoad modum immolationis . . . 470

Art. II. — *De forma sacrificii Missæ.*

I. — Utrum sola consecratio sit forma sacrificii Missæ?

187. Nonnulla prænotantur. 471
188. Probatur formam sacrificii missæ adæquate consistere in consecratione corporis et sanguinis Christi, cum ordine tamen ad sumptionem tanquam ad partem integrantem. — *Assertio.* 471

II. — An utraque consecratio pertineat ad formam?

189. Theologorum opiniones ea de re. 475
190. Probatur consecrationem utriusque speciei ad sacrificii missæ essentiam probabilius requiri. — *Assertio.* 475

III. — Quatenus consecratio sit forma sacrifici Missæ?

191. Exponuntur variæ Theologorum sententiæ 476
192. Probatur formalem rationem, qua consecratio sacrificii eucharistici essentiam constituit, in eo reponendam esse, quod vi verborum corpus Christi sub specie panis et seorsim sanguis sub specie vini ponitur, sicque Christus in statu cibi et potus constituitur. 477
193. *Corollarium.* Ex præfatis duducitur sacrificium missæ et Eucharistiæ sacramentum in pluribus convenire et discrepare . 480

CAPUT III. — De efficacia sacrificii missæ.

Art. I. — *Quinam sint effectus sacrificii Missæ.*

Num. Pag.
194. Missæ sacrificii effectus alii ad Deum, alii ad hominem referuntur. 481
195. Demonstratur sacrificium Missæ valere tum ad remissionem peccatorum, tum ad solutionem pœnæ peccato debitæ, tum ad alia beneficia a divina bonitate impetranda. — *Assertio.* . 481

Art. II. — *Quomodo sacrificium Missæ effectus suos obtineat?*

196. Missæ sacrificium effectus suos potest sortiri — immediate vel mediate ; — ex opere operato vel ex opere operantis ; — infallibiliter vel per modum impetrationis. 485
Tria probantur, videlicet :
197. 1. Missæ sacrificium mediate tantum peccata remittere ; pœnæ vero temporalis relaxationem aliaque bona tum spiritualia, tum temporalia immediate obtinere. — *Assertio* 1ª 486
198. 2. Sacrificium eucharisticum effectus jam memoratos ex opere operato producere, ita tamen ut aliquem fructum ex opere operantis habeat. — *Assertio* 2ª 487
199. 3. Missæ sacrificium plerumque nonnisi per modum impetrationis eosdem effectus sortiri. — *Assertio* 3ª 488
Per modum corollarii infertur :
200. 1. Sacrificium Missæ et Eucharistiæ sacramentum inverso ordine se ad invicem habere relative ad remissionem peccati . 490
201. 2. Principalem Missæ fructum omnino independentem esse a ministro, sed totum a Christo procedere ; fructum tamen accidentalem ex ministri secundarii fervore obvenire posse. . 491
202. 3. Missæ sacrificium multoties offerri pro eadem persona sive viva, sive defuncta, nedum superfluum sit, modo operandi hujus sacrificii valde congruum esse 492

Art. III. — *Quis sit valor sacrificii Missæ in effectibus suis producendis?*

203. Determinatur valor sacrificii Missæ prout ab Ecclesia offertur ; — prout a Christo offertur, — sive in actu primo, — sive in actu secundo spectetur. 493

§ I. — *De valore intensivo sacrificii Missæ.*

204. Fructus Missæ aliquatenus crescit juxta dispositiones ejus pro quo offertur. 494
205. Probatur eumdem *indefinite* crescere secundum majorem et perfectiorem dispositionem illius cui applicatur. — *Assertio* . 494

§ II. — *De valore extensivo sacrificii Missæ.*

206. Nonnulla prænotantur. 496

Num. Pag.
207. Probatur fructum *satisfactorium* Missæ non minui ex numero eorum pro quibus offertur, sed pluribus applicatum, æque singulis prodesse ac si uni applicaretur. — *Assertio.* . . . 497
208. Quædam corollaria practica eruuntur. 499

CAPUT IV. — De ministro sacrificii missæ.

Art. I. — *Quinam Missæ sacrificium offerant?*

209. Errores. — Doctrina catholica 501
Tria stabiliuntur, nempe :
210. 1. Christum Dominum esse sacrificii Missæ principalem ministrum. — *Assertio* 1ª 501
211. 2. Omnes et solos sacerdotes rite ordinatos sacrificii Missæ ministros secundarios proprie loquendo dici posse. — *Assertio* 2ª 502
212. 3. Totam Ecclesiam omnesque fideles mediate saltem Missæ sacrificium offerre. — *Assertio* 3ª 503
213. Ex dictis intelligi datur duplex divisio jam insinuata fructus Missæ ratione *fontis* et *distributionis* 504
Tria quæruntur :
214. 1. Qua ratione Christus sit principalis minister sacrificii Missæ 505
215. 2. Quomodo fideles laici sacrificium Missæ offerre dici possint 506
216. 3. An ad licitam Missæ celebrationem requiratur populi concursus assistentiumve communio 506

Art. II. — *An et qualis sacrificii applicatio ex parte sacerdotis Missam celebrantis requiratur?*

217. Quænam sacerdotis applicatio requiratur ut fructus generalis, vel specialissimus, vel specialis percipiatur ? 507
218. Probatur sacerdotem celebrantem posse *specialem* Missæ fructum determinatis personis applicare. — *Assertio.* 508
Quæritur :
219. 1. Qualis intentio requiratur ad applicationem Missæ. . . . 509
220. 2. Quo ordine facienda sit applicatio Missæ 510
221. 3. Quandonam applicanda sit Missa 510

Art. III. — *An et quatenus sacrificii minister ad Missam celebrandam teneatur?*

§ I. — *De obligatione celebrandi ratione ordinis suscepti.*

222. Probatur sacerdotes non legitime impeditos Missam aliquando celebrare teneri. — *Assertio.* 512
Quæritur :
223. 1. Quandonam obliget præceptum Missæ celebrandæ. . . . 513
224. 2. Quid dicendum sit de quotidiana Missæ celebratione. . . 514

§ II. — *De obligatione celebrandi ratione officii.*

I. — An et quatenus sacerdotes curam animarum habentes sacrum facere teneantur?

Num. Pag.
Quandonam sacerdotes curam animarum habentes ad Missam celebrandam teneantur :
226. 1. Directe 515
227. 2. Indirecte 516

II. — An et quatenus sacerdotes curam animarum habentes Missam fidelibus sibi commissis applicare debeant?

228. I. Obligationis existentia. 516
229. II. Obligationis subjectum 518
230. III. Modus adimplendi obligationem. 520

§ III. — *De obligatione celebrandi ratione stipendii.*

231. Stipendii notio et origo 521

I. — De stipendii legitimitate, quantitate et transmissione.

232. I. Stipendii legitimitas. 521
233. II. Stipendii quantitas. 522
234. III. Stipendii transmissio. 523

II. — De modo satisfaciendi pro stipendio.

235. Obligatio fructum Missæ applicandi ratione stipendii. . . . 525
236. Ubinam celebranda sit Missa? 526
237. Qualis Missa dicenda sit? 526
238. Quo tempore celebranda sit ? 526

III. — De Missis fundatis earumque reductione et condonatione.

239. I. An et qualis obligatio ex fundationibus proveniat ? . . . 527
240. II. An et quatenus Missæ fundatæ reduci possint ? 528
241. III. Quid sit condonatio Missarum ? — A quo fieri possit ? . 529

CAPUT V. — De subjecto sacrificii missæ.

242. Quid nomine subjecti sacrificii veniat ? 529

Art. II. — *De oblatione sacrificii Missæ pro vivis.*

243. An Missæ sacrificium pro omnibus fidelibus vivis, sive justis sive peccatoribus, offerri possit ? — *Assertio* 1ª 529
244. An et quatenus Missæ sacrificium licite offeratur pro hæreticis, schismaticis et excommunicatis ? — *Assertio* 2ª . . . 530
245. Utrum et quomodo sacrificium Missæ offerri possit pro infidelibus et catechumenis? — *Assertio* 3ª 531
246. *Corollarium* de dispositionibus requisitis in vivis ut sacrificium Missæ, quatenus est satisfactorium, effectum suum producat. 532

ART. II. — *De oblatione sacrificii Missæ pro mortuis.*

Num. Pag.

Tria probantur, nempe :

247. 1. Missæ sacrificium non offerri sanctis, nec pro illis, in eorum scilicet commodum, sed in illorum memoriam offerri. — *Assertio* 1ª 532

248. 2. Non licere sacrificium Missæ pro damnatis offerre. — *Assertio* 2ª 534

249. 3. Missæ sacrificium pro animabus in purgatorio detentis pie et utiliter offerri. — *Assertio* 3ª 534

250. *Scholium.* Quandonam Missæ sacrificium pro defunctis offerre liceat ? 535

APPENDIX DE REGULIS LITURGICIS IN MISSA CELEBRANDA SERVANDIS.

251. Quænam sit juxta concilium Tridentinum regularum liturgicarum, quæ ad sacrificii eucharistici celebrationem spectant. specialis ratio ? — Divisio hujusce capitis 536

ART. I. — *De adjunctis externis ad celebrationem Missæ attinentibus.*

§ I. — *De loco convenienti seu de ecclesia.*

I. — Quid nomine Ecclesiæ veniat?

252. Ecclesiæ definitio cui nonnulla subjiciuntur — 1. circa varia ecclesiarum nomina; — 2. circa benedictionem et consecrationem ecclesiarum ; — 3. circa speciales effectus consecrationis et benedictionis. 537

II. — An et quatenus ecclesia sit necessaria ad Missam celebrandam?

253. I. Jure communi non licet Missam celebrare nisi in ecclesia . 539

254. II. An et quatenus ab hac lege eximant : — 1. privilegium ; — 2. exemptio ; — 3. necessitas ; — 4. licentia ? 539

III. — Quandonam ecclesia exsecrata, polluta vel interdicta censenda sit?

255. I. Quandonam ecclesia exsecretur ? 540

256. II. An et quatenus polluatur per homicidium ; — per sanguinem humanum effusum ; — per peccatum externum consummatum contra castitatem ; — per sepulturam infidelium aut excommunicatorum. — Quid de reconciliatione ecclesiæ pollutæ aliisve pollutionis effectibus jure statuatur ? — Utrum oratoria privata pollutioni subjaceant? 540

257. III. Quænam de *interdicto locali*, quo aliquando ecclesiæ plectuntur, dicenda sint ? 543

§ II. — *De tempore celebrationis.*

I. — An qualibet anni die Missam celebrare liceat?

Num. Pag.
258. Missam celebrare licet omnibus anni diebus, exceptis tamen — 1. Feria V in cœna Domini, in qua prohibentur Missæ privatæ; — 2. Feria VI in Parasceve, in qua sola Missa præsanctificatorum permittitur; — 3. Sabbato sancto, in quo una tantum Missa celebranda est 544

II. — Qua hora Missa celebrari possit?

259. I. Missa celebrari potest ab aurora usque ad meridiem. Quid nomine auroræ? 544
260. II. An et quatenus prædicta regula obliget sub gravi? . . . 545
261. III. Ab ea excusant — ratio gravis; — consuetudo; — legitima dispensatio ab episcopo concessa 545

III. — An quandoque licitum sit pluries eadem die celebrare?

262. I. Quænam fuerit ea de re disciplina Ecclesiæ tum orientalis, tum occidentalis? 545
263. II. An et quatenus a prohibitione Missam pluries celebrandi excipiantur dies nativitatis Domini; — dies dominici et festi de præcepto, urgente necessitate? — Quid si sacerdos ante ablutionem moneatur de infirmo communicando? . . 546
264. III. Utrum liceat sacerdoti, cui concessa sit licentia duas Missas celebrandi, pro utriusque applicatione eleemosynam accipere? 547
265. IV. Quænam servanda sint quando duæ Missæ ab eodem sacerdote celebrantur, sive unus, sive duplex adhibeatur calix? 547

§ III. — *De ministro sacerdoti celebranti assistente.*

266. I. An et quatenus sit necessarius. 550
267. II. Qualis esse debeat. 550
268. III. Quænam causæ a ministro habendo excusent? 550

Art. II. — *De requisitis in celebratione Missæ.*

§ I. — *De altari ejusque ornatu.*

I. — De altari.

269. I. Altaris notio 551
270. II. Altaris consecratio. 551
271. III. Altaris necessitas 552
272. IV. Altaris consecratio et pollutio. 553

II. — De altaris apparatu.

273. I. De *Mappis*; earum necessitas, benedictio et materia . . . 553

Num. Pag.
274. II. De *Cruce* ; ejus forma, benedictio et necessitas. 554
275. III. De *Luminibus* ; necessitas, benedictio, materia. 555
276. IV. De *Missali* aliisque minoris momenti. — Quid de statuis aut imaginibus sanctorum, capsis reliquiarum, necnon de floribus quibus ornantur alteria ? 555

§ II. — *De vasis ac linteaminibus sacris aliisque ad ea pertinentibus.*

I. — De vasis sacris.

277. I. De materia ex qua confici debent vasa sacra 556
278. II. De eorumdem consecratione ; a quo et quomodo fieri debeat 556
279. III. De necessitate vasorum sacrorum 557
280. IV. De eorum contactu, sive dum actu continent sacras species, sive quando sunt vacua. — Quid de contactu vasorum simpliciter benedictorum quæ nondum in usu fuerunt ? . 557
281. V. De sacrorum vasorum consecratione ; quomodo consecrationem aut benedictionem suam amittant calix, patena, ciborium 558

II. — De linteaminibus sacris.

282. I. De materia ex qua conficienda sunt. 559
283. II. De eorum benedictione 560
284. III. De eorum necessitate 560
285. IV. De munditie, integritate et lotione sacrorum linteaminum 560

III. — De cæteris objectis ad sacra vasa attinentibus.

286. I. De volo calicis. 561
287. II. De bursa. 562
288. III. De reliquis Missæ celebrandæ inservientibus. 562

§ III. — *De vestibus sacerdotalibus.*

289. I. De vestium sacerdotalium significatione et materia ; singulæ seorsim recensentur. 562
290. II. De vestium sacerdotalium benedictione. An et quatenus præcipiatur ? A quo fieri debeat ? 564
291. III. De necessitate vestium sacerdotalium. An et quale peccatum sit celebrare sine ullis vestibus sacris, — sine alba, aut casula, aut stola ; — sine aliis paramentis ? 564
292. IV De vestium sacerdotalium colore. Quotuplex color adhiberi possit ? Quid de paramentis ex telis sericis, vitreis, aut varii coloris, aut flavi vel cærulei coloris, aut ex tela aurea ? . . 565
293. V. De exsecratione vestium sacerdotalium. Quandonam sacra paramenta benedictionem amittant ? Quid, si reficiantur ? An liceat fragmenta paramentorum in usus profanos convertere ? Utrum benedictionem amittant quando in usus profanos adhibentur ? 565

Art. III. — *De Missæ celebratione.*

§ I. — *De ritibus pro Missæ celebratione præscriptis.*

I. — De rubricis intra Missam servandis.

Num. Pag.

294. I. An et quatenus rubricæ, quæ ritus intra Missam servandam proponunt, habendæ sint ut præceptivæ ? 566
295. II. An et quomodo infringi possint rubricæ per omissionem, — additionem, — mutationem — pronuntiationem. — confusionem ? 567
296. III. An et quousque obligent rubricæ in infirmitate manuum — in infirmitate oculorum ; — in infirmitate crurum ? . . 571
297. IV. Quale tempus adhibendum sit in celebratione Missæ lectæ. 572

II. — De ritibus extra Missam servandis.

298. I. De matutino officio et laudibus ante Missam celebrandam recitandis 573
299. II. De lotione manuum 574
300. III. De precibus ante et post Missam, necnon sacras vestes induendo, recitandis 574

§ II. — *De nonnullis difficultatibus in Missa occurrentibus.*

I. — De defectibus qui in Missa quandoque obveniunt.

301. I. De defectu in materia, qui suppleri potest. Quomodo emendandus sit defectus occurrens — 1. in pane ; — 2. in vino ; — 3. in utraque materia ? 575
302. II. De defectu qui suppleri non potest 577
303. III. De dubio occurrente circa validitatem materiæ. 578
304. IV. De defectu in prolatione formæ. 578
305. V. De nonnullis casibus specialibus. 579

II. — De Missa incœpta perficienda.

306. I. Generatim loquendo Missam incœptam derelinquere non licet. 580
307 II. Aliquando, ob graves causas, Missa incœpta derelinqui potest ante consecrationem 581
308. III. Quid, si sacerdos ob infirmitatem missam perficere nequit ? 581
309. Quid etiam in casu incendii, incursus hostium vel inundationis ? 582

III. — De Missa non interrumpenda.

310. I. Regulariter non licet Missam interrumpere. 582
311. II. Dantur tamen causæ justæ Missam interrumpendi. . . . 583
312. III. Quid agendum si Missa per horam integram interrupta fuerit ? 583

§ III. — *An convenienter ordinata fuerint quæ in Missa dicuntur et fiunt.*

Num. Pag.

313. Quænam sit generalis significatio eorum quæ in Missa dicuntur et fiunt ? 585

I. — De convenientia verborum et orationum quæ in Missæ celebratione recitantur.

314. I. De introitu seu communi sacerdotis et fidelium præparatione
315. II. De instructione seu speciali populi præparatione 586
316. III. De oblatione 587
317. IV. De consecratione 588
318. V. De communione et gratiarum actione. 589

II. — De convenientia actionum quæ in Missa a sacerdote exercentur.

Quid significent :
319. I. Ablutio manuum 591
320. II. Thurificatio ? 591
321. III. Crucesignationes ? 591
322. IV. Hostiæ fractio ? 592
323. V. Manuum gestus ? 592
324. VI. Oculorum elevationes et capitis inclinationes ? 592
325. VII. Salutationes repetitæ populi a sacerdote ? 593
326. Ex his concluditur quænam methodus adhibenda sit in Missa audienda. 593

FINIS INDICIS.

Vesontione. — Ex typis Outhenin Chalandre filiorum et Soc.

208.9
C 563
8838
AUTHOR CLAROMONTENSES III
TITLE Theologia Dogmatica &Moralis
DATE LOANED
FEB 6 1987
8838